This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

BCU - Lausanne

1094372386

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBERTAS CHRISTIANORUM
A Lege Cibaria Veteri
DE
SANGUINE & SUFFOCATO,
Demonſtrata, & ab Inſtantiis
STEPHANI CURCELLÆI
Defenſa.

Inſeritur
COMMENTARIUS IN CONCILIUM
HIEROSOLYMITANUM.

Authore
JOH. HENRICO HEIDEGGERO.
SS. Theol. D. & P.P.

Editio ſecunda, ab Authore recognita, & Indicibus aucta.

TIGURI.
Typis Davidis Geſſneri,
M. DC. LXXVIII.

BIBL: STUD: ACAD: LAUS:

Digitized by Google

Don 5.1414
K00325340?
Digitized by Google

Illuſtriſſimis & Generoſiſſimis

COMITIBUS ac DOMINIS,

COMITIBUS in BENTHEIM, TEKLÆBURG, STEINFURT & LIMBURG, DOMINIS in RHEDA, WEVELINGHOVEN, HOYA, ALPEN & HELFENSTEIN; LIBERIS BARONIBUS in LENNEP, PRÆFECTIS HÆREDITARIIS COLONIÆ;

Dominis ac Mæcenatibus ſuis Clementiſſimis.

ILLUSTRISSIMI & GENEROSISSIMI DOMINI.

NUllum eſt in cultu Dei nocentius malum, quàm ſuperſtitio. Cùm enim Deus Dominus noſter Majeſtatem ſuam quam maximè apud Mortales in libertate imperii gliſcere velit, hanc gloriam piaculari ſcelere ad ſe rapit Superſtitio. Sedet in throno Dei, ſuo nutu temperat timorem Numinis, leges rogat ſine ſuffragio, & earum repagulis non ſe duntaxat coërcet, ſed vitio etiam contactus corrumpit, quos afflat. Accedit ad væcordiam ignorantia, quæ impietate finitur. Nam ut plurimum cùm à recto veri itinere diſceditur, ſuperſtitio naſcitur, ac ſuperſtitionem velut paludem fugiendo, in præcipitium, impietatem itur. Quin ſibi ipſa acerbiſſimum eſt ſupplicium. Nunquam enim qui anilibus perſuaſiunculis imbutus eſt animus, quietus eſſe poteſt. Quò impenſiùs enitendum, ne tam pudenda labe Chriſtiani nominis cultores contaminentur. Servari enim in cultu externo oportet, quæ legibus juſſa, non quæ Deo grata eſſe putes. De cætero optimus animus pulcherrimus Dei

cultus eſt. Hæc veriſſima & ſaluberrima perſuaſio cùm alibi locum habere debet, tum in præſenti noſtro, quod volvimus, negotio, ampliſſimum ſortitur; quando abſtinentia à ſanguine & ſuffocato religioſa ſuperſtitionis morbo haud leviter pallet. Equidem non attingere, non attrectare, non guſtare nemo ſapiens crimini deputet. Sed vana religione imbuere homines, legem cœco conſilio contexere, cujus juſſa reverenter capeſſant humiles animi, in eam rem voluntatis divinæ tabulas malè concinnatas obvertere, denique judicare fratrem, qui meliora edoctus rectè facti conſcientiam habet, inſanus error eſt & intolerabile malum. Quamobrem committendum minimè duximus, ut ſuo ſenſu abundent zelotæ illi, quibus conſilium eſt in mundo δογματίζειν juxta carnalem ſenſum Moſaicæ legis, quæſtui habere captas prava perſuaſione mentes, & dubitationum fluctibus concutere. Quò vel ſic bonas horas in utili ac fructuoſo labore conſumere nobis liceret. Neque verò ſiniſtra metuimus hominum de inſtituto noſtro judicia. Quorum alii, bono equidem animo, pro hac re, quæ turbat & commovet, in aciem dimicationémque veniendum fuiſſe negant; alii viles has curas & infra dignitatem ſubſidere pronuntiant; alii denique in me vires & lacertos ad certamen iſthoc cum veterano gladiatore feliciter cernendum deſiderant. Contra quos ita me æquitate bonorum conſolor, ut interim quo occurram, ita ſatis mihi paratum eſſe putem. Nam quod ſapienter olim nonnemo dictitavit, maledictum inferentis, non referentis eſſe, id cauſam etiam meam non mediocriter adjuvat. Non reſpondentis & recta vindicantis delictum eſt, ſed imprudentia quærentis, objicientis, condemnantis. Deinde cùm per has lineas pauci hactenus ſerram reciprocârint, pro parte minùs tractata par erat majore ſtudio laborari. Quòd ſi in Divinis luxuria ingeniis concedenda eſſet, brevi Sacra noſtra mirum in modum conſpurcata cerneres. Neque res levis adeò momenti eſt, ab errore liberari. Nihil profectò vile du-

co,

Digitized by Google

co, quod ad rem Theologicam pertinet. Plerumque enim minutula contagione nocent, deteriora ſe agglutinant, & ſequitur, quod ajunt, vara vibiam. Compertum etiam eſt, ubi τὸ μικρὸν neglecimus, majora in diſcrimen veniſſe. Adverſarii non ignoro quo loco emineat doctrina & judicium. Sed eſt perſæpe, ubi laſſus dormitet Homerus. Cauſa cum cauſa, ratio cum ratione confligat. Nec nomina, ſed argumenta dedecernant. Rerum novandarum qui laborant noxio pruritu, perverſo amoris vel odii ſtudio ſubacti ſcribere ſolent, quæ vel mediocriter exercitati aſſequi judicio, & redigere in ordinem valeant. Sed nunc ad Vos, Illustrissimi & Generosissimi Domini, properat oratio, ad quos non veniunt duntaxat hæ noſtræ primitiæ, ſed quibus ſe totas tradunt dicántque. In univerſum qui lucubrationes ſuas aliis conſecrârunt, ſæpius ut conſequerentur beneficia, quàm quia conſecuti eſſent, feciſſe comperio. Quorum ego rationes ad examen non voco, quando cuique conſcientiæ ſuæ calculo vel damnari vel abſolvi ſufficit. Sed iſtud profiteri lubet, me beneficiis hactenus veſtris cumulatum eum nexum iniviſſe, ut ſummæ imprudentiæ eſſet, non ad Vos omnia mea derivare, quia tot & tam magna conſecutus ſim. Non ſolùm enim me clementer ad publicam huc Spartham evocâſtis, ſed etiam evocatum & muneri meo pro virili incubantem hactenus fovere, ſtudia & conatus meos approbare, denique beneficentiæ veſtræ imbre irrigare pergitis. Ut poſt innumera alia documenta vel hac etiam teſtificatione manifeſtum faciatis, Vos in complexu & deliciis habere Athenæum, quod Clariſſimæ famæ Heros, & immortali prædicatione digniſſimus Arnoldus, incredibili erga veritatem doctrinæ cœleſtis & literarum ſtudia ardore, nec hoſtium magnopere reveritus invidiam, nec impenſarum graviſſimo Mortalibus onere ab inſtituto in obliquum abreptus, hoc loco velut pharum ſplendere juſſit. Vobis Illustrissimi Mœcenates, cùm cætera omnia ſumma habeatis, tum manet

Digitized by Google

flagrantiſſimus ille literarum amor, quo non aliud validiùs decet florente Republica uſuros, & proſperam ſui memoriam parantes. Cujus ego fiducia magnopere fretus, Veſtra gratia atque auctoritate iſtas meas ingenii curas tuebor, ſi eis aliquod patrocinium polliciti videbimini. Deus Vos, ILLUSTRISSIMI DOMINI, quàm maximè longævos & feliciſſimos eſſe velit jubeat! Dab. Steinfurti, IV. Non. Martiis Anno Chriſtiano M DC LXI.

Veſter, ILLUSTRISSIMI & GENEROSISSIMI DOMINI,

Nexu & mancupio totus

Joh. Henricus Heideggerus.

Digitized by Google

EPIGRAMMA
In tractatum de Suffocato & Sanguine, jam ſecundùm àb Autore editum.

QUas Autor de *Suffocato*, & *Sanguine* chartas
Scripſit, nunc iterum plenior aura videt.
Primorum quòd ſunt ſcripta hæc monumenta laborum,
Provida cura fuit, conſiliúmque Dei.
Enthea vis, ſanguíſque calens, ardórque ſciendi
Maturè juveni cœpit adeſſe viro.
Seu pia Sacratæ (mihi crede) volumina Legis,
Seu Sophiæ ſtudium volverit intrepidè,
Nonniſi divinum ſemper quæſivit honorem,
Summo ſemper erat gloria ſumma Deo.
Auſonios Satanas ipſi hinc conflaverat hoſtes,
Invidiæ ſtimulis undique cinctus erat,
Sanguinis ætherei qui ſuffocare calorem
Tentârunt lividâ térque quatérque manu,
At Pater Omnipotens tantò mage ſanguinis æſtum
Ætherei tanto juſſit adeſſe viro.
Egregios hinc vitales jam miſit in auras
Libros, queis lectis doctior Orbis erit.
Queis & mulcentur docti, miratur & Orbis,
Queis famam ſerò poſteritáſque dabit.
Divulget porro tales longo ordine libros,
Librorum ut faciant nomina pœne librum,
Donec ſera dies cœlo ipſum reddat & aſtris,
Unde illi æthereus Spiritus ipſe datur!

Amico, Compatri, Collegæ optimo p.

JOHANNES HULDRICUS,
Eccleſ. Tigurinæ Abbatiſſanæ
Paſtor.

ELENCHUS

ELENCHUS CAPITUM.

Cap. Pag.

I. PRelibantur, quæ juvant quæſtionis intelligentiam, & ejuſdem ſtatus formatur. 1

II. In ſtatu integritatis Sanguinis & carnium eſum non fuiſſe illicitum. 12

III. Nec in ſtatu peccati, temporibus diluvium antegreſſis. 25

IV. A tempore Noachi uſque ad Moſen, ſanguinis eſum illicitum fuiſſe ex ceremoniali ſanctione. 43

V. Curcellæi & Becmanni contrariæ rationes ſolvuntur. 60

VI. Similiter à Moſe uſque ad Chriſtum Ceremoniali præcepto fuiſſe prohibitum. 69

VII. Ad Curcellæi & Becmanni contrarias rationes reſpondetur. 80

VIII. Probatur, in Novo Teſtamento Sanguinis & Suffocati eſum eſſe liberum. 88

IX. Objectio palmaria ex Act. XV. producitur, & ea occaſione Paraſceve Concilii explicatur. 113

X. Conventus Concilii, & Conciliaris Petri ſententia illuſtratur. 134

XI. Conciliaris ſententia Iacobi diſcutitur. 166

XII. Epiſtola Synodica expenditur. 185

XIII. Solvitur argumentum petitum ex decreto Synodi Apoſtolicæ. 216

XIV. Argumentum à conſentiente Antiquitate ventilatur, & peroratur. 230

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT I.

Prælibantur, quæ juvant quæſtionis intelligentiam, & ejusdem ſtatus formatur.

Breviarium.

Diſcrimen notatum inter θεωρητὰ *&* πρακτά. 1. 2. *Quæſtionis momentum & difficultas.* 3. 4. *Non agi de ſanguine humano. Crudelitas ſanguinem hominis bibentium. Aßiratus. Tertullianus, Theophylactus, Cyprianus notati.* 5. *Synodi Conſtantinopolitanæ canon* 67. *explicatus. Lucanica.* Ἀλλᾶς. Ἀλλαντοπῶλαι. μιμάρκυς. *Botulus. Ius nigrum Laconum.* 6. *Suffocatum quid?* ἀπελάλωσε. θνησιμαῖον. נבלה. πνιγεῖν παχέων ἀρνέων στηθύνια *quid ſit Athenæo?* 7. *Non quæri de abſtinentia Medica vel Phyſica.* 8. 9. *Sed de religioſa. Religionis præcepta diſtinguuntur.* 10. *Controverſiæ ſtatus.* 11. *Iudæorum diviſa.* אבר מן החי. *Omophagia* 12. *Muhammedanorum ſententia ex Alcorano, Keſſæo, Elmacino, Bleda, Avicenna.* 13. *Nec non Eſſenorum, Græcorum, Moſcovitarum, Armenorum, Habeßinorum.* 14. 15. *Angelocratoris, Becmanni, Salmaſii.* 16.

I.

EST ita omnino in natura comparatum, ut iis in negotiis, quæ θεωρητὰ nuncupantur, & liberalem habent ac utilem cognitionem, non tantum periculi vel dubitanti immineat, vel definitivam ſuſpendenti; quantum ei, qui ἐν τοῖς πρακτοῖς, iis, quæ actionibus ſubſunt, fluctuat, & opinionibus ſubinde pendet, neutram in partem firmiter conſtitutis. Ac prius ſanè in mortalitate noſtra appetendum etiam ultro eſſet, omnibus inſito vitio ex parte cognoſcentibus, & ex parte prophetantibus; etiam iis, quorum ingenium utili exercitatione provectum, & jam corroboratum videri poteſt. Inde autem iſthoc operæ pretium homines tollerent, ne in

Digitized by Google

iis, quorum parum erat ignoratio obſutura, intempeſtivè & præpoſterè decretis judicatisque, prudentibus ludibrium, ac ſupplicium Deo, qui veritas eſt, & Filium, qui veritas ſit, progenuit, deberent.

II. Verùm diverſa eſſe ratio eorum, quæ ad praxin aliquando deduci conveniat, intelligitur facilè. Nam ſi cujus eſt rei actio ſuſcipienda, nec an ſuſcipi debeat, ambigi diu, nec quomodo, neſciri debet. Omnino enim contingeret, dum in dubitationum lubrico extrahitur tempus, ſalubrium ut opportunitatum momenta transmitterentur, elongarentur à nobis viæ Domini, & negligerentur partes à Deo rectâve ratione nobis imperati officii. Sed & dictat rectè inſtituta ratio, pro vero Philoſophum aſſeruiſſe: eas actiones, quæ à virtute fluunt, non habere τὸ εὖ ἐν ἑαυτοῖς: ſed tum fieri demum κατὰ τὰς ἀρετὰς, quando, qui agit, eſt πρῶτον μὲν εἰδὼς, ἔπειτα προαιρούμενος, καὶ προαιρούμενος δι᾽ αὐτὰ, καὶ τὸ τρίτον, ἐὰν βεβαίως, καὶ ἀμετακινήτως ἔχων πράττῃ. *Primùm quidem ſciens, deinde eligens, & eligens propter ipſa: tertiò, ſi firmiter & conſtanter affectus agat:* Ethic. Nicomach. II. 3. Quæ igitur ex virtutis agi debent præſcripto, immutabile, certúmque judicium requirunt, altam illam & firmam perſuaſionem, quam πρόληψιν ſcitè Stoïcorum ſecta appellavit, ne inter omiſſa appetitáque alternis voluntas fluctuet. Bona & mala, honeſta & turpia, pia & impia, virtutes denique uſúsque virtutum, æſtimatorem omnia deſiderant, quanti quidque in cenſum ſit deferendum. Quod ipſum faciendum eſſe haud obſcurè Apoſtolus docuit, cùm per habitum exercitatos ſenſus requiſivit *ad diſcretionem boni & mali*, Hebr. V. 14. Et abundare nos idem voluit ἐν γνώσει, καὶ αἰσθήσει εἰς τὸ δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα, ut ad diem uſque Chriſti maneamus εἰλικρινεῖς καὶ ἀπρόσκοποι, Phili. I. 10. coll. cum Rom. II. 18.

III. Quando igitur etiam nos recta æſtimatione penſare decrevimus: An, quod Veteris Teſtamenti Eccleſiæ Poſtdiluvianæ ſanctione Divina, & Apoſtolicæ Eccleſiæ Novi Teſtamenti, cùm ſuis adhuc in incunabulis eſſet, latum eſt de non comedendo ſanguine & ſuffocato præceptum, idem hodiéque Eccleſiam obliget? confidimus procul nos fore ſive temerè ſive inutiliter incepti laboris ſuſpicione. Eſt etenim ea de re diſceptatio, quæ quotidianum ſub uſum cadit. Inter dubitationum ſæpe ſcopulos conſcientiæ mortalium navigant. Judicium pœne præumbratur faſtigio ac claritudine eorum, alia omnia qui ſentiunt. Interdictum Divinum & Apoſtolicum vide-

videri poſſit haud nullo terrore munitum. Conciliorum authoritas magni eſt ad conſenſum momenti. Ipſa naturæ verecundia ferè temeritatem arguit humanæ licentiæ. Neque deſunt Viri Magni, qui hæc ipſa vel adſtringere authoritate ſua, vel rationum pondere ſatagant.

IV. Nos, ut lucem quæſtioni fœneremur, priùs quàm ad *Stephani Curcellæi*, Remonſtrantium choragi, argumenta, quibus nuperrimè Chriſtianorum libertatem, & conſcientias imprudenter oneravit, judicium noſtrum ſtringamus, & quæſtionis terminos ab ambiguitate liberare, & ipſum quæſtionis ſtatum formare, & ſi quæ præliminariter edisſertari debent, prælibare deſtinavimus. Ne, quod vulgò evenire animadvertimus, ex ejusmodi involucris obſcuritas, & ex obſcuritate error vel leviſſimus nos circumſidere valeat.

V. De *ſanguine* ergo & *ſuffocato* inſtituta quæſtio eſt. *Sanguinis* autem nomine non quemvis intelligi volumus. Certè non humanum. Sive enim quotidiano ex uſu, ſive in ſacramentum fœderis libavére ſuum homines ſanguinem, pro ea, ac meruerunt, crudelitatis & belluinæ feritatis arſère infamia. Notati Sexto Rufo cap. IX. Breviarii, Scordiſci, Thraciæ populus, quem haud raro moleſtum ſibi gravémque Romanus exercitus habuit. Hi ſoliti humanum ſanguinem in capitum captivorum oſſibus potare: quod crimini ipſis à Rufo verſum. Sed & Solinus cap. XXV. commemoravit, eam Scytharum atque Medorum diſciplinam uſitatam, mutui ſanguinis hauſtu uti fœdera ſancirent. Quod & Luciano in Dialogo de amicitia traditum. De Brutis, Aquiliis & Vitelliis Plutarchus in Poplicola cap. VI. *Omnibus viſum eſſe hominis jugulati ſanguine libato, & viſceribus tactis, magnum & dirum jusjurandum concipere.* Aſſiratum veteres hunc deſignavere infamem potum: Perſpicuè etiam Feſtus adfirmavit, priſcos Latinos ſanguinem Aſſir vocâſſe. Et gloſſa habet: *Aſſir, αἷμα.* Catoni de re Ruſtica eadem uſurpata vox eſt cap. XXXIII. *Daps*, inquit, *Jovi Aſſir à pecu in urna viri caſtè profanato ſine contagione.* Meritò, quibus adhuc humanitas placuit, ſemper feralem hunc judicavêre ritum, & humanitati probroſum. Ipſi Gentiles, ſiquando libido inceſſeret Chriſtianos deteſtabiles omnibus reddere, auſi ipſis potum humani ſanguinis objicere. Quamobrem horribilem calumniam amoliti ſunt magna contentione. Dictum Minutio Felici in Octavio: *Tantum nos humano ab ſanguine cavemus, ut nec in cibis noverimus ſanguinem.* Cui placet, inſpiciat, quæ eam in rem

Tertullianus in apologetico habet. Crudelitatem & ferociam in hac conſuetudine notavit etiam Florus. Sic enim in Catilinaria conjuratione additum pignus dicitur conjurationis, *Sanguis humanus*, quem circumlatum pateris bibére: *Summum*, inquit, *nefas, niſi amplius eſſet, propter quod biberunt*, I V. 1. Et tanta ſceleris magnitudo Salluſtio viſa, ut ficta potiùs hæc exiſtimaret ab iis, qui Ciceronis invidiam, quæ poſtea orta eſt, leniri credebant atrocitate ſceleris eorum, qui pænas dederant, in Bello Catilin. cap. XXII. Neutiquam igitur circa hoc contendemus: An humanum ſanguinem bibere fas ſit? Inde tamen obiter advertimus, abluſiſſe à genuino interdicti V. T. ſenſu Tertullianum, Cyprianum & Theophylactum, qui de humano ſanguine interpretari illud videntur. Parùm ſolidè. Quod enim quodammodo ipſa humanitas horruit, ſupra fidem eſt, exerto tali mandato prohibere Deum voluiſſe.

VI. Reſtat ut de Brutorum ſanguine explicetur quæſtio, eóque vel effuſo, vel inter viſcera animalium venáſque contento: quo poſteriori modo quæri de ſuffocato mox videbimus. Nec referre hîc arbitramur, ſeparatus ſanguis, an eſculentis permixtus, ad delicias gulæ faciendas, intelligatur. Quamobrem fruſtra etiam olim latebras quæſiviſſe Chriſtianos illos cenſemus, qui cum ſanguinem eſculentis permiſcuiſſent, jam ſe à ſanguine dictitabant abſtinere. De quibus intelligenda cenſura videtur Synodi Conſtantinopolitanæ Sextæ, in Trullo habitæ, cujus canon 67. referente Caranza, ita habet: *Sacra Scriptura nobis præcipit, ut abſtineamus à ſanguine & ſuffocato & fornicatione. Meritò igitur damnamus eos, qui cujuſcunque animalis ſanguinem arte aliqua condiunt, & ſic comedunt. Qui hoc fecerit, clericus deponatur: laicus excommunicetur.* Jam olim apud Gentes ſanguis eſt in cibis uſurpari ſolitus, & ad eſum præparatus, variis omnino modis. Hinc Lucanicæ, farciminis genus, inteſtina vel carnes, cum primis ſuillæ cum ſanguine, polenta & adipe. Sic dictæ, quod milites à Lucanis didicerint, ſi fides Varroni eſt lib. I V. de L. L. & Iſidoro XX. 2. Meminit etiam Apicius de re Coquin. IV. 2. cerebellorum elixorum, & Lucanicarum. Græcis eſt ἀλλᾶς, contractum ex ἀλλαῆς, monente Euſtathio. Suidas tamen ἀλλὰς habet, & exponit εἶδος ἐντέρου κατεσκευασμένου, genus inteſtini præparati. Ἀλλαντοπώλας etiam Græci vocant, qui τὰ ἔντερα καὶ τοὺς ἀλλᾶντας μετ' αἵματος καὶ πομελῆς ἢ ἀλφίτων φυρῶσι, *qui inteſtina & Lucanicas commiſcent & macerant ſanguine ac polenta.*

Sed

Sed & μιμαίρκυς veteribus ventriculus fuit, vel inteſtina cum ſanguine parata, κοιλία κωλέντερα μεθ' αἵματος ἐσκευασμένα. Hinc & botulus, propter connexionem à bolis ſic dictus, ſi Feſto fides eſt: *quia per bolos farciebantur*, Scaligero annotante. Sed à βολὸς alimonia, vel βοτὸν pecus, quia ab his farcimina fiunt, qui derivant, citiùs aſſenſum impetrant. A. Gellius tamen XVI. 7. eam vocem inter Laberianas ponit, licentiùs fictas, & de quibus quæri, an Latinæ ſint, ſoleat. Jus etiam nigrum Laconum ex ſanguine paratum. Unde αἱματὶς & αἱματία dicebatur, ut eſt apud Pollucem & Moſchopulum.

VII. Jam & ſuffocatum, quid ſit, facilè cognoſcitur. *Eſt enim omne animal privatum vita ſine emiſſione ſaguinis.* Multa animalia ita occidi ad eſum conſtat, tam volatilia, quàm terreſtria. A beſtiis etiam multa capiuntur, canibus, accipitribus, falconibus, aliis, quæ θηριάλωτα Græci vocant. Gangrenſe Concilium, Gangræ in Paphlagonia habitum, & in Sexto Oecumenico Conſtantinopolitano approbatum, canone ſecundo vocat θνησιμαῖον. Juſtinus Martyr κρέας ἐν αἵματι, ὅπερ ἐςὶ νεκριμαῖον. Et θνησιμαῖα apud Ariſtophanem Avibus Scholiaſtes interpretatur νεκριμαῖα. Tertullianus in Apolog. cap. IV. de ſanguine locutus ſubjicit: *Propterea ſuffocato & morticinis quoque abſtinemus.* Quæ duo ut paria, ponere Hebræum librum, dictum *Chulin*, adfirmat Grotius. Inde quod morticinium Latinis eſt, Hebræi vocant נְבֵלָה quod *cadaver* ſignificat beſtiæ non naturaliter mortuæ, ſive vitam exhalantis, ſine legitimo ritu mittendi ſanguinis. Quæ ratio eſt cur LXX. Interpretes θνησιμαῖον vertant: & in Apoſtolica Synodo πνικτὸν, quod ſimpliciter ſuffocatum eſt. Apud Athenæum in Dipnoſophiſtis occurrit: πνίγειν τε πευχέων ἀρνίων σηθύνια: quod doctiſſimus Caſaubonus II. 24. interpretatus eſt, *parare certo modo, veteribus uſitato, cùm in proprio ſucco coquuntur carnes intra ollam aut patinam concluſæ, ſic ut nullus exhalationibus pateat meatus.* Unde πνικτὰ κρέα, carnes, quæ ita ſunt coctæ. Quod paraturæ genus ſuffocationem ſimpliciter vocant.

VIII. Non pertinet autem ad noſtræ quæſtionis ſtatum: *An eſus ſanguinis & ſuffocati ſive repugnet, ſive noceat naturæ, in phyſica notione accepta?* Quomodo naturæ repugnare intelligitur, quod cum κράσει corporis & temperamento parùm convenit, & impediundæ eſt valetudini. Non eſt enim planè hæc noſtri ſubſellii judicatio, ſed ad Medicorum ſcamna pertinet. Equidem naturæ inſtinctus

quodlibet animal incitat ad proſequendum ea, quæ credit profutura, & ad averſandum, quæ ſunt quocunque modo nocitura. Tenemur enim corporis, quod nobis ſociavit Deus, εὐεξίαν qualibet arte parare, appetitione ſimplicis & naturæ conducibilis victûs, moderatione nimii motûs, & eorum, quæ in corpore flagitium faciunt, ſollerti averſatione. Nemo tamen facturum contra jus naturæ concludet eum, qui in certo genere cibi, quem parùm ſalubrem prudentes judicant, modùm non cuſtodiat. Hoc autem infinitis modis contingere ſanè poteſt.

IX. Largimur ergo hoc experientiæ, cujus etiam ſcutum οἱ ἐξ ἐναντίας aliquando obtendunt, multorum naturam à ſanguine abhorrere, affectuum quodam ac paſſionum impulſu, quin & naturali antipathia motorum. Compertum eſt, multos, quibus vel viſus ſanguis, animi deliquium paſſos. Gravis eſt ac terreſtris brutorum ſanguis: cauſa multarum ægritudinum ſi comedatur, teſte Pererio LIb. XIV. in Geneſ. IX. Taurorum ſanguinem celerrimè coire, atque dureſcere, proinde peſtiferum eſſe nos docuit Plinius XI. 38. Daniel Sennertus Inſtitut. Lib. II. p. 2. ſs. 2. cap. 4. *Magnam vim ineſſe* docet, *ad corporis & morum mutationem: præcipuè arterioſi.*, *Is enim*, inquit, *ſanguis calens & ſpiritibus plenus, potus miras mutationes inducit, ut vel generatim ſaltem beſtiarum feritatem exprimat, vel ſpeciatim alicujus beſtiæ mores imitetur. Cùm enim ſanguis naturam ſui animalis habeat, & omnes animalis actiones potiſſimùm ſpirituum & caloris nativi beneficio perficiantur, illo ab homine aſſumto, credibile eſt in ſpiritibus ejus & calore, ac conſequenter in humoribus & ſolidis partibus fieri mutationem.* Apud S. Aurelium Victorem de viris Illuſtribus cap. LXVI. M. Livius Druſius hauſto caprino ſanguine ſemianimis deportatus domum dicitur. Addo, quòd Cælius Rhodiginus ex Plutarcho & Strabone meminit, Midam, antiquiſſimum Phrygiæ Regem, tauri ſanguine copioſiùs hauſto, ex humanis conceſſiſſe Lib. XIV. cap. XII. Quamobrem hæc per nos Phyſica ratio eſto, per quam à ſanguine abſtineant ſe, quibus eſt ſtudium, in valetudinem ſuam mitiùs conſulere.

X. De religioſa igitur à ſanguine & ſuffocato abſtinentia quæſtio tota eſt. Porro religionis præcepta duas videntur differentias recipere. Quædam enim ita ſunt religioni eſſentialia, nullam ut mutationem patiantur unquam: qualia ſunt, quæ moralem ſanctitatem perficiunt, & in Moſaïca lege ſive formalibus ſive virtualibus

bus terminis imperantur. Quædam hactenus religioni ſunt acceſſoria, quatenus conſtant externis quibuſdam officiis, & actibus ſuâ naturâ neque bonitatem neque malitiam involventibus, adeóque utramque in partem liberis, quum ab initio parùm referat, ita an aliter ſe habeant, referat autem plurimùm, ubi voluntate Dei revelata, imperio legis ita ac non aliter habere debent. Talis lex eſt ſymbolica illa, quâ, re ſalva & integra adhuc, primi hominis cupiditas circa eſum fructus amœni terrore legis coërcita fuit: Lex de ſacrificiis, cultu ceremoniali populi Iſraëlitici, & ſi quid aliud. Quæ ſunt poſterioris generis, ea obligationem directam inducunt in eos duntaxat homines, quibus ſpeciali revelatione tale quid præcipitur cuſtodiendum. Ejuſmodi autem præcepta plurima in veteri Teſtamento lata, quibus Deo cordi fuit, & factæ promiſſionis & implendæ certitudinem manifeſtare; efficere, ut populus ſentiret, nullum alium ſub Cœlo populum ſuæ ſocietatis orbe ambiendum, cùm non ſacris magis quàm moribus cum quoquam eſſet fas cohærere; denique compellere, ut gens pervicax, & rationis pœne impatiens oneroſo hoc cultu occupatus, deſineret novos cultus deteſtabili temeritate fingere. Quæ autem hujuſcemodi ſunt, orbem ſuum impleviſſe, Chriſto nobis repræſentato, id verò omnes confitentur Chriſtiani. Uſque adeò id verum, ut dicantur πειράζειν τὸν Θεὸν, ἐπιθέντες ζυγὸν ἐπὶ τράχηλον, ὃν οὔτε πατέρες, οὔτε ἡμεῖς ἰσχύσαμεν βαστάσαι. Act. XV. verſ. 10. Et perſpicuè Paulus contra Pſeudapoſtolos, qui perniciosâ ſuâ de legis Ceremonialis, moralis ac fidei temperamento doctrina, Galatas εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον transferre laborabant, diſputat. *Si ex lege ſit juſtitia, fruſtra igitur Chriſtum mortuum eſſe.* Gal. I. 6. & II. 21. Et nihil profuturum Chriſtum, *ſi circumcidantur Galatæ*, docet idem verſ. 2. 3. 4. Hoc pridem divino afflatus Spiritu Eſajas inter laudes venturi Meſſiæ collocavit, his verbis: *Jugum oneris, virgam humerorum, ac exactoris baculum confregiſti*, Cap. IX. 3. Quamobrem jubemur ſtare τῇ ἐλευθερίᾳ, in quam nos Chriſtus aſſeruit, ne poſtliminio ſervitutis jugo implicemur, Gal. V. 1.

XI. Cùm igitur prioris generis præcepta neceſſariam habeant ſemper & ubique obſervantiam, quippe à jure naturali, divinam ſanctitatem repræſentante, dictata, & à Moſe in Decalogo συλλήβδην comprehenſa; poſteriora autem, ac in ſpecie ceremonialia adventu Chriſti antiquata, atque adeò nullam poſt καιρὸν διορθώσεως

in

in nos ſive directam ſive indirectam obligationem inducentia, quæri jam cœptum, quo in ordine collocari mereatur illud de eſu ſanguinis & ſuffocati interdictum? Ad legémne moralem, quæ ſemper & ubique obligat, an ad ceremonialem pertineat, quæ aliquando obligare deſiit? Genuinus igitur hic controverſiæ ſtatus eſt: *An interdictum de non edendo ſanguine & ſuffocato ſit à jure naturali, à primordio mundi naturæ humanæ inſculpto, vel alio quocunque modo conſtituto, ita ut hodiéque vim obligandi habeat omnes: an verò à poſitivo ceremoniali, quod quia aliquando abrogatum, homines obligare ad ſui obſervantiam religioſam ceſſavit?* Prius defendendum ſuſcepit Stephanus Curcellæus, vir cæterà doctiſſimus, ac ingentem ubique ſuæ eruditionis ac facundiæ plauſum habiturus, ſi orthodoxiæ candidiùs litare, quàm novis opinionibus, à fidei Chriſti & Apoſtolicæ tramite haud leviter reſultantibus, cupidiùs ſubactum ingenium intendere maluiſſet. Poſterius fatente ipſo Curcellæo, in præfatione Diatribæ, *maxima Europæorum hodiernorum pars tam ſententià quàm obſervatione tuetur.* Quorum ego ſenſum, pro gratiæ Divinæ modulo, vindicare à laqueis conſcientiis infirmiorum inter Chriſtianos tenſis ita conſtitui, ut Evangelii libertatem nobis ſanguine Chriſti partam in medio ſim poſiturus, inſatiabiliter omnibus & appetendam & conſectandam.

XII. Non equidem me fugit, ante Curcellæum multis aliis Curcellæi ſententiam placuiſſe. Judæos tamen & Muhammedanos Chriſtianis diſcordes parùm hic curo, quia aliis illi, aliis Chriſtiani ſive hypotheſibus utuntur, ſive telis pugnant. De illorum duntaxat ſententia nonnihil ediſſeremus. Judæos quidem, quod attinet, eos & experiundo conſtat à ſanguine abſtinere, & teſtatus idem Celeberrimus Buxtorfius in Synagoga Judaïca, pag. 403. Animadvertimus autem, alios à ſanguine abſtinere ideo, quia cenſeant interdictum illud pertinere ad legem ceremonialem, quam conſtat ſatis illos abrogatam eſſe negare. Alios, quia arbitrentur interdictum hoc comprehenſum eſſe inter מצוות בני נח præcepta Noachidarum, ſeu jus filiorum & poſterorum Noachi, quo nomine genus humanum à Noacho ſecundò, quemadmodum ferme ab Adamo primò propagatum innuunt. Inter ea præcepta poſtremum eſt על אבר מן החי *de membro animalis viventis*: ſub quo præcepto concludi interdictum de ſanguine quidem contendunt. Ita enim legitur in Gemara Babylonica ad Tit. Sanhedrim. cap. VII. אבר מן החי ר׳ חנינה בן גמליאל

אומר

עלידם אומר אף *de membro animalis viventis: Etiam ex ſententia Rabbi Chanina, Ben Gamaliel, de ſanguine.* Idem ferè totidem verbis dicitur in Bereſchit Rabbah, paraſcha 34. Et Maimonides in Halach Melakim cap. IX. יראה שעל אלו נצטוה הוסיק לנח אבר מן החי שנא' אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו: *Liquet, propter hæc Noacho mandatum traditum eſſe de membro animalis viventis, juxta illud: Carnem in anima ſua, ſanguine ſuo non comedetis.* Ita planè etiam Moſes Mikotzi Præcept. Affirmat. 182. & Negat. 137. Hi igitur, quia Noachicum præceptum de ſanguine accipiunt, ſtatuere debent, non tam interdictum eſum ſanguinis ceremoniali, quàm naturali lege. Satis enim conſtat, Judæos Noachidarum præcepta pro jure naturali, æqualiter omnibus cognito, habere. Hinc Abem-Tybbon in Ruach Hachen cap. VI. vocat המצות שנתפרסמו בכל אומות *præcepta, quæ manifeſtata omnibus gentibus.* Sunt tamen, qui אבר מן החי explicent de interdicto non ſanguinis, ſed membri ab animali vivo decerpti. Atque membrorum hujuſcemodi eſum Noachidis interdictum בכל שהוא *quantulumcunque fuerit.* Interdicti ſic intellecti rationem affert ex Orientalibus Maimonides, שכן היו עושים מלכי הגוים וגם לעבודת זרה היו עושים כן רוצה לומר שהיו חותנין מן הבהמה אבר ידוע ואוכלים אותו: *quoniam ita eo ſeculo facere ſolebant Reges Gentiles, etiam idololatriæ cauſâ ita facere ſolebant. Scilicet animali abſcindebant membrum aliquod, atque illud comedebant.* Reſpicere videtur Maimonides ad immania illa Bacchanalia, quibus nomen Omophagiis eſt, in quibus *furore ementito*, ut ſcribit adverſus gentes Arnobius lib. V. *& ſequeſtrata pectoris ſanitate, circumplicant ſe anguibus, atque, ut ſe plenos Dei Numine ac Majeſtate doceant, caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipant.* Quam in rem nonnulla etiam habent Firmicus Maternus, de errore profanarum Religionum: Auguſtinus de C. D. VII. 22. Sextus Empiricus in Hypotheſibus Pyrrhonii III. 25.

XIII. Judæos æmulatus Muhammedes, ineruditiſſimus ſuæ Judaïcorum rituum, interdixit ſuos, ſanguinis eſu Surata II. verſu mihi 164. יא איהא אלדין אמנו כלוא מן טיבאת מא רזקנאכם ואשכרוא ללה אן כנתם איאה תעבדון אנמא חרם עליכם אלמיתה ואלדם ולחם אלכנזיר ומא אהל בה לגיר אללה פמן אצטר גיר באג ולא עאד פלא אתם עליה אן אללה גפור רחים: *O vos, qui creditis*, inquit, *comedite de bonis, quæ in alimentum vobis*

bis Deus concessit, Deóque gratias agite, si ipsum colitis. At interdixit vos morticino, ſanguine & carne porci, quódque conſecratum eſt alii quàm Deo. Qui tamen neceſſitate adactus fuerit, haud expetens, neque transgredi cupiens, haud quidem crimen illi fuerit. Quippe Deus clemens eſt & miſericors. Confer Suratas quintam & ſextam, ubi ſic concepit impoſtor interdictum: אלמנכנקה ואלמוקודה ואלמתרדיה ואלנטיחה ומא אכל אלסבע: *Suffocati, verberibus occiſi, item occiſi caſu, ſeu cornu, & ejus, cujus partem aliquam devoraverunt feræ.* Eundem in ſenſum habetur apud Keſſæum: ואמרהם אן יתגנבוא אלמיתה ואלדאם ואלחם ואלכנזיר ומא אהל לגיר אללה ולא יקתלוא אלנפס אלתי חרם אללה ולא באלחק: *Et edixit illis, ne morticino, ſanguine, carne porcina veſcantur, & ſi quid aliud Deo conſecratum.* Quem locum Keſſæanum debeo indici Celeberrimo Doctori Hottingero, Præceptori meo venerando. Elmacinus in Hiſtor. Sarac. lib. I. cap. I. docet, credere juſſiſſe Muhammedem Islamiſmum amplexuros: אן יוקל אלדם ואלמיתה *non eſſe commedendum ſanguinem & morticina.* Teſtatur idem Jacobus Bleda de Muhammedanis, qui olim in Hiſpania: *Moriſchi,* inquit, *hujus Regni, nimirum Valentiæ, & reliqui Hiſpaniæ non comedunt ſanguinem, carnes ſuffocatas, morticinas, nec morſas ab aliquo animali, putantes id peccatum eſſe ob reverentiam ſuæ ſectæ peſſimæ, quæ id vetat in Alcorano, & vocant eas carnes* אלחרם *maledictas & prohibitas,* Defens. Fidei in cauſa Moriſchorum cap. VIII. Mirum tamen videri poſſet, Avicennam, Muhammedicæ ſectæ juratum mancipium, paſſim inſpergere de ſanguinis eſu & potu, ad morbos aliquos curandos. Sanguinem ad medicamenta uſurpandum docet ſumi debere ab animali ſano, in quo non appareat humoris color, qui minimè corruptus ſit aut putridus: Leporinum ſanguinem humores citò maturare, ut & hircinum: uſurpari autem, poſtquam concrevit. Sanguinem columbæ, palumbi majoris & turturis calentem vulneribus capitis & meningum inſtillari; commixtum oleo roſaceo tepido inflammationes arcere à caſu oriri ſolitas. Alia huc pertinentia multa tradidit Canon Medic. lib. II. tract. II. pag. 108. 109. editionis nuperæ, quam verſione accurata Plempius commodiorem pro Republica Medicorum reddidit. Ex quibus prona eſt ſuſpicio, ſaltem in Medicina Muhammedanos ſanguinis uſum tolerare.

XIV. Ex Philone Pythagoreo de Eſſenis, quorum inſtituta

Mona-

Monachatui Ægyptiaco comparavit Sozomenus, repetiit idem, illos καὶ οἴνου πάμπαν καὶ ἐναίμων ἀπέχεσθαι *abſtinere & vino, & carnibus ſanguineum habentibus*, lib. I. Hiſtor. Eccleſ. cap. XII. Dixerat autem Philo: Eſſenis ἡ τράπεζα καθαρὰ ἐναίμων. Sed & Græcanicæ Eccleſiæ caput ſuæ ab Occidentalibus diſſenſionis conſtituere voluerunt illud de non edendo ſanguine & ſuffocato. Nota res ex Synodo Quini ſexta, ſub Juſtiniano Juniore Rinotmeto habita in Trullo An. DC. XCII. coacta à Callinico Patriarcha. Ibi nomine ſextæ Synodi ante decennium celebratæ, Canones quamplurimi editi ſunt de diſciplina Eccleſiaſtica. Canon LXVII. ita habet: *Divina nobis Scriptura mandavit, à ſanguine, ſuffocato & fornicatione abſtinere. Eos ergo, qui propter lautum & delicatum ventrem cujuscunque animalis ſanguinem arte aliqua eſculentum condiunt ac inſtruunt, ut par eſt, increpamus ac punimus. Si quis ergo deinceps animalis ſanguinem quovis modo comedere aggrediatur: ſi ſit quidem clericus, deponatur; ſi laicus, ſegregetur.* Et cùm inter Canones Apoſtolicos Canon LXIII. vetaret comedere carnem in ſanguine animæ ipſorum, ἢ θηριάλωτον, ἢ θνησιμαῖον, adnotavit Balſamon, *more ſuo in Latinos invehens*, inquit Baronius, non minùs tamen pro ſuo erga Balſamonem amore, quem licentiori ſtylo nunquam non confodit, Caſaubono in Exercitationibus ſuis animadvertente: *Nota ergo Canonem propter Latinos, qui ſuffocata indiſcriminatim comedunt.* Extat apud Baronium Epiſtola Michaëlis Cerularii, Epiſcopi Conſtantinopolitani, & Leonis Acridani, Archiepiſcopi Bulgarorum, ſcripta ad Johannem Tranenſem in Apulia Epiſcopum, *adverſus Romanam Catholicam ſedem*, inquit Baronius, *imò contra omnem Occidentalem Eccleſiam*, tom. XI. ad annum Chriſti M. D. LIII. In ea cùm Epiſcopi attrociter perſtrinxiſſent uſum azymorum in Eccleſia Occidentali, Sabbathi cuſtodiam, propter quam nec Judæi nec Chriſtiani ſint, ſed ſimiles Leopardo, cujus capilli nec nigri ſunt, nec omnino albi; ſubjiciunt: *Quomodo autem & ſuffocata hi tales comedunt, in quibus ſanguis tenetur? An neſcitis, quòd omnis animalis ſanguis ſit anima ipſius: & qui comederit ſanguinem, animam comedit? Et idcirco ſecundum hoc nec gentiles ex toto ſunt. Illi autem occidunt, aut plagantes comedunt.*

XV. Sed & hodieque Græcos pleroſque religioſiſſimè iſthoc interdictum cuſtodire, liquidò conſtat ex Jeremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani reſponſo primo ad Tubingenſes. *Hinc*, inquit, *neque quod ſuffocatum eſt, apud nos in cibum ſumitur in hodiernum uſque diem:*

ſed averſamur, Patribus & Apoſtolis conſtanter obedientes. Quæ Græcorum obſtinatio etiam Moſcovitarum, Armenorum & Habeſſenorum æmulationi alas videtur dediſſe, de quibus videndi Sigiſmundus Baro ab Heberſtein, in rerum Moſcoviticarum Commentario; & Damianus à Goes, Eques Luſitanus de Moribus Æthiopum.

XVI. Neque deſunt inter Orthodoxos Celeberrimi Viri, qui ſolutum & liberum eſſe negant Sanguinis uſum. Trigam heic nomino Virorum doctiſſimorum, Angelocratorem Haſſum, Chriſtianum Becmannum, Profeſſorem Theologum, & Superintendentem Serveſtanum, Exercitatione viceſima ſexta, denique Illuſtrem Salmaſium, libro de fœnore Trapezitico, p. 438. ubi pertendit, *præceptum illud Apoſtolicum de non comedendo Sanguine, non propter συγκατάβασιν Judæorum, ne hi à Gentilibus promiſcuè ſanguine & ſuffocato veſcentibus nimiùm offenderentur: ſed tanquam rem omnino neceſſariam poſitum, ut caput legis ceremonialis, quod impoſterum ſemper, æquè ut illud de non ſcortando, obſervandum eſſet.* Sed hæc in anteceſſum leviter decurſa ſunto. Animus eſt nunc arcem rei invadere, & ad limam revocare, quæ in hoc argumento Curcellæus deproperavit.

CAPUT II.

In Statu integritatis carnis & ſanguinis eſum non fuiſſe illicitum, probatur.

Breviarium.

Curcellæi ſupervacanea induſtria. 1. In ſtatu integritatis & retro diluvium jus habuerunt ad ſanguinis eſum. 2. Etiam ad carnes. 3. Argumentum primum ex dominio univerſali. Quouſque ſe illud extendat? Cornelius à Lapide, & Kerchius refutantur. 4. Probatur, ſe extendere ad mactationem. Exercitium ejus forſaſſe ſuſpenſum. Cauſa. 5. 6. 7. Arbor vitæ an vim phyſicam habuerit producendi immortalitatem? Auguſtini ſententia probatur. 8. De ſpatio temporis, quo Protoplaſti in Paradiſo commorati. Kabbaliſtarum ſententia. Irenæus, Cyrillus, Epiphanius, Patricides, Ibn-Sora notati. Curcellæus non omnino probatus.

batur. Adamum non peccâſſe die ſexto. Fortaſſe etiam non ſeptimo. 9. Objectio prima Curcellæi refellitur. 10. Mactationem non fuiſſe Paradiſo indignam. 11. 12. Ovidio & Dicæarcho oppoſiti Plutarchus & Empedocles. 13. Bruta ante lapſum non carnivora. Quomodo facta carnivora? Quo cibo in arca Noachi paſta? 14.

I.

CUrcellæus per mundi ætates ſpatiatur, ut probet, qualibet tempeſtate interdictum fuiſſe ſanguinis eſum. Quinq; potiſſimùm intervalla numerat, *ſtatûs innocentiæ: temporis antediluviani poſt lapſum: poſtdiluviani uſq; ad legem Moſis: legis Moſaicæ uſq; ad Chriſtum: denique Eccleſiæ Chriſtianæ uſq; ad conſummationem mundi.* Ratio inſtituti minimè improbanda, ſi præſtare, quòd ſuſcepit, potuiſſet. Hoc autem demonſtrâſſe conveniebat, ſingulis illis ætatibus ita prohibitum ſanguinis eſum, ut prohibitio non jure poſitivo voluntario, & mutabili ac mutato, ſed naturali ac neceſſario, omnes & ſemper ad obſervantiam obligante niteretur. Jam largiamur, in ſtatu innocentiæ interdictum ſanguinis eſum, unde conſtare poteſt, à jure naturali & neceſſario magis, quàm à poſitivo, per liberam Dei voluntatem commutabili, fluxiſſe interdictum? Nunquid non ibi Deus præcipere aliquid poterat, quod paulò pòſt mutationi obnoxium eſſet, quale quid fuit illa de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali lex ſacramentalis? Largiamur iis temporibus, quæ diluvium anteverterunt, interdictum antediluvianis hunc eſum. Qua probabili ratione liquere poteſt, ideò juris perpetui eſſe? Nam & hoc conſtat, ſacrificâſſe Adamum & Abelem. Quòd ſi nec indultum iis duntaxat, uti exiſtimatum quibuſdam Patribus, nominatim Origeni, Theodoreto & Hieronymo: nec ideo profectum à jure naturali, & inſtinctu divinitus ingenito, uti viſum Gregorio de Valentia de Miſſæ ſacrificio lib. I. cap. IV. & Bellarmino de Miſſa lib. I. cap. XX. utrique ut idololatricum Miſſæ ſacrificium tueretur, & Sacrificulis Miſſaticis aſſereret ementitum ordinem Sacerdotii: reſtabit planè, aliquid in eo intervallo præcipi potuiſſe, cujus non eſſet perpetim neceſſaria obſervantia. Poſt diluvium & Moſaicam νομοθεσίαν ultro fatemur, prohibitionem interceſſiſſe. Sed illam perpetui juris, inviolabilis neceſſitatis, & ad omnes pertinentis

Digitized by Google

tis non fuiſſe, facilè à nobis ſuo loco probabitur. Hoc unum igitur ſi liquidò dare veritati Curcellæus potuiſſet: Synodi Apoſtolicæ interdictum de abſtinentia à ſanguine & ſuffocato inviolabilis fuiſſe rigoris, & nullo planè tempore diſpenſabilis, cæteris omnibus, quæ tam operosè tractat, omiſſis, manus ſponte daturi, & illud *Sophos* acclamaturi fueramus. Nunc, ſive poſtremum hoc probet, ſive probando deficiat, quod facere ipſum apparebit, patet ſanè, priora iſta parùm ad apodixin inſtituti negotii proficere, neque à Curcellæo minùs præteriri potuiſſe, quàm à nobis levi ſaltu transvolari citra cauſæ periculum omnino poſſent.

II. Quia tamen preſſo pede ipſum ſequi decrevimus, in eo ſtatim erimus, implicitam ut animi notionem evolvamus. Judicamus igitur nec in ſtatu innocentiæ, nec temporibus diluvio antiquioribus interdictum religionis ergò ſanguinis eſum. Non auſimus quidem adfirmare, iis temporibus antediluvianos promiſcuè, inſuper etiam habitis ſimplicioribus cibis, eſitâſſe ſanguinem. Nam hoc fortaſſe alienius à ſimplicitate & moderatione illorum hominum fuiſſe exiſtimabimus. Cæterùm quin iis & jus & fas ad ſanguinem fuerit, dubitamus nulli. Poſt diluvium ad Chriſti uſque tempora circumſcriptus fuit lege, ſed ceremoniali & poſitivo, & cum ritibus Judaicis aliquando ſepelienda. Ab Apoſtolis demum repetita, ſed ulteriùs non duratura, quàm ceſſaret legis ratio, quæ fuit metus offenſæ Judæorum, quorum de cultu religioſo ceremoniali, & ejus duratione ſcientia parùm erat roborata.

III. Fatetur, exertum interdictum nullum in ſtatu innocentiæ occurrere. Inde tamen illud manifeſtè colligi contendit, quòd tunc animalium carne, in qua eſt ſanguis, nemini veſci licuerit. Quæ probatio non eſt niſi dialectica, & inſuper litem lite reſolvit. Si ejuſmodi eſt aliqua connexio inter eſum carnis & ſanguinis conſtituta, quis me prohibebit, quò minùs pari lege conſecutionis concludam, poſt diluvium non licuiſſe veſci carne, quia non ſanguine. Id quod vix Curcellæus indulgebit. Nimis enim verò diſtat. Porro ille carnis eſum in ſtatu innocentiæ illicitum fuiſſe, aliquot argumentis adſtruere conatur. Quæ priuſquam diſſolvamus, probabimus, non illicitum fuiſſe in ſtatu innocentiæ carnium uſum.

IV. Atque illud quidem extra controverſiæ aleam ponere videtur univerſale illud dominium in piſces maris, volucres Cœli, pecu-

pecudes, & univerſam terram, divino indultu in protoplaſtos olim
competens. *Et dixit Deus: Faciamus hominem ſecundum imaginem noſtram,
ſecundum ſimilitudinem noſtram, qui dominetur in piſces maris, & in volucres
Cœli, & in omnes beſtias reptantes ſuper terram*, Geneſ. I. 26. Hic mihi ſe
ſegniter approbant, qui uſque adeò dominium illud coarctant, *ut
ſtatuant, ad nihil aliud fuiſſe utilia animalia homini, niſi ad experimentalem
quandam notitiam de naturis eorum habendam, & in varietate creaturarum
laudandam & celebrandam Sapientiam Dei multiformem*. Qui ita ſentiunt,
non nôrunt, diſparata eſſe *dominium*, & quemlibet *uſum*. Sanè hunc
uſum homini integro præſtiterunt univerſa animantia, ut perficerent
experimentalem ſcientiam hominis, atque eveherent ejus ardorem
ad venerationem Numinis, quod tantam habuit pollentiam,
ut & creare poſſet tam præſtabilia, & ad uſum hominis dirigere &
gubernare verbo. Id quod magnificè Jobus, & Regius Propheta
extulerunt. Sed quis non videt, ab hoc uſu diſtinctum jus dominii
fuiſſe? Etiam Cœlum & ſidera hanc nobis utilitatem præſtant, ut ea
contemplantibus admirationem Numinis ſummam commoveant.
Neque tamen illis ita juſſi ſumus uſpiam dominari, quemadmodum
in animantia tributum videmus homini jus dominationis.
Neque ſatisfacit Cornelius à Lapide, qui in eo collocare dominium
voluit, quòd bruta animantia deſcenderent ad obſequium hominis,
vel *per ſcientiam & prudentiam naturalem hominis*, quâ ſciebat quomodo
ſingula eſſent domanda, cicuranda & tractanda: *Vel per providentiam
Dei ſingularem*, qui per Angelos animalium omnium phantaſiam &
corpus flexiſſet ad nutum; voluntatem & imperium hominis, ſicuti
eadem per Angelos ad Adamum adduxit: Comment. ad h. l. Quò
etiam R. Solomon Jarchi, notante Mercero, inclinat, qui in voce
וירדו utrumque incluſum putat, & *dominandi* & *deſcendendi* ſenſum,
pro varietate punctorum: ירדו per Tzere: *deſcendunt*, nempe ad obſequium
etiam vi coërcitionis, ſi repugnet: ירדו per chirek, *dominentur*.
Quæ ratio colligendi eſt על דרך מדרש *more allegorico* inſtituta.
Nam in eo ſtatu, cùm nondum eſſent animantia bruta τῇ ματαιότητι
διὰ τὸν ὑποτάξαντα obnoxia, ne quidem caſus fingi poteſt, quo dominaretur
iis homo, cicurando, & ad obſequium inflectendo. Vox
autem *dominii* videtur omnino jus dare ad poſitivum aliquem actum.
Non eſt enim magnifica vox; res ipſa inanis. Quid ergo ſi equus vecturus
erat tergo, camelus ſarcinas geſtaturus, & ſi quid ejuſmodi
aliud?

Digitized by Google

aliud? Ne ſic quidem illa dominandi poteſtas tam excellens abſolvi videtur. Quid enim facerent piſcibus, quid aliis animantibus?

V. Reſtat, ut firmiſſimè approbem, ad dominium illud pertinere jus animantia mactandi & ad eſum præparandi. *Jus nomino*, non *exercitium*, de quo non eſt ut contendam. Nolim autem hoc movere, verbum רדה; abſolutiſſimum videri dominium deſignare. Quod & ipſis interpretibus Orientalibus exiſtimatum, Samaritano, Chaldaïco, Syriaco, Arabico. Hi enim omnes verbo שלט uſi. Tanquam deſignatus eſſet homo, qui more Sultani alicujus præeſſet. Hoc validius, quòd non aliud dominium homini integro conceſſum, quàm quod à diluvio repetitum; ſaltem non anguſtius. Aliàs Deum offendendo, meliorem conditionem ſuam reddidiſſent, quàm ante lapſum fuerit. Id quod ipſi Crucellæo abſurdum ſatis viſum pag. 17. Repetitum autem jus Dominii ita habet, Geneſ. IX. 2. 3. 4. *Timor veſtri terrórque ineſto omnibus beſtiis terræ: omnibus volucribus cœli: tum omnia quæ calcant humum: tum omnes piſces maris in manum veſtram traditi ſunt. Omne reptile, quod vivum eſt, ad comedendum vobis eſto: ut viridem herbam illis, ſic omnia dedi vobis.* Hic vide. Repetitur dominium olim etiam protoplaſtis conceſſum: & paulò quidem explicatiùs. Illius autem dominii pars manifeſtè collocatur in eſu conceſſo reptilium & omnis carnis. Ergo etiam in ſtatu innocentiæ ea pars conceſſi dominii fuit, ut, ſi adlubeſceret, carnibus veſcerentur. Quid ultra contendimus? Nam quòd Curcellæus in hac parte novum jus Noachidis promi, cum quibuſdam, ac nominatim Lyrano, Carthuſiano, Toſtato, addo etiam, Tertulliano jam Montanizante exiſtimat, illud & abſurdum, ipſo judice Curcellæo, qui exiſtimavit, *hac ratione homines Deum offendendo conditionem ſuam meliorem reddidiſſe, quàm ante lapſum fuerit*; & nulla ratione ſuffultum, ut infrà patebit. Evidenti argumento accedit, quòd abſque iſto jure animantium mactandorum intelligi nequeat, quemadmodum conſtare potuerit dominium in piſces maris, aves cœli, & univerſam terram, cùm nec in contemplationis dulcedine, nec in labore cicurandorum animantium, quæ efferata nulla fuerunt; nec in uſu vehentium, & ſimiles operas miniſtrantium, cùm plurima præſtare eas non poſſent, fas ſit illud reponere. Niſi fortè dici poteſt piſcibus dominari, quem vel delphinus tergo vehit: vel cui echinus prædicat imminere tempeſtatem: vel qui, ad portum ſtans agminibus piſcium contemplandis oblectatur,

uti

uti contendebat ille apud Eraſmum in Ichthyophagia inſulſus ſalſamentarius. Suboluiſſe videtur etiam ipſi Ariſtoteli, quod nos volumus. Is enim Politic. I. cap. V. editionis Conringianæ, ait, *πολεμικὴν φύσει κτητικήν πως εἶναι. τὴν δὲ θηρευτικὴν μέρος αὐτῆς, ᾗ δεῖ χρῆσθαι πρὸς τὰ θηρία.* Artem bellicam eſſe *naturâ* factam aliquo modo ad rem quærendam: Studium autem venatorium partem ejus eſſe, quo deceat uti adverſum feras. Perſpicuè à jure naturæ illud arceſſit, quòd feræ capiuntur, & ad quotidianum eſum ac uſum ſubiguntur. Sed & Cicero in Tuſcul. I. quadruplicem agnoſcit uſum beſtiarum, ob quem primitus à Deo creatæ: nempe ad veſcendum, ad cultus agrorum, ad vehendum, denique ad corpora veſtiendum.

VI. Duo hîc excipere videtur Curcellæus. 1. *Dominium Adami & Evæ in animantia non fuiſſe illimitatum, ſed iis circumſcriptum limitibus, quos Deus ipſe poſuerat: proinde ſine gravi peccato violari non potuiſſe. Poſuiſſe autem, apparere ex eo, quòd cibi genus præſcripſerat, quo debebant veſci.* p. 13. Reſpondeo, non eſſe vel à Curcellæo, vel à quoquam noſtrûm limites figendos dominio Protoplaſtorum, quos non prior Deus fixerit. Nequit autem probari, ullos Deum fixiſſe. Nam quòd certum genus cibi præſcripſit, non iccirco putandus eſt jus dominii in cætera limitâſſe. Sed ad extremum exercitium dominii limitavit, ſapienter indicando, quem cibum cæteris ſalubriorem humana conditio requireret: non quem permittere iis vellet. 2. *Dominium in bruta poſſe conſiſtere, quamvis non comedantur, quia multa eorum ſint ſpecies, à quibus ſponte abſtineamus*: ibid. Reſp. 1. Non ferit noſtram ſententiam exceptio, qui ne quidem aſſerimus, brutorum carnes à Protoplaſtis comeſtas eſſe: ſed hoc duntaxat tuemur, jus illos comedendorum habuiſſe. Quod ita ſatis ad ſcopum noſtrum facit, qui defendamus, non interdictum Protoplaſtis carnium eſum. Hodieque jus habemus ad *θυσίαν* animalium *ἀναμφισβητήτως*. Et tamen à plurimis homines conſultò abſtinent. 2. Si ideò conſiſtere dominium in animantia integrum potuiſſet, excluſo jure veſcendarum carnium, quia ſua ſponte homines à quibuſdam abſtinent; tum pari ego jure concludam, potuiſſe hominem animantibus Cœli, Terræ & Maris dominari, quamvis neque præberent contemplationis materiem, nec ſervirent ad vecturam, neque ad alia ejus generis famulitia ſe applicarent: potuiſſe hominem plantis terræ dominari, quamvis iis non veſceretur. Quis enim ignorat, multa animantia vel non ſatis ad ejusmodi famuli-

cium idonea: vel minùs neceſſaria? Quis ignorat, quaſdam plantas
ſe veſcendas non præbere: Perſis Perſicam malum lethalem: cicutam, hyoſcyamum, napellum, alias hominibus mortiferas eſſe?

VII. Sed & hinc probari validè poſſit, non fuiſſe interdictum in ſtatu innocentiæ carnium uſum, quia omnia præcepta Dei in ſtatu illo vel moralia fuerunt, in quibus vertebatur interna ſanctitas & vera religio: vel poſitiva. Morale præceptum fuiſſe de non comedendis carnibus, non putem quenquam temerè aſſerturum. Nam ex hypotheſi mutatum fuit poſtdiluvianis temporibus. Mutatio autem morali mandato non poteſt accidere. Deinde in ſanctitate illa morali, cui litare protoplaſtos conveniebat, ſita fuit imago Dei, Epheſ. IV. 24. Atque adeò per illam ſanctitatem redditi fuiſſemus Deo quàm ſimillimi. Non reddimur autem per abſtinentiam à carnibus Deo ſimiles. Poſſet etiam aliàs dici, Deum indulgendo uſum carnium, aliquid indulſiſſe, quo impeditur vera ſanctitas & religio: quod vel cogitare abſurdum. Neque aliam ob rationem lex, quæ ad ſanctitatem protoplaſtos obſtringebat, *Spiritualis* dicitur Apoſtolo Rom. VII. 14. quàm quia requirit λογικὴν λατρείαν, cordis ſanctimoniam & internam puritatem. Sed & in cibis nihil apparere, quod Deo nos gratiores, atque ſanctiores adeò, religioſioreſque reddat, tam clarè in Evangelio docetur, ferè ut clariùs nihil. Poſitivis verò Dei mandatis accenſendum illud de non veſcendis carnibus, probare poterit nemo. Unicum enim tale mandatum in Paradiſo conſtitutum fuit, de non edendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali. De cætero ad regiam eam legem ſe conformare Protoplaſti debuerunt, quæ fuit ipſorum cordibus inſculpta.

VIII. Vellet quoſdam Curcellæus ita facere argumentantes: *Jus habuiſſe primos humani generis parentes in ſtatu integritatis veſcendi carne, ſi voluiſſent: ſi non uſurpaverint, id tribuendum brevitati temporis, quod lapſum anteceſſit: aut, quòd tanta optimorum fructuum terra copiâ abundarent, ut de alio cibi genere cogitare opus non eſſet*: pag. 12. Utramque rationem refutat. Ego, qui ita arguant, penitus ignoro. Niſi Doctiſſimum Rivetum Curcellæus tangit. Is enim tale quid ſubinnuere videtur. Confiteor, jus Protoplaſtos habuiſſe. De exercitio nihil mihi compertum eſt. Si ſuſpenſum eſt, quod probabile omnino, cauſæ fuerit iſthoc, quòd abundarent copia ciborum ſimplicium, qui ſalubriores & conducibiliores ſanitati. Neque obſtat Curcellæi contraria

traria ratio, *hoc oſtendere, Deum veſcendi facultatem non indulſiſſe: præſertim cùm minimè deceret homines integros vitam, quam ex arbore vitæ conſequi poterant, in aliorum interitu quærere.* pag. 16. Reſp. 1. Non ideo Deus non indulſit, quia plurimos inter indultos ſalubriores appetierunt. Hodiéque prudentiæ eſt, in multitudine ciborum ſaluberrimos ſeligere. Quis verò cæteros inde, qui relinquuntur, non indultos, ſed interdictos colligeret? 2. Ex arbore vitæ primos homines vitam conſecuturos ratione quadam phyſica, quâ illa ad alendum cæteris præſtaret, incertum videtur. Non ignoro, ita multos ſentire. Sed rationem probabilem deſidero. Certè parùm veritati conſentientia dicunt, qui arborem vitæ immotalitatem cenſent fuiſſe allaturam: quod viſum Bellarmino de Gratia primi hominis, cap. XVIII. & fortaſſis Chryſoſtomo etiam, Theodoreto, Irenæo, Ruperto, quos citat Abulenſis. Quibus Scotus, Cajetanus, Durandus & Pererius hoc opponunt meritò, quòd qualiſcunque illa vis fructus fuerit naturalis & finita, ac proinde continua actione caloris naturalis in homine conſumenda; fuerit etiam corruptibilis, ac proinde incorruptibilem vitam minimè productura. Nobis pro vero Auguſtinus dixiſſe videtur: *Erat homini in lignis aliis alimentum: in hoc ſacramentum.* Symbolum fuit & Sacramentum immortalis vitæ, ſi non peccaret. Cauſam fuiſſe phyſicam extrahendæ in longius vitæ, cæteris præſtantiorem, non conſtat. Neque hoc præ ſe ferunt verba Geneſ. III. 22. quippe quæ conſilium potiùs hominis peccatoris, quàm eventum rei reſpiciunt. Non igitur magis curandum protoplaſtis fuit, ut, liberaliùs decerpto hujus arboris fructu, cædibus animantium parcerent, quàm quibuscunque aliis herbis ad eſum præparatis.

IX. De ſpatio temporis in ſtatu innocentiæ exacto curioſior quàm utilior & verior eſt contemplatio: cùm non mactatorum animantium non alia ratio probabiliter fuerit, quàm ea, quam modò attigimus. Sive igitur longior, ſive brevior mora fuerit, ad ſummam rei nihil refert. Cæterùm, quia ita placuit Curcellæo, obiter de ea quæſtione pauca interſpergemus. In univerſum de tempore in eo ſtatu conſumpto nihil à nobis viatoribus definiri poteſt, quia revelatio deficit. Hinc natæ plurimæ in ea quæſtione & diſcrepantes ſententiæ; & conjecturis meris res acta. Kabbaliſtarum quidem ſententia nemini ſano accepta, viginti annis in eo ſtatu Adamum manſiſſe, *quia nemo capax ſit damnationis, quin totidem annorum ſit:* id

quod per Gematriam ridiculè colligunt ex verbo והיה verſus 12. Sed & omni ratione caret, quòd alii triginta & tribus annis manſionem definiunt, quia totidem annos Chriſtus vixerit: alii quadraginta diebus, quia totidem Chriſtus in eremo jejunârit. Quis nos docuit in ejusmodi circumſtantiis Adamum cum Chriſto comparare? Irenæus, Cyrillus & Epiphanius, ac hos ſecuti plurimi arbitrantur, non ultra ſex horas in ſtatu innocentiæ Adamum fuiſſe. Eodem enim die, nempe ſexto, horâ creatum tertiâ: lapſum horâ ſextâ: expulſum horâ nonâ. Quod ſimiliter ex analogia cum Chriſto confirmant. Sicut Chriſtus in exordio diei ſextæ paſſionis ante tribunal raptus, ſputis ſordidiſſimus fœdatus eſt, ita de luto formatum Adamum. Sicut horâ tertiâ Chriſtus accepta mortis ſententia Hieroſolymis ad ſupplicium ductus eſt: ſic Adamum eadem in Paradiſum. Sicus inter ſextam & nonam Chriſtus ſuas manus in cruce extendit: ſic hora ſexta Adamum & Evam manum ad decerpendum extendiſſe fructum. Sicut denique horâ nonâ Chriſtus in cruce exſpiravit, & latro Paradiſum ingreſſus eſt, ita eâdem horâ Adamum fuiſſe ex Paradiſo ejectum. Idem ferè ſentit Patricides Arabs: *Expulſos eos horâ nonâ diei Veneris in montem quendam Indiæ.* Sed & Ibn-Sora Jacobita in ſcripto Apologetico, quod Patricidi oppoſuit, ſimilia habet, tradente celeberrimo Doctore Hottingero noſtro, Smegmat. Oriental. lib. I. pag. 209. Haud immeritò ſuſpecta hæc ſententia Curcellæo. Sed ipſius rationes omnes, quas affert pag. 14. 15. probè militare, non dixerim. Certè non tam longum temporis tractum ſibi expetiiſſent ea, quæ exaggerat. *Mulierem*, inquit, *aliquo poſt intervallo creavit.* Sed non longo. Continuus enim fuit creandi actus. Quod innuunt ſatis verba cap. I. verſ. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: marem & fœminam creavit eos.* Neque obſtat, quod ſecundo demum capite Evæ creatio delineata: quo etiam argumento vellet Menaſſe Ben-Iſraël, aliique Rabbini monſtra ſua androgynorum perſuadere. Sed oportebat & Curcellæum & Rabbinos meminiſſe Joſephi, verè dicentis: *Moſen naturam interpretari cœpiſſe poſt ſeptimam diem*, Antiq. Jud. lib. I. cap. II. *Adamo adducta*, inquit, *animalia, ut pro arbitrio eis nomina imponeret.* Non dicam hîc cum Cajetano, adducta ad Adamum animalia per viſionem intellectualem. Hoc duntaxat dicam, probari non poſſe; ſingula potiùs animalia ad Adamum adducta, quàm ſpecies eorum. Quod poſterius brevi tempore expediviſſet maxima vi

intel-

Digitized by Google

intelligentiæ præditus Adamus. *Creatis*, inquit, *legem tulit.* Hoc citra moram fieri potuit. *Diabolus non ſtatim adfuit, ut eos tentaret, cùm recens adhuc eſſet interdicti memoria: ſed per otium eorum ſpeculatus felicitatem, demum invidiam concepit.* Mihi verò probabilius, Diabolum, quo eſt inſido ingenio, obliquis ſtatim oculis limatam hominis fortunam inſidiis ſuis appetiiſſe. Non indiguit otio ad ſpeculandum, cui ſudes fuit ante oculos. *Excubavit ad opportunitatem, quâ Evam ſolam non comitatam viro deprehenderet.* Atqui hæc opportunitas ſe ſtatim fortaſſe præbuit. Hæc attuli, non quòd omnes illas rationes penitus improbem, ſed ut liqueret, proximè à conjecturis abeſſe. Mihi verò hæc una ratio vulgari ſententiæ incidere nervos videtur, quod Moſes non obſcurè indicat, cap. II. verſ. 3. Deum ſeptimo die quieviſſe, & illum ſanctificâſſe, homine adhuc in Paradiſo exiſtente. Sanctificatio enim illa quid fuit niſi præceptum homini datum de eo ſanctificando? Ergo homo ſeptimo die nondum peccaverat; ſaltem tum, cùm fieret ſanctificatio, quæ facta haud dubiè manè ejus diei, quia totus dies eſt ſanctificatus. Non igitur die ſexto peccavit homo: fortaſſis ne ſeptimo quidem. Sed de cæteris certi nihil habeo dicere. Redeamus nunc è diverticulo in viam: & rationes luſtremus, quibus probat adverſarius, in ſtatu Innocentiæ carnes non fuiſſe licitas edi.

X. Objicit 1. locum Geneſ. I. 29. 30. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemet ipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam, & cunctis animalibus terræ, omnibúſque volucribus Cœli, & univerſis, quæ moventur in Terra, & in quibus eſt anima vivens, ut habeant ad veſcendum. Hìc nulla*, inquit, *fit mentio carnis animalium, ſive reptilium, ſive piſcium, ſive volucrium, ſive quadrupedum, ut facturus erat, ſi eam hominibus in alimentum concedere intendiſſet.* Jam fateor, hoc telo & Judæos pugnare, & pleroſque Patres, quibus opponit Pererius Cajetanum, Victoria, D. Soto. Parùm ſolidè, quantùm mihi videtur. Nam evidenter probatum ſuperiùs, ſub univerſali dominio Protoplaſtis conceſſo, mactationem etiam brutorum contineri. Quod ſemel Deus conceſſit, illud ne quidem veriſimile eſt, ſtricto ejuſmodi mandato interdicere voluiſſe. 2. Carnibus veſci ſuâ naturâ neque bonum neque malum eſt, ſed in genere illorum, quæ adiaphora vocamus. In his autem teſtimonium negativum S. Scripturæ, nullam habet vim perſuaſionis. Atqui hoc teſtimonium merè eſt negativum: *Non expreſſit Deus hoc verſu jus veſcendarum*

carnium: Ergo interdixit. Si hæc juſta argumentandi ratio, tum fas mihi fuerit inde concludere: in ſtatu innocentiæ ne quidem vini, aliúsve potûs uſum fuiſſe. Nam hac conceſſione Deus ſaltem cibum Protoplaſtis locavit. Quod ſi abſurdum eſt, quid juvat in carnium veſcendarum non expreſſa conceſſione tricari? Ne quidem Deus expreſſit apud Protoplaſtos, quis eſſet uſus conceſſus brutorum. Iccircóne verum eſt, nullum fuiſſe eorum planè uſum? 3. Sed & divinare licet, quamobrem in hac conceſſione nulla facta carnium mentio. Protoplaſti ſoli in Paradiſo agitabant. Plantarum autem proculdubio tanta & varietas, & ex ſuavitate delectatio, & ſalubritas, & præparandarum facilitas, præ his ut carnes fœtere deberent. Medicum hîc, ut ita loquar, ſe Deus Protoplaſtis geſſit conſulentem, quid potiſſimùm tanta in copia affluente ciborum, quæ væ etiam oculis faceret, ſanitati conduceret. Non quid vel permitteret, vel interdiceret, explicavit, ſed quid potiſſimùm conduceret. Sed & hanc liceat mihi conjecturam promere. Plantarum ingens erat multitudo, ex fœcunda terra matre ſatarum. Bruta autem animantia vix probabile eſt creata niſi par in qualibet ſpecie. Hæc igitur nondum multiplicata ſub exordium mundi mactanda præbere Deus noluit, cùm eſſet abundè ciborum & copia & ſatietas. Placere hoc video etiam Juſtino Martyri in Reſp. ad quæſt. 49. Orthodox. Inde autem religioſum aliquod interdictum fruſtra quiſquam conficere ſatagat.

XI. Pergit: *Non conveniebat excellentiæ, in qua conditus homo: & ſtatui ejus ante peccatum, ut animalia mactaret, quaſi vitam ſuam nequiret ſuſtentare, quin alteri eam eriperet, & illius ſe ſanguine pollueret.* p. 9. Hæc ratio convenientior Pythagoreo homini, vel alii cuilibet Metempſychiſtæ, vel Empedocli etiam, ἐθίζοντι εἶναι ἐς τοὺς τὰ ἄλλα μέρη δικαίους, *docenti oportere etiam erga animalia juſtitiam exercere*, ne nempe non merita occidas, Plutarch περὶ σαρκοφ. Orat. 2. Homo Chriſtianus cognoſcere & poterat & debuerat, regnum Dei non eſſe βρῶσιν καὶ πόσιν, ſed δικαιοσύνην, εἰρήνην καὶ χαρὰν ἐν πνεύματι ἁγίῳ, in quibus poſterioribus excellentia ſtatûs ante lapſum ſita, Rom. XIV. 17. Atqui *crudele, ut ſuſtentes vitam, alteri eam eripere.* Proh! Jupiter piacularis! An igitur crudele aliquid & minùs humanitati conveniens poſt diluvium indulſit Deus homini? Sed pertinent hæc ad humanam ſapientiam.

XII. Atqui *argumentum præbet nobis infantium, quaſi ſeſe in illis explicantis naturæ propenſio ad fructus. Vix ullus perdici pomum non præfert. Quid*

vero,

Digitized by Google

verò, putas, contingeret, ſi cùm paulatim infans ablactatur, maturis quibuſdam & delicatis fructibus aſſueſceret? ib. Quid hoc ad ſtatum innocentiæ? Unde liquet, eandem futuram fuiſſe in eo ſtatu conditionem infantium, quæ eſt hodiernorum. 2. Infantium naturalis propenſio ad fructus non eſt à naturali faſtidio carnium, ſed quia eorum eſt μετέχειν γάλακτος, & στερεὰ τροφὴ eſt τῶν τελείων. Aliâs magna vis conſuetudinis in utramque partem, ut neque carnes fortaſſis appetant, qui plantis aſſueti, neque plantas, qui carnibus. Quæ conſuetudinis differentia in carnivoris & radicibus veſcentibus animantibus eſt perſpicua. Vide ſummum Philoſophum Kenelmum Digbæum de Natura corporum, cap. XXXVIII. pag. 326. 3. Largiamur cibos herbis eſſe τὸ βέλτιον; non inde ſequetur τὸ ὅτι, eſum carnium prohibitum. Sed dedit hic Deus humanæ prudentiæ imperium.

XIII. Inſtat. *Poëtas, quibus moris fuerit, aliquas priſtinæ veritatis reliquias fabulis ſuis miſcere, ſcripſiſſe, homines in aurea ætate, quæ alia non fuerit ab ea, quam primi Parentes in Paradiſo agebant, fructibus arborum victitâſſe, quos terra abſque cultura ferebat.* Teſtem interrogat *Ovidium* pag. 10. Poterat Curcellæus Poëtæ, fabularum parenti, adjungere Dicæarchum in libris antiquitatum & deſcriptione Græciæ, ex quo Hieronymus contra Jovinianum tradidit, exiſtimâſſe Gentiles, carnes ſub Saturno, hoc eſt, in aureo Seculo, cùm omnia humus funderet, neminem comediſſe, ſed univerſos vixiſſe frugibus & pomis, quæ ſponte terra gigneret. Sive Ovidio, ſive Dicæarcho, ſive quocunque alio nitatur, parùm proficit. Quis enim fidem gentilibus habeat ſanus, de ſtatu innocentiæ magnifica prædicantibus, quæ vel nobis incognita, ſcripturarum beneficio uſis? Res Sacras ſuis Traditionibus quàm fœdè maculârit Sathanas, innumera ſunt documento, quæ nihil attinet commemorare. 2. Ovidio & Dicæarcho opponere licebit rigidiſſimum in hoc dogmate Pythagoræ hyperaſpiſtem Plutarchum, qui non obſcurè tradidit, primos homines carnibus victitâſſe. Imò & defenſionem primorum hominum affert ejuſmodi: *Triſtiſſima*, inquiunt, *& terribilis apprimè ætas nos excepit, cùm in immenſam atque difficillimam primi ortus incidiſſemus inopiam. Nondum ſuo loco Sol fixus hæſerat. Nondum certum conficiebat curſum. Nondum ortus ejus occaſúſque definitis diſtinguebatur limitibus. Neque ſuis ſtatis converſionibus frugifera tempeſtatum anni intervalla diſcernebantur. Ad producendos mites fructus: ad artem culturæ nullum ſuppetebat inſtrumentum: nulla ſapientiæ machina. Neque fames*

mes moram patiebatur, neque anniverſarium tempus ſementis factæ expectabat. Quid ergo mirum, ſi animalium carnibus uſi ſumus præter naturam eo tempore, quo cœnum edebatur, & cortex vorabatur ligni, & gramen invenire virens, aut radicem alicujus herbæ fortunatum putabatur: qui verò glandem guſtâſſent atque comediſſent, præ voluptate choros circa quercum aliquam, aut fagum duxerunt, vitæ datricem eam, matrem nutricemque appellantes. Vide, quæ ſequuntur orat. I. περὶ σαρκοφαγίας. Quid quòd apud eundem Empedoclea ſententia, quòd noſtræ animæ mortalibus corporibus ſint illigatæ, id ita interpretatur: *quòd pœnas eæ cædium & eſus carnium pendant.* Hæc ſi verâ, primos homines carnes comediſſe, atque inde in mortalia corpora præcipites abiiſſe oportet. Apparet igitur, quàm confuſa, & invicem pugnantia Gentiles de his rebus ſcripſerint.

XIV. Ad extremum objicit: *Tantum abeſt, ut homo in illo ſtatu carnibus veſceretur, ut ne quidem animantia, quæ hodie rapto vivunt, eas tum attingerent. Deus enim in principio rerum nulli animantium terreſtrium generi carnes in eſum aſſignavit.* pag. 11. Conſentientia nobis ſcribit, quæ noſtræ cauſæ minimè nocent. Ipſi judicamus, ſimplicitate, moderatione, aliis etiam cauſis inductos primos homines, ut à carnibus abſtinerent. Jus tantum & licentiam ipſis aſſertum imus. Cæterùm non eſt magnopere mirandum, bruta animantia in eo ſtatu raptu non victura. Nam fuit deterior eorum quàm noſtra conditio. Cur igitur illa carnibus viverent, abſtinerent homines? Videmus hodiéque majorem animalium, quàm hominum frugalitatem. Neque enim appetunt delicias alias, neque paſtu ultra ſaturitatem ſe facilè ingurgitant. 2. Non tamen idonea ratio affertur abſtinentiæ interdictum Dei, Geneſ. I. 29. 30. de quo loco ſuprà ſatis actum. *Cur verò quædam animalia, tam ex quadrupedum, quàm volucrium ordine carnes jam vorare videmus?* Curcellæus reſpondet: *Præter naturam illud eſſe, quam in Principio Deus illis indiderat.* Ego cùm nihil reperiam in carnium eſu cum natura animantium pugnans, aliis cauſis, quàm licentiæ naturam violanti imputare malim. Quid ſi languidiore influxu cœleſtiũ corporum, ſegnius alimentum Terra produxit? quid ſi non ea vi, ut animantibus præcipuè grandioribus nutriendis & ſaturandis herbæ pares eſſent? Quid ſi ardentiſſimum odium, quo invicem correpta animantia quædam, poſtquam ſemel vanitati objecta, cauſa fuit, ut laniandis invicem, vorandiſque cupiditatem vindictâ incitatam exſatiarent? Alia plurima

rima aſſerri poſſent, quæ in Phyſicorum ſcholis expoſita. *Animantium natura*, inquit, *non uſque adeò à ſtatu integritatis degeneravit, quin ſi fames urgeat, herbis libenter veſcantur.* Id verò non tantum fame preſſis, ſed & ægrotantibus certum eſt accidere. Quadrupedia, quæ ſilveſtria ſunt, eádemque ſerrata dentibus, teſte Philoſopho, carnibus omnia veſcuntur. Herbas tamen tangunt, cum morbo laborant. Canes herba ingeſta evomunt, atque ita purgantur. Lupos etiam terram comedere, cùm fament, teſtatur Ariſtoteles de Hiſtor. Animal. lib. VIII. cap. V. quem, ſi libet, conſule. In arca Noachi fieri poteſt, ut congruos cuique cibos ante Noachus parârit. Certè carnes pro carnivoris à Sapienti Noacho præparatas, cenſuêre olim Origenes, homil. II. ad cap. VI. Geneſ. & Buteo de arca Noæ. Sed & novimus eſſe fructus quoſdam communes, quibus etiam carnivora paſci queant, ut ficus & caſtaneæ. Ejuſdem generis animalia verum eſt, non eodem ſe ubique cibo ſuſtentare. Id verò totum eſt vel à caſu, vel à conſuetudine, quâ immutatum temperamentum, quæ hîc pœne utramque paginam facit. Neque admirabilior ratio eſt, cur urſi in Alpibus herbis & pomis ſylveſtribus ſe oblectent, in Groenlandia carnibus ſaginentur; quàm cur olim carnibus ſe oblectârint & brutorum cædibus Scythæ, Sogdiani, Melanchlæni, quos ex Herodoto Plutarchus nominavit loco ante citato; quin & Sarmatæ, Islandi, Lituani: ab iis contrà maximam partem abſtinuerint Ægyptii, Syri, Aſſyrii, Chaldæi, Scaligero in hoc argumento nominati, Exercit. CCVII. ſs. 2. Non deſunt etiam exempla hominum, qui cùm priùs carnibus aſſuêſſent, caſu, mutato temperamento deſueverunt, velut ſi in ſylvis vel deſtinatione vel calamitate aliquando deliteſcendum eſſet. Quæ etiam ratiò abſtinentiæ Monachorum Ægyptiorum, de quibus Sozomenus.

CAPUT III.

In ſtatu peccati, temporibus diluvium antegreſſis, carnium eſum licitum fuiſſe, probatur.

Breviarium.

Proceditur ad ſtatum peccati. Sententia Theodoreti, Tertulliani, Martyris, Merceri, Caſauboni, Toſtati, Carthuſiani. Τροφὴ

 τῶν

Digitized by Google

τῶν νεογνῶν ἱερείων quid ſit Athenæo? Antediluvianis jus carnium & qualecunq; exercitium aſſeritur. 1. Probatur illud primò ex dominio repetito. 2. Curcellæi lubricitas. Ejuſdem exceptiones. Hieronymi ſuffragium examinatur. 3. Secunda ratio à Sacrificiis Antediluvianorum. Adamus ſacrificavit. Tenupha. Theruma. Ἄθυτα ἱερὰ ἐσθίειν. Μεθύειν unde Athenæo? 4. Curcellæi exceptiones eliſæ. 5. Holocauſtum ὁλοκάρπωμα. אשה. עולה. Scaligeri error. כליל. Ἐνδελεχισμὸς ſive Sacrificium juge. Salmaſii ſententia de duabus veſperis. Mincha. Piggul. 6. Habelis Sacrificium non fuiſſe holocauſtum probatur. Pinguedines ovium. Merceri, Grotii, Seldeni vota examinantur. Habelis Sacrificium non fuit ſagmen. Locus Geneſ. XXXI. 54. 7. *De ἐμπυρισμῷ Sacrificiorum. Locum habuiſſe non tantùm in holocauſtis. Quis uſus ovium Abelis?* 8. *Tertia ratio à veſtibus pelliceis Protoplaſtorum. Procopii, Gennadii, Theodori, Origenis error. Non unicum par animantium creatum.* 9. *Exceptiones Curcellæi.* 10. *Quarta ratio à diſcrimine animalium mundorum & immundorum. De eo ſententia Iarchii, Theodoreti, Bedæ.* 11. *Exceptiones Curcellæi.* 12. *Quinta ratio defenditur. Adagium expoſitum: Amyclas ſilentium perdere.* 13. *Objectio ex Geneſ.* IX. 4. *Probatur ibi non de nova, ſed de renovata conceſſione agi.* 14. *Rationes conceſſionis carnium poſtdiluvianæ examinantur. Curcellæus Tertulliano ſubſcribit, carnes indultas ob σκληροκαρδίαν. Dogmatis impietas exaggeratur.* 15. *Rationibus aſſeritur libertas esûs ſanguinis ante diluvium.* 16.

I.

SIc in *Statu Innocentiæ* confido ſatis me obtinuiſſe licentiam carnium veſcendarum. Pergit Curcellæus *ad Statum Peccati*, qui diluvium anteceſſit. Jam confiteor lubens, Patres nonnullos, quos longiori intervallo ſecuti Lyranus, Toſtatus, Carthuſianus, negare, comeſtas Antediluvianis carnes. Itaque amplificatam poſt diluvium conceſſionem ſtatuunt, ſive quòd indigentia hominum poſt diluvium facta major ſit, Cœlorum aſpectu & influxu naturæ humanæ ſeveriore facto, tellure ſalſis Oceani aquis inunda-

ta,

ta, multum triſtiore & ſteriliore facta, & mirum in modum valetudine hominis inde labefactata: ſive quòd præviderit Deus, homines ad idololatriam fuiſſe proclives, & temerè ac impiè bruta animalia veneraturos: proinde conceſſum homini ex animantibus cibum, quò intelligeret, oppidò ſtultum & abſurdum, iis rem divinam facere, qui in prædam ipſi divino indultu conceſſerint. Ita ferè Theodoretus. Tertullianum tamen jam Montanizantem parum eſt ut moremur, cui viſum, *conceſſas demum Poſtdiluvianis carnes, propter mortalium σκληροκαρδίαν ingraveſcentem.* Quod eſt dictum & delictum hominis ad Manichæiſmum inclinantis. Doctiſſimus etiam Martyr loc. Comm. Claſſ. III. cap. V. Patrum errori ſecundas fecit. Addo Mercerum, qui ſe ſtipat omnium Hebræorum ſuffragiis. Imò & Caſaubonus in Athenæum lib. I. 11. confidenter ſatis: *Conſtat tam ex ſacris, quàm ex aliis literis, primis temporibus, ignota hominibus carnium manducatione, tantùm in honorem Numinis mactari ſolitas hoſtias. Piguit poſtea mortales olerum, & τῆς ἀσπόρου τροφῆς. Itaque cœpère carnibus veſci: ſed parcè.* Inde interpretatur illud Athenæi, viſam antiquis Heroïbus parùm convenientem τροφὴν τὴν τῶν νεογνῶν ἱερείων, *tenerarum animantium carnes.* Nobis quidem non eſt hic animus aliquid aſſerere, quod temeritatem vel arrogantiam ſpiret. Itaque ne hoc quidem liquidò adfirmabimus, in univerſum carnes crebrum & quotidianum fuiſſe Antidiluvianis cibum. Rationibus tamen mihi videor non omnino invalidis instructum, quæ probatum dent, Antidiluvianis & *jus* & *uſum* qualemcunque carnium conceſſum. Quas proinde priùs producam, & à Curcellæi Exceptionibus defendam, quàm contraria argumenta ſub incudem revoçem.

II. Primò illud ἀνεξάλειπτον, homini etiam lapſo dominium in animantia illibatum conſtitiſſe. Manifeſtum facit locus Geneſ. IX. 2. 3. 4. *Terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia. Omnia* בידכם נתנו *in manus veſtras ſunt data.* Quibus verbis cum emphaſi plenum dominium & eminens poteſtas homini reſtituitur. Nos autem, quouſque illud dominium ſe extendat, abundè explicavimus capitis II. theſi IV. & V. Ut jam dubitari nequeat, quin jus dederit ad mactandum. Argumentis meis, quæ ſuprà protuli, accedit ipſius Curcellæi vel conſenſus tacitus, vel lubricitas & inconſtantia. Fatetur enim p. 29. in caſu extremæ neceſſitatis licuiſſe, ſe carnibus animalium ſuſtentare. *Veluti,* inquit, *ſi multiplicato genere hominum dilati fuiſſent aliqui in ſte-*

rilem inſulam, & cæteris omnibus alimentis deſtitutam, ſed quæ piſculento mari allueretur: quis dubitat, eos abſque peccato piſcium carnibus ſe potuiſſe EXPLERE *& vita mutorum iſtorum natabilium diſpenſio ſuæ conſulere.* Si jus non fuit datum mactandorum animantium, tum ne caſu quidem extremæ neceſſitatis licuit citra ſonticam culpam. Quod ex præcepto Dei vel ſuâ naturâ malum eſt, quemadmodum ullo caſu vel bonum vel indifferens exiſtit?

III. Curcellæus ad argumentum excipit. 1. *Dominium hominis tum fuiſſe plenum, tum quoad jus, tum quoad exercitium, quando Adam nondum adverſus ſuum Creatorem peccaverat. Atqui illo tempore non mactabantur ad victum. Dedecuiſſet enim Paradiſum laniena fœdare.* pag. 26. 27. Reſp. Plenum omnino fuit quoad *jus.* De *exercitio* non largior. *Atqui*, inquit, *homo poterat animalia, ſi fortè rebellâſſent, partim vi, partim aſtu voluntati ſuæ ſubjicere, & ad parendum cogere.* Multa hîc peccata. Dominium reſtringit ad coërcitionem. Probatum autem, non hanc tantùm intelligi. Deinde ſupponit, animantia in ſtatu integritatis rebellatura. Eſt autem rebellio vanitati animantium deputanda, cui poſt peccati ingreſſum demum ſunt obnoxia facta. Denique dicit *potuiſſe hominem animantia ſubigere.* Quis neget, potuiſſe? Quæritur, an actu ſubegerit? Non de potentia vel jure, ſed de actu & exercitio probationem ſuſcepit. Sed cur dedecuiſſet Paradiſum fœdari lanienâ permiſsâ, utili, & in qua nihil inordinatum? 2. *Multa alia ex animantibus commoda percipere hominem potuiſſe præter eſcam.* pag. 27. Haud dubiè. Neque enim ſimplex dominium, & ad pauca reſtrictum. Probares, Curcellæe, ad iſta commoda nôn accumulatum jus mactandi. Vel enim ideo excluſum à dominio, quia Deus prohibuit carnibus veſci: vel quia carnes ad nutriendum ineptæ: vel quia crudele, cæde & vulneribus animantium ſe contaminare. Si prohibuit, ubi interdictum? Si crudelis mactatio, cur poſt diluvium à Sanctiſſimo Deo, qui crudelitatem & ſævitiam odit, conceſſa? Inutiles ad nutrimentum carnes eſſe, imperitè & inconſultò dixeris. 3. Suffragium profert Hieronymi ex l. II. adverſus Jovinianum, prolixè conceptum p. 27. 28. Reſp. Hieronymus eſt in Curcellæi caſtris, quantum negotium præſens concernit. Proinde non omiſimus jam ſuprà in adverſis partibus numerare. Fallitur autem magnopere cum Hieronymo Curcellæus. Nam Hieronymo utique non eſt propoſitum agere de temporibus antediluvianis, ſed de ſuis. Ac negat

Digitized by Google

negat diſertè, ſuis temporibus licitum eſſe carnium uſum. An igitur Dominus Jeſus, perfectionis & puritatis exemplar prævaricatus eſt, cùm piſces edit? Cùm diſtribuit & locavit populo? An Apoſtolus, omnem Dei creaturam eſſe bonam, & nihil eſſe rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur dictitans? Indigna ſanè præſumptio. Tametſi ipſum argumentum Hieronymi leve eſt omnino & pulmoneum. Nam poſitione unius finis cæteros removet, quod vetant Dialecticorum regulæ. Dixit, ad medicinam creata animantia & plantas. An-icticrco non ad eſum? Et ſi ad medicinam, an mactare non licuit? Hoc tamen Pythagoricus noſter faſtidit, tanquam paradiſi dedecus. Peccat Hieronymus, quòd inductione animantium nos urget, quæ alimentis inepta, &, ut cum Tacito loquar, Hiſt. IV. verſ. 62. 2. quæ *profana fœdáque ducimus.* Quanquam non omnibus eadem utilia pulchráque eſſe conſtat.

IV. Secunda mihi ratio à Sacrificiis Antediluvianorum petita. Sacrificiis iratum numen Sancti Patres, non indulgente tantùm, ſed inſtituente Deo, placârunt. De Habele notorium. Hariolamur etiam de Adamo. Nam veſtigium mactatarum pecudum ad ἱλασμὸν pro peccatis apparet in tunicis pelliceis, quibus Adamum & uxorem ejus veſtivit Deus Geneſ. III. 21. Unde enim tunicæ pelliceæ non mactatis pecudibus? Deinde hinc videtur nata lex Levit. VIII. 18. *Sacerdos, qui offert holocauſti victimam, habebit pellem ejus*, ubi eſt vox Hebræa עור. Denique teſtis Apoſtolus: *Vetus fœdus abſque ſanguinis effuſione dedicatum non fuiſſe, & abſque ſanguinis effuſione non fieri remiſſionem*, Hebr. IX. verſ. 18. 22. Vel igitur cum promiſſione illa de venturo ſemine mulieris nulla facta eſt Fæderis Dei cum homine ſpiritualî dedicatio & inſtauratio, quâ peccatorum ſperaret remiſſionem: vel non eſt facta ſine ſanguinis effuſione, quæ eſt genuinus ſacrificiorum character. Conſentientes habeo Doctiſſimos Cloppenburgium & Schotanum. Illum in Schola Sacrific. pag. 12. 13. hunc in Heptaëm. p. 491. Accedit Judæus author Neve Schalon. l. IX. c. V. אדם ראשון קודם שחטא היה כלו קרבן ולא היה צריך לקרבן ואחר שחטא והרגיש בחסרון לו החטא רוצה לתקן המעוות הקריבו קרבנו *Adamus antequam peccaret, totus erat ſacrificium, ideóque ſacrificio non erat illi opus. Sed poſtquam peccavit, & ſenſit defectum, quem ei peccatum intulerat; volens reparare quod perverterat, obtulit ſuum ſacrificium.* Atque

hinc jam firmiter concludo, Antidiluvianos carnes comediſſe. Nam perpetuus in Sacrificiis mos obtinuit, ut qui ſacrificant, de altari viverent. Clarè Apoſtolus: Ignoratis, quòd οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι, ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίουσιν; οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζονται, I. Cor. IX. 13. Lex diſertè ſanxit: *Omnis oblatio & ſacrificium, & quicquid pro peccato ac delicto redditur mihi, & cedit in ſancta ſanctorum, tuum erit & Filiorum Tuorum*, Num. XVIII. 9. Ergo victimæ fuerunt donum ſacerdotum ac ſtipendium, qua parte non ſunt combuſtæ. Partes etiam victimæ Sacerdoti eximias definit Deus, Exod. XXIX. 28. חזה התנופה pectuſculum agitatum, & שוק התרומה armum elevatum. *Tenupha* vocatur oblatio, ob ritum elevandi. Nam Moſes manus ſupponebat manibus novelli Sacerdotis, & elevabat eas ſurſum, ac deinde deprimebat deorſum; mox ab Oriente in Occidentem, ac demum à Meridie ad Septentrionem ducebat, ſi Jarchio & Hebræis credere fas eſt. *Teruma* verò oblatio exiſtimatur, à ſurſum uſque deorſum deſcendens & agitata. Comederunt igitur Sacerdotes carnes. Imò convivia ad id inſtituta. Videtur Gentilium Sacerdotibus idem in more poſitum fuiſſe, ut partem adolerent, partem comederent. Hinc hominem improbum Athenæus vocat, qui ἄθυτα ἱερὰ ἐσθίει. Proverbium, quo notati, qui partem adolendam Deo non conſecrârunt. Vide Caſaubonum Animadverſ. in Athen. I. 11. Quin & diſertè idem Athenæus ex Ariſtotele lib. X. p. 447. docet: μεθύειν dictum quaſi μετὰ τὸ θύειν, quòd Ethnici peractis Sacrificiis ſoliti ſunt in conviviis ſolennibus liberaliùs genio indulgere. Proinde etiam juris Hebræorum lex centeſima trigeſima tertia eſt מצות אכילת שאר מנחות *Præceptum de comedendis reliquiis munerum.* Sed & naturalis ratio dictat, in uſu hominum eſſe debere, quæ Deo ſacrificantur. Abſque quo eſſet, non mereretur laudem Deo devovens illa, quæ vel nullum vel mediocrem uſum ſibi præſtant.

V. Sentit hoc argumento ſe premi Curcellæus. Haud igitur deſultoriè cum eo congreditur. Reſpondet 1. *Malè conſequentiam duci à Seculis diluvium conſecutis ad ea, quæ anteceſſerunt. Mores perpetuis mutationum viciſſitudinibus eſſe obnoxios, & quæ nunc atque hîc obſervantur, olim & alibi fuiſſe incognita, & contrà*, pag. 31. Atqui primò Apoſtolus cùm dicit, eos, qui altari adſident, de altari participare, non, quid hoc vel illo tempore factum ſit, explicat, ſed reſpicit ad τὸ ἐπιει-

κὲς

πρὸς τὸ πρέπον, ad illud, quod juſtum & ęquum fuit. Sacerdotes jugulabant, excoriabant, ſecabant, coquebant. Quod operoſum eſt. Æquum fuit igitur, ut pro mercede portionem ſibi decerperent. Hinc Apoſtolus infert, non eſſe ſtipendiis pręcones Evangelii defraudandos. Deinde laudi datum Abeli, quòd obtulerit non graciliores de grege, ſed מחלביהן *de adipibus eorum*, Geneſ. IV. verſ. 3. Hoc indicat, carnes comedi ſolitas. Secus non vertiſſet in gloriam Habelis, quòd graciliores ſibi ſervavit, pinguiores Deo devovit. Ambroſius lib. II. de Caino & Abele cap. V: *Abelem à Deo prælatum Caino, quòd pinguiora gregis offerret, ſicut David docet, dicens: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Et: Holocauſtum Tuum pingueſiat. Hoc docens: Acceptabile eſſe ſacrificium, quod pingue, quod nitidum, & quodam pabulo fidei ac devotionis, verbique cæleſtis uberiore alimonia ſaginatum.* Hinc Cajetanus Comm. ad Geneſ. IV. *Paſtorale*, inquit, *officium Abelis teſtatur, gregem ovium humanis uſibus ſerviſſe, non ſolum præbendo lanas & agnos. Niſi fuiſſent agni hominibus ad eſum, nulla fuiſſet laus Abelis ex eo, quòd primogenitos pingues elegiſſet ad Divinum Sacrificium. Perinde enim fuiſſet Abeli pingues atque macilentos ſacrificare, ſi non propter eſum carnium, ſed propter ſolum pellium uſum gregem paſcebat.* Quin & hoc Moſes non obſcurè innuit, eodem ritu Habelem ſacrificâſſe, quo eſt ſub lege ſacrificatum. Sicut igitur ſub lege pinguedo in altari Deo adolita, reliquiæ Sacerdotibus Sacræ, ſic Habel Deo pinguedinem obtulit, ſibi reliquias vindicavit. Imò cùm ante Moſaïcam legem convivium ex Sacrificio celebravit Patriarcha Jacob Geneſ. XXXI. 54. non potuit ille ritus non manare ab antiquiſſima traditione. Denique accedit his omnibus ratio Præcepti Moſaïci, quam Judæi perhibent apud Rabbi Levi Barzelonitam שבבר הוא לקרבן שיאכלוהו משרתי השם בעצמם ולא שיתנוה לפחותים לאכלם: *Quia hoc eſt de dignitate Sacrificii, ut edant illud Miniſtri Dei Benedicti ipſi, non autem eſui inferiorum deſtinent.*

VI. 2. *Sub lege*, inquit, *fuiſſe oblata plurima holocauſta, quæ (ut nomen ipſum ſignificat) tota conſumebantur. Talia erant, quæ ſingulis diebus, manè & veſperi, in Tabernaculo primùm, deinde in Templo Hieroſolymitano fiebant, unde nec Sacerdotes, nec ulli alii quidquam delibabant.* pag. 31. 32. Ita eſt. Hinc Holocauſtum quaſi ὅλον καυστὸν, totum combuſtum. Frequenter etiam Græci convertunt ὁλοκάρπωμα, quòd totum in Dei fructum cederet. Καρποῦσθαι dicunt, quæ abſumuntur igne. Quod Latini non poſſunt exprimere, niſi voce adolendi. In Hebræo eſt

עולה

עולה ab aſcenſione in fumum. Alibi etiam אשה עולה Levit. I. 9. 13. Qua in re deceptus incomparabilis Scaliger, qui אשה conatus eſt reddere Sacrificium igniarium. Atqui non אשה ſimpliciter eſt igniarium Sacrificium, ſed junctum cum עולה. Aliàs etiam in Sacrificio non holocauſto ſignificat eam partem, quam ignis vorat & conſumit. Significantiùs etiam כליל vocat Moſes Levit. VI. 23. cujus nullam partem Sacerdos decerpſit cap. V. 16. Tale omnino ὁλοκαύτωμα fuit עולה תמיד Græcis ἐνδελεχισμὸς, Sacrificium juge. Deſcribitur Num. XXVIII. 3. 4. 5. 6. Duplex fuit juge Sacrificium. Unum, quod manè offerebatur ab ortu Solis. Alterum, quod בין הערבים inter duas veſperas. Salmaſii Illuſtris ſententia hodie ferè inter eruditos recepta: ערב eſſe totum tempus pomeridianum, quod in duas partes antiquitus diſtribuebant. Unde dicebatur inter duas veſperas fieri, quod circa tertiam horam fiebat, ex noſtra numeratione. Salmaſio tamen cùm alia, tum obſtare illud videtur, quòd ſancitum Levit. VI. 2. ut holocauſti aduſtio in altari fiat כל הלילה עד הבקר *tota nocte uſque ad mane.* Eſt autem vero diſſimile, holocauſtum juge veſpertinum à tempore pomeridiano ad matutinum uſque igni altaris ſufficientem fomitem miniſtrare potuiſſe. Confer Maimonidem in Summa Thalmud. Tract. de Precib. & Bened. Sacerdotum c. III. ſ. 2. Sed hęc ἐν παρόδῳ. Cęterùm non ſola holocauſta penitus conſumta, ſed etiam Sacrificia, quorum ſanguine aſpergebat altare Templi interius Levit. VI. 30. Sacrificia etiam Sacerdotis v. 33. Denique Piggul, ſive Sacrificium, de quo Sacerdos offerens tempore mactationis ſuſcipit פסול מחשבה *pravam cogitationem.* De quibus vid R. Levi ad Præc. 142. 143. 145. & ſeq. Nam Sacerdotibus nefas fuit iis veſci.

VII. Quid ergo? Victas manus dabimus? Nempe, ſi probationem ſuſceperit ſolidam, Adami & Habelis ſacrificia holocauſta fuiſſe. Hoc autem cur largiremur? Fuerunt præter holocauſta in lege alia etiam ſacrificia. Puta εὐχαριστικὰ שלמים & ἱλαστικὰ, quæ Moſes vocat כפרים propitiatoria. De his Sacerdos ſibi partem delibavit, & Sacro epulo conſumſit. Moſes vocat מנחה Apoſtolus θυσίαν. Utraq; vox laxior. Tam כפר ſive propitiatorium & pacificum, quàm עולה ſive holocauſtum complectitur. Non fuiſſe holocauſtum ex re ipſa patet. Obtulit enim de pinguedinibus gregis. Quod duplicem ſenſum recipere poteſt, vel, ſacrificâſſe oves pinguiores: vel pingue-

Digitized by Google

pinguedinem ovium. Si prius, non conſtat Habelis laus, niſi graciliores in cibum proprium ſervavit. Si poſterius, quod collata lege Levit. VI. 12. pœne certum, neceſſum fuerit, adipem ſacrificâſſe, reliquias epulo θυσίμῳ conſumpſiſſe. Sed & conſtat, quam ſignificationem holocauſto, quam propitiatorio ſive ἱλαστικῷ Hebræi tribuant. Illud ſum̃um & eminens Dei in omnia imperium, ac proteſtationem, quòd ſacrificans ſe Deo totum devoveat, & in omnia obnoxium faciat, adumbrare. Hoc propitiationis & reconciliationis cum Deo negotium figurare. Illud ſuo Sacrificio videtur etiam Kainus intendiſſe. Propterea Mincham obtulit ex frugibus terræ, quas corrumpi penitus decuit. In quo igitur καλλιερήματος Habelis prærogativa, ſi non in eo, quòd ἱλασμοῦ cum Deo negotium curavit, quam ſupinè neglexit Kainus? Habet, fateor, Curcellæus ὁμοψήφους magnos viros, Mercerum, Grotium, Seldenum. In Mercero tamen conſtantiam deſidero. Alibi enim, ubi contra eſum carnium pugnat, argumento noſtro, à Sacrificiis Antediluvianis petito, contraniſus, pertendit fuiſſe holocauſta, Comm. in Geneſ. IX. Quod evertit Comm. ad cap. IV. ubi negat igne cœleſti Habelis Sacrificium appetitum, hac ratione: *quòd ignis Sacrificia, quæ comburebantur, utpote animalia, è Cœlo devoràrit, non ſacrificia cibaria, quæ non urebantur, ut erant Habelis.* Si cibarium fuit Habelis ſacrificium, fuerint igitur carnes indultæ ad eſum. Grotio nihil hic utor. Neque fortaſſe ipſe Curcellæus. Contendit enim hoc argumento, Habelem Deo ne quidem animalem hoſtiam obtuliſſe, ſed lanam & lac pinguiſſimum, ut obtineat, fuiſſe ſacrificium Kaini & Habelis ſagmen. Neque veretur Sanctorum Patriarcharum Sacrificia cum Gentilium holocauſtis comparare. Qui ſpecimen στρεβλώσεως S. Literarum requirit, iſtum locum inſpiciat. Jam de Seldeno Doctiſſimo, quem ſuum Curcellæus facit. Vellet holocauſta ſola ante legem in uſu fuiſſe. Non enim celebratum epulum ſacrum ex parte immolata. Quid ergo faciendum Sacrificio Jacobi, qui epulum ſacrum poſt ſacrificium celebravit, Geneſ. XXXI. 54. Niſi fortè ſacrificium Jacobi non religioſum fuit, ſed civile, ſymbolum nempe externum icti fœderis cum Labane, ut ſic נחר ſimpliciter ſit mactare. Sed fac omnino, ſacrificia Antediluvianorum holocauſta fuiſſe. Non frangit vim argumenti. Nihil enim Deo ſacrari poteſt, quin ſit in uſu hominum. In ſacrificiis enim ſuam obligationem teſtabantur. Hinc devoverunt meritò id, quo omnium maximè in hac vita ſuſtentanda ſunt quotidie uſi.

VIII. *Si veteri*, inquit, *Traditioni credimus, Deus igne Cœlitus demiſſo Abelis ſacrificia, non Kaini conſumſit.* pag. 33. Plerique omnino, tum Hebræi, tum recentiores & veteres Theologi cenſent, Sacramentum approbatæ victimæ Habelis fuiſſe viſibilem ἐμπυρισμὸν ab igne Cœlitus deſcendente factum. Præivit Theodotio, qui וישע vertit ἐνεπύρισε. Secutus Hieronymus quæſt. in Geneſin: *Unde poterat ſcire Cain, quòd fratris ejus munera acceperit Deus, niſi illa traditio vera eſſet, quam Theodotio poſuit?* Cui ſecundas faciunt Chryſoſtomus, Theophylactus, Cyrillus, Procopius, alii. Quin & ſub lege, conſtituto jam in ara perpetuo igne Sacro, ſæpius extra ordinem ignis è Cœlo lapſus victimas abſumpſit. Sed, Curcellæe, an exceptis holocauſtis inflammabile nihil fuit? An in Pacificis & hoſtiis pro peccato, quorum armus & pectuſculum ſacerdoti ceſſit, non fuit pinguedo combuſta, ut fieret Deo odor bonæ fragrantiæ? An igitur ſacrificium Habelis, & in eo adeps adolenda non potuit cœleſti igni fomitem ſuppeditare? Næ falleris nimium! 4. Urget porro: *Ex laudibus Habelis non evinci, carnium eſum ſub mundi initia fuiſſe receptum. Rationem quippe docere, nihil niſi optimum & præſtantiſſimum Deo offerendum*, ibid. Reſp. Omnino nihil niſi optimum & præſtantiſſimum Deo offerendum. Tametſi enim neque jucunditate vervecinorum viſcerum, neque nidore ſumptuoſiſſimarum victimarum ſibi delicias facit; attamen rectitudo animi delectat, & pia ac illibata venerantium voluntas. Non poteſt autem optimum & præſtantiſſimum eſſe, niſi maxima utilitate offerentem mactet. Proinde, ſi ejuſmodi Habelis Sacrificium fuit, ipſi ad eſum utile eſſe debuit. Jam dicat, *fuiſſe in uſu maximo oves Habelis.* Lac enim & lanam dediſſe. Quæ duo propterea oblata Deo Grotius dicit. Sed quid hæc ad diſcrimen inter graciliores & pinguiores oves? Pinguedinem diſertè Moſes nominat. Quamobrem ad uſum reſpicit, qui in cibo locum habuit. Deinde cibum Antediluvianorum Curcellæus reſtringit ad alimentum ex herbis & oleribus virentibus. Ex quo ſequitur, ne lacte quidem integrum fuiſſe veſci. Quod igitur tandem emolumentum præſtiterunt Habeli pinguiſſimæ oves, quibus cùm ſe in Dei gratiam defraudaret, tanta Moſi ac Paulo in prædicatione fuit?

IX. Tertium argumentum ſuccedit. Promimus inde, quòd pellibus ferarum Deus Protoplaſtos nuditate ſua perculſos veſtivit. Ac ſuo exemplo non obſcurè docuit, homines eodem modo de veſtimentis

mentis

Digitized by Google

mentis ſibi providere poſſe & debere. Sic autem Moſes: *Fecit Deus Adamo & mulieri tunicas pelliceas, & veſtivit illos.* Geneſ. III. 20. Maſtari igitur animantia debuerunt. Quid ergo de carnibus fieri debuit? Comeſtæ haud dubiè fuerunt, non rejectæ. Si rejectaneæ, non igitur fuerunt κτίσμα Θεοῦ καλόν, 1. Tim. IV. 4. Procopium qui tueatur, nemo eſt, ſtatuentem tunicas ex nihilo creatas. Neque Gennadius aſſenſum impetrat: *Non pelliceas fuiſſe veſtes, ſed arborum corticibus detractis conſutas.* Quem ſequitur Theodorus Heracleotes. Origenes more ſuo ἀλληγορεῖ. Intelligit ipſa corpora, quibus animæ antea conditæ ſunt indutæ. Utrique, Theodoro & Origeni hæc ratio, cur à ſimplicitate verborum recederent: *quòd non potuerint eſſe pelles ex mactatis animantibus, cum Deus bina feciſſet, & nullus adhuc partus editus eſſet.* Quos meritò hac nota perſtringit Theodoretus: τὸ μὲν περίεργον, τὸ δὲ ἄγαν μυθῶδες. Ad rationem allatam reſpondet: χρὴ τοίνυν στέργειν τὰ γεγραμμένα, καὶ εἰδέναι, ὡς οὐδὲν ἄπορον τῷ τῶν ὅλων δημιουργῷ. Neque ſanè tanti eſt ratio Theodori. Nam unicum in qualibet ſpecie par creatum eſſe, definitur ἄτερ γραφῶν. Quid ergo ſi dicamus, ut ſunt conſervata ſeptem paria mundorum, unum immundorum in arca, ad generis conſervationem: ita ad primam propagationem totidem eſſe condita?

X. Excipit Curcellæus 1. *Exuvias potuiſſe adhiberi animantium, quæ fato ſuo perierant.* pag. 34. Reſp. Aſſerit, non probat, potuiſſe. Eadem igitur facilitate rejicitur. Imò indignum & Deo & homine, veſtitum conficere & inducere ex νεκριμαίῳ, morticinio animalis. 2. *Potuiſſe retineri exuvias animantium, quæ Deo in Sacrificium fuerant oblata.* ibid. Reſp. Omnino contendimus, veſtem Adami fuiſſe ex animali ad ſacrificium mactato. Atque hoc ipſo argumento ſupra Adami ſacrificium ἱλαστικὸν comprobavimus. Sed & illud liquidò jam conſtat, eadem animalia ad uſum proſtitiſſe, quæ ad ſacrificium. 3. *Deum non improbâſſe, ut commoda ratione corium animantibus detraherent. Sed nullo indicio patefeciſſe, ſibi placere, ut eorum carnibus veſcerentur.* ibid. Reſp. Quomodo detraxerit, an ipſe nullo miniſtrante, an miniſterio vel Angelorum, vel Adami, definiant, quibus otium eſt infructuoſas ſubtilitates conſectari. Nos nihil dicere habemus. Non opus erat indicio, eſum carnium Deo placere, cùm ſit in genere adiaphororum, quæ affectus animi bona vel mala facit. Habebant æquè atque nos, homines illi primi legem Regiam, dictantem juſtitiam, quam oportuit pro re nata exerceri. Deinde, ſi ſilentium Moſis argumen-

gumento eſt, non placuiſſe Deo eſum carnium, eadem ratione concludi poteſt, non placuiſſe eſum panis, cùm nulla fiat mentio frumenti, vel potum lactis & vini, quæ nullibi diſertis verbis indulgentur. 4. *Si ita argumentari liceat, etiam excuſabiles futuros Adamum & Evam, fructum vetitum comedentes.* ib. Reſp. Diſparitatem etiam lippi vident. Adamus interdictum habuit, verbis conceptis exſertum. Illud torqueri nullo prętextu poterat. De non comedendis carnibus neque gry, neq; my. Quòd enim pro cibo determinavit olera & herbas Deus, argumento non eſt, carnes ab uſu removiſſe. Hoc jam ſupra diſcuſſimus.

XI. Quartum argumentum dictat deſcriptum à Moſe ante diluvium inter animantia munda & immunda diſcrimen. De quo ſic: *De animantibus mundis ſumes in arcam ſeptena & ſeptena. De immundis duo.* Geneſ. VII. 2. 3. Hoc diſcrimen evidenter ſupponit carnium uſum. Munda, quorum ſolita alimenta; immunda, quorum inſolita. Variè quidem in exegeſi hujus diſcriminis eruditi certant. Hebræis placet, differentiam hîc deſcriptam κατὰ πρόληψιν legis Moſaicæ. Quaſi Noachus legem anticipârit. Sic Jarchius: העתידה להיות טהורים לישראל למדנו שלמד נח תורה: Conſentiunt Theodoretus, Beda, Abulenſis. Sic jam Noachus fuerit legi Moſaicæ devinctus. Et munda ac immunda fuerint eadem, quæ ſub lege. Neutrum vero conveniens. Sed anticipaverit legem, Deo jubente: Ergo quemadmodum ſub lege, quæ munda fuerunt, ideo talia fuerunt, quia ad eſum æquè atque ad ſacrificia deſtinata: ſic ob eaſdem cauſas munda quædam fuerint tempore Noachi. Alii dicunt immunditiem fuiſſe ex inſtituto & opinione hominum, à ſacrificiis ſegregantium animalia, ſanguine, rapto, aut fœdo genere eſcæ victitantia. Quæ ſententia nihilo melior. Quaſi humanæ optionis ſit in cultu Dei poſitivo, qualis ſacrificiorum fuit, propria authoritate quidquam conſtitutum dare, quod non prior Deus mandârit diſertè & præſcripſerit. Genebrardus Chronol. pag. 14. citat Prophetiam Enochi, extantem apud Æthiopes in Regno Reginæ Sabæ Abyſſina Lingua, in qua tradebantur Dei mandata de Sacrificiis & Divino cultu, juxta quæ Noë hoſtias obtulit de animantibus mundis & immundis. Sed ſuppoſititium eſſe ſcriptum cùm alii, tum nuper Cl. D. Hottingerus demonſtravit. Quid ergo? Munda fuerunt, quæ non faſtidit natura. Immunda, quæ fœda & profana, & quæ, ut Tacitus loquitur, *in uſum nominis neceſſitas vertit.* Immundum autem reddit vel corporis

forma,

forma, vel victus impurus & deteſtabilis, vel ad cibum ineptitudo, vel quod ſanitati noxam adfert. Talia crocodili, ſerpentes, vultures, corvi, canes, & ſi quid aliud.

XII. Evidentem rationem Curcellæus impetit. 1. *Munda & immunda vocari propter Sacrificia, ut ſanctiſſimo Deo nihil niſi mundum offerretur: non propter eſum.* pag. 35. Reſp. Inſtituto merè humano? Falſum. Divino? Non intercedo, quò minùs dicatur, inſtinctu Dei non ſacrificata animalia niſi munda. Decuit enim immolari, quæ in uſu hominum antecelluerunt. Quò pertinet, quòd juſſus Noachus in Arcam ſeptena & ſeptena recipere. Quod ſic eruditi exponunt, tanquam tria paria multiplicationi, ſeptimum adjectum obligationi & Sacrificio inſerviiſſent. An igitur non licita edi? Imò quia in naturali uſu munda, ideo ad ſacrificandum adhibita. Non contrà. Et quæ ſit inter ſacrificia & animalium uſum connexio, ſupra ex vero expoſitum eſt. Quin & ponderari velim, delectum ciborum figuraſſe excluſas gentes à communione fœderis externi. Hinc delectu ciborum ſublato, & conceſsâ facultate mactandi in Divina viſione, Petrus concluſit: *Nunc ex veritate cognoſco, quòd non ſit perſonarum reſpectus apud Deum, ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur juſtitiam, Deo acceptus eſt,* Actor. X. verſ. 11. 12. &c. cum verſ. 34. 35. Atqui ante diluvium rejectas eſſe gentes à communione Eccleſiæ, & externa ejus ſocietate, non conſtat. Hoc judicioſè obſervatum etiam Pientiſſimo noſtro Zwinglio. 2. Geneſ. IX. *ubi Deus eſum permittit, diſtinctionem iſtam ne verbo quidem attingi, & nullam prorſus animalium ſpeciem, ſed tantùm ſanguinem excipi*, ibid. Reſp. Quis miretur? Diſtinctio enim inter munda & immunda non fuit ex Divino mandato propter pietatem & religionem inducta, ſed homines ea immunda duxerunt, quorum naturaliter nauſeâ capti fuerunt. Non igitur neceſſum Deo fuit diſtinguere vel excipere. Deinde quid opus erat temporalem exceptionem cum perpetua lege conjungere, ſi maximè conſtaret diſcrimen propter religionem inductum. Hoc eruditè Calvinus monuit.

XIII. Quinta ratio inde nobis petita, quòd animalibus ad eſum non mactatis, videatur, exundante immenſâ multitudine, homines in diſcrimen vitæ adduci potuiſſe. Quis enim dubitet, quin populabunda vel agros invaſiſſent, & fruges Terræ conſumſiſſent, unde neceſſum fuiſſet tot hominibus cibum ex oleribus & her-

bis deficere; vel homines ipſos perpetuis inſidiis appetiiſſent. Unde nunquam à metu vacandi locus. Cùm ex Pythagoræorum de non edendis carnibus doctrina Amyclæ nefas duxiſſent, Serpentes occidere, tanta increvit multitudo, ut civitatem eam deleverint, teſte Plinio. Unde vulgari adagio dicitur: *Amyclas perdere ſilentium.* An idem non eveniſſet Antediluvianis? Excipit Curcellæus: *Quoad domeſtica animalia, ſi hominum deſit cura & labor, non valde multiplicari; & ſibi relicta vel morbis peritura; vel feris in prædam fuiſſe ceſſura. Fugacia, auctore experientia, non multiplicari etiam in locis illis, ubi nemo illa perſequitur.* pag. 36. 37. Reſp. Experientiam ſi rogaremus, fortaſſe alia omnia veritati daret. Videndi ſunt rerum naturalium conſulti, Plinius, Ælianus, Aldrovandus. Cumprimis Benedictio Divina obſtat: *Creſcite & multiplicamini.* Non negem accedente hominum cura faciliùs multiplicari. Argumento fuerit pecuaria apud diverſas gentes. Abſque tamen illa fuiſſet, multitudo animalium & exuberantia moleſtiam creâſſet. 2. Ergò feris carnes in prædam ceſſuræ? Quidnî igitur etiam hominibus? Non eſt, cur conditionem deteriorem fingamus hominis, quàm beſtiarum. 3. Neque facilè quiſquam habere fidem poteſt dicenti; etiam in illis locis, ubi nemo feras perſequitur, & cubilibus ſuis excutit, non adeò multiplicari. Quod enim in hiſtoria de Balearibus inſulis commemorari ſolet, cuniculos ibi tantâ copiâ aliquando graſſatos, ut ad pellendam eorum vim Romanorum ſuppetiis opus eſſet, idem alibi ſæpiuſculè factitatum. Ac præcipuè Germania Gradivo tamdiu lacerata, & pœne in vaſtitiem data. Cujus cultui arte & induſtria poſtliminio quæſito quantum noceant turmatim irruentes feræ, & ſegetes vaſtantes, compertum ſatis eſt.

XIV. Atque ſic conſtare arbitror, Antediluvianis jus competiiſſe carnium. Unum tamen eſt, quod οἱ ἐξ ἐναντίας magno in nos impetu intorquent, quódque ſuum etiam Achillem Curcellæus facit. Videtur enim Deus poſt diluvium demum facultatem conceſſiſſe carnium, in verbis Geneſ. IX. 3. *Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia. Veruntamen carnem cum ſanguine non comedetis.* Ergo diluvium retro nefas fuit. Hoc ſcutum obtendunt, quotquot adverſum ſuſtinent. Hebræos magna nube citat R. Manaſſe in Conciliat. quæſt. IX. Aben-Eſdras: עַד כֹּה לֹא הִתִּיר הַבָּשָׂר אַחַר הַמַּבּוּל: *Uſque ſic non conceſſit carnem uſque poſt diluvium.* Baſilius: ἡ πρώτη νομοθεσία τῶν καρπῶν ἀπόλαυσιν συνεχώρησε. *Prima legiſlatio fructu-*

fructuum uſum conceſſit. Idem placuit Tertulliano, Origeni, &, ut Mercerus loquitur, pleriſque noſtris in locum illum commentantibus. Pererius tamen, ſuffragiis adjutus Chryſoſtomi & Theodoreti negat ex hoc loco confici, ante diluvium illicitum fuiſſe carnis eſum. Cenſet ergo, *non interdictum quidem eſum: ab eo tamen viros religioſiores abſtinuiſſe, puta poſteros Sethi.* Horum quidem Sanctitas & rectitudo celeberrima. Non perſuadeor tamen, vel in univerſum abſtinuiſſe, vel religione inductos. Sic enim, Deo non mandante, ejus ob ἐθελοθρησκείαν offenſam incurriſſent. Addo, in Sacrificiis non potuiſſe ſibi temperare. Paræus, Calvinus inclinant, non de nova conceſſione agi Cap. IX. ſed de renovata & repetita. Id jam firmiter eſt nobis comprobandum. Primùm igitur non erat conſentaneum, ut homini poſt diluvium plus daretur poteſtatis in animalia ratione uſus, quàm vel initio mundi, vel à lapſu Adami. Sic enim per Antediluvianorum ſummam malitiam & exultantem petulantiam amplitudinem poteſtatis extenſiorem acquiſiviſſent. 2. Si nova eſſet, non renovata legiſlatio, non potuiſſet Deus Sacrificiorum legem jam longè ante illa tempora ſancire. Non potuit enim illa ratione ulla conſtare ſine carnium conceſſione. 3. Eodem modo ſe habet conceſſio carnium, quo cæteræ benedictionis & conceſſionis Divinæ partes. Puta, quòd jubentur creſcere & multiplicari: dominari ſuper beſtias terræ & volatilia Cœli: Comedere herbas & olera: abſtinere à ſanguinis effuſione. Atqui hæ poſteriores leges non novæ ſed repetitæ ſunt. Nam etiam Adamo latas eſſe, quis dubitare poteſt? Talis igitur eſt etiam de carnibus νομοθεσία. 4. Si nova eſt carnium conceſſio, nova æquè fuerit oportet ſanguinis comedendi prohibitio. Sic enim Moſes: *Omne reptile vobis erit in eſcam: ſicut germen herba vobis dedi omnia. Veruntamen carnem cum anima ejus, quæ eſt ſanguis, non comedetis.* Atqui novum eſſe de ſanguine non comedendo præceptum, Curcellæus conſtanter negat. Ergo nova etiam non fuit conceſſio carnium, ſed repetita. Argumentum eſt ad hominem. 5. Minimè probabile, veteres ante diluvium, quorum malitia ultra modum jam proceſſerat, in illa rerum confuſione abſtinuiſſe animantium carnibus. Qui abſtinerent à vorandis carnibus, qui ne quidem à fundendo ſanguine hominis temperârunt: quorum profuſa ingluviei intemperantia Chriſto notata? Si ederunt carnes, vel adverſus legem, vel ex permiſſione. Si contra legem, crimen graviſſimum fuerit, quia poſitivæ legis

trans-

Digitized by Google

transgreſſio. At nihil de eo in recenſione peccatorum, ob quæ aquæ mundo immiſſæ. Non igitur in uſu carnium, ſed in poteſtatis abuſu deliquerint, quem Chriſtus meritiſſimè traduxit. 6. Suffragium acumulo omnium graviſſimi Interpretis Calvini: *Ultra*, inquit, *progreditur Dominus, & animalia in cibum hominibus concedit, ut eorum carne paſcantur. Quia autem nunc primum Moſes hoc juris hominibus datum fuiſſe refert, colligunt omnes ferè interpretes, homini ante diluvium fas non fuiſſe veſci carnibus, ſed nativos tantùm fructus terræ illis fuiſſe pro cibo. Sed argumentum non ſatis firmum eſt. Ego enim principium illud teneo: Deum hic non plùs largiri hominibus, quàm dederat: ſed tantùm reddere, quod fuit ablatum, ut poſſeſſionem bonorum, unde fuerant depulſi, iterum ornant.* Hactenus Calvinus. Quid igitùr cauſæ, cur demum à diluvio Moſes carnium mentionem fecerit? Nempe, quia Deus voluit legem ſancire de ſanguine & ſuffocato non comedendo. Hæc exceptio, quia opponi debuit generali conceſſioni, priùs neceſſe habuit ipſam conceſſionem repetere, ut exceptio intelligi poſſit faciliùs. Eam viam Deus Legiſlator retinet, quam nuper ingreſſus cum Adamo erat. Gen. II. 16. *Ex fructu omnis arboris hujus horti liberè comedes: Ex fructu verò arboris ſcientiæ boni & mali ne comedas.* Exceptioni generalem conceſſionem ſubſtravit. Sic hoc loco. Carnem comedes ſicut herbas, ſed ſanguinem non comedes. Quaſi diceret: Quod ſanguinis eſu vobis interdico, non ideo coarcto poteſtatem veſtram, non prohibeo, quò minùs carnibus veſcamini. Veſcimini liberè, æquè ac herbis. Sed ſanguinem ſegregate, & cum carnibus ne comedite. Fatetur Curcellæus, reſponſum iſtud veri ſpeciem habiturum, ſi conſtaret, licitum fuiſſe Adamo in ſtatu integritatis carnem uſurpare ad alimentum, Nos & reſponſum noſtrum firmiſſimis rationibus adſtrinximus, & probatum ſupra dedimus, in ſtatu integritatis, & à lapſu Adami licitum fuiſſe. Nolumus igitur operam ludere.

XV. Cauſam inquirit deinceps Curcellæus conceſſionis hujus Poſtdiluvianæ. Theologos reddere quaſdam hujus indulti rationes. Videlicet *Terræ corruptionem per aquas maris ſalſas, quibus diluvii tempore operta fuerat, adeò ut non poſſet ampliùs tam probum atque antea hominibus alimentum ſuppeditare: item inſignem humanarum virium diminutionem, quam arguit brevitas vitæ eorum, qui poſt diluvium nati ſunt, ſi cum antediluvianis conferantur.* Hæc judicat veritati conſentanea. Ego neutrum calculo dignor. Quaſi ante diluvium aquæ maris ſalſæ totum Ter-

rarum

Digitized by Google

rarum orbem non perfuderint. Et cataractis Cœli ſolutis aquæ cœlitus ruentes Terram, non ſalſæ maris oppleverunt. Neque verius, quòd vires humani corporis diluvio fractæ ſint. Decurtatę hominum vitæ alia & altior cauſa. De cætero Poſtdiluviani neque corporis habitu, neque animi viribus infrà homines anteriores fuerunt. Diſputatio, quam ſubnectit de ſalubritate & præſtantia herbarum præ carnibus, περίεργος planè & ἀλλόκοτος eſt. Nam, quod in veſtibulo noſtræ tractationis monuimus, non eſt hîc quæſtio de medica à carnibus vel ſanguine abſtinentia, ſed de religioſa, imperio Dei injuncta. Deinde ita agit, tanquam è cenſu καλῶν τοῦ Θεοῦ κτισμάτων carnes eſſent expungendæ, quæ veterum Pythagoræorum & Manichæorum deliria fuerunt. Hinc adoptat & prædicat tantopere Tertulliani Montanizantis præceps & periculoſum dogma: *eo ferè modo Deum Noacho & Filiis ejus conceſſiſſe eſum carnium, quo poſtea Iſraëlitis propter duritiem cordis ipſorum, repudii libellum uxoribus dare permiſit: nempe quia videbat vix aliter poſſe hominum gulam compeſci, quàm liberam faciendo eis poteſtatem, cibos, quibus jam aſſueverunt, vel quos valde appetebant, uſurpandi.* Imò acri tibiâ decantat Philoſophos & Sacerdotes Gentiles, Ægyptios, Perſas, Indorum Gymnoſophiſtas, ipſum Pythagoram, cujus duos περὶ σαρκοφαγίας libros laudat. Eſtne magis ſive Manichæorum, ſive Encratitarum, ſive Marcionitarum, ſive Ebionitarum, ſive Papiſtarum de carnibus doctrina, dæmoniorum doctrina, quàm Curcellæi? Si de immoderato carnium uſu loqueretur, non improbaremus? Nunc patet, in univerſum ipſi pravum exiſtimari carnium eſum. Quid enim aliud eſt, dicere: Carnes conceſſas ob σκληροκαρδίαν hominum? Quæ in V. T. ob duritiem cordis humani indulta ſunt, ea ipſe fuerunt lege reſtricta, adeóque mala. Sic polygamia, divortium, & ſi quid aliud. Hæc enim cum lege divinitus data diſertè pugnabant. Ideo Chriſtus ad veterem normam conformavit. Quantò meliùs cum Apoſtolo dixiſſet: *Omnis creatura Dei bona, & nihil rejectaneum, cum gratiarum actione ſuſceptum.* 1. Tim. IV. 4. *Novi & perſuaſus ſum in Domino Jeſu, nihil pollutum à ſe ipſo eſſe, niſi ei qui reputat aliquid pollutum eſſe.* Rom. XIV. 14. Cur judicat fratrem, & conſcientiam infirmi verberat, & perdit eum, pro quo Chriſtus eſt mortuus? Et docet Regnum Dei eſſe βρῶσιν καὶ πόσιν, ut obliviſcantur homines juſtitiæ, pacis, gaudii in Spiritu Sancto, & τῶν βαρυτέρων τοῦ νόμου? Si ob σκληροκαρδίαν homini conceſſæ carnes, cur Deus ſibi in Sacrificiis illas devoveri curavit?

F Cur

Cur Chriſtus, quem dicunt Spiritualem, Angelicam & excellentiorem illâ, quam Moſes mandavit, vitam injunxiſſe, non correxit? Cur magis declaravit, nihil, quod ingreditur in os hominis, polluere poſſe? Imò ipſemet exemplar Sanctitatis & Juſtitiæ ab eſu carnium cur non abhorruit? Niſi fortè in eo peccavit Sanctiſſimus Salvator. Quem omnino βλασφημοῦντες dicunt *Legi Divinæ non obedire, & ſic non obediendo peccare potuiſſe*, in Reſp. ad Excerpt. Specim. XVIII. Sed hâc jam provinciâ, in qua tam diu nos tanquam in diverticulo retinuit, decedamus.

XVI. Nunc paucis & ſtringendo rationes promemus, quòd uſque ad diluvii tempora integer & liberrimus conſtiterit ſanguinis uſus. Primò. Natura non dictat abſtinentiam à ſanguine. Ne quidem ſequentibus temporibus legis naturalis hoc caput fuit, ut procedente noſtra diſputatione liquebit. Dictare igitur debuit Deus præcepto aliquo poſitivo. Quæcunque autem ex præcepto Dei poſitivo neceſſaria fuerunt, illa vel Scripturis mandata extant, vel alicubi leguntur à Sanctis Dei viris, quorum erat noſcibilis religio, obſervata. Talis lex de non comedendo fructu vetitæ arboris de Sacrificiis. Illa diſertè ſcripto mandata. Hanc Sancti Dei viri, Adamus & Habel cuſtodiverunt. Atqui lex de non comedendo ſanguine neque ſcripta eſt, neque à quoquam obſervata legitur in primis Moſis capitibus. Ergo non fuit poſitiva. 2. Talis fuit rebus adhuc integris homini data libertas, qualem Chriſtus reparavit, & ſub novo Teſtamento Chriſtianis donavit. Atqui Chriſtus nobis libertatem reparavit à jugo omnium ceremoniarum, & legum carnalium, qualis fuit poſt diluvium de non comedendo ſanguine. Ergo eadem libertas homini integro competiit. 3. Quod Chriſtum & ejus in ſanguine expiationem figurat, illius obligatio in ſtatu innocentiæ locum non habuit. Non fuit enim Chriſtus homini integro promiſſus. Sanguinis autem abſtinentia Chriſti in ſanguine expiationem figuravit. Sic enim Moſes, כי הדם הוא בנפש יכפר *quoniam in ſanguine eſt expiatio animæ*, Levit. XVII. 11. Non igitur in ſtatu innocentiæ hæc obligatio inducta fuit. 4. Nulla lex obligat, antequam promulgata ſit. Sicut nullum imperium vim habet non cognitum. Lex autem de abſtinentia Sanguinis ante diluvium non fuit promulgata. Prima enim νομοθεσίας promulgatio extat Geneſ. IX. 4. Non igitur ante obligare cœpit. Curcellæus, quia conceſſio carnium declarata videtur demum poſt diluvium, conficere voluit,

Digitized by Google

antea illicitas fuiſſe carnes. Non igitur eodem jure concluderemus, quia poſt diluvium demum prohibitus ſanguis, ante ea tempora uſum liberimum fuiſſe?

CAPUT IV.

A tempore Noachi uſque ad Moſen ſanguinis eſum fuiſſe illicitum ex ceremoniali ſanctione, probatur.

A diluvio uſque ad Moſen ceremonialiter illicitum fuiſſe eſum ſanguinis. 1. Locus Geneſ. IX. 4. Vulgatus notatur. LXX. verſio. Onkeloſus. Vzielides, Iarchi, Aben-Ezra, Lutherus, Muſculus, Mercerus explicant de membro animalis viventis. 2. 3. Oſtenditur contra Curcellæum, ſententiam hanc nec novam eſſe, nec à Iudæorum Magiſtris hauſtam. Iudæorum deliria. Ionathæ Vzielidis autoritas. Non odio Chriſtianorum Iudæos interpretari de membro animalis viventis. 4. Impugnatur tribus rationibus interpretatio de membro vivente. 5. Piſcatoris rationes ſolvuntur. 6. Chryſoſtomi, Ludovici de Dieu explicatio de ſuffocato. Oſtenditur, etiam ſuffocatum ſub hoc præcepto contineri. Cur neget Curcellæus? 7. Redditur genuina loci interpretatio. Anima pro vita. Verſio Arabica. Perſica Tawuſi. Ioſephi ſuffragium. 8. Rationes præcepti veſtigantur. Ratio prima typica. Contra illam objectiones Curcellæi refelluntur. 9. Ratio Ethica præcepti. Chryſoſtomi calculus. Nephilim non gigantes fuiſſe. 10. Eugubinus perſtringitur. Cædere carnem pro ſanguine non eſt occidere. 11. Rationem Phyſicam præcepti promunt Iudæi: Bocmannus, Curcellæus. Rejiciuntur. 12. Probatur, Præceptum Noachicum ceremoniale fuiſſe. Quouſque obliget omnes Noachidas? Terminus à quo rejectionis Gentilium. Locus Rom. III. verſ. 2. explicatus. 13. Curcellæus argumentum noſtrum nec bene intellexit, nec dextrè ſolvit. Locus Geneſ. XV. 15. 16. 14. Gentiles reje-

rejecti non habuerunt jus ad ritus Sacros. Actus Dei in rejectione Gentium qualis fuerit, diſputatur.

I.

HActenus obliquè nobiſcum egit Curcellæus. Nunc levato velo, apertiùs & directè impetum facit. Probare molitur: Omnem ſanguinis eſum, à Noachi, ſeu potiùs diluvii tempore uſque ad Moſen & Legem, per eam Iſraëlitis latam, interdictum fuiſſe. Hoc verò ἀνεξάλυτον. Cæterùm dubitatione non caret, utrum prohibitio ſit à præcepto naturali, vel morali, an à ceremoniali? Circa hoc omnino vertitur quæſtionis noſtræ cardo. Prohibitionem nos agnoſcimus. Negamus à morali præcepto manare. Hoc igitur nobis negotii dari intelligimus, ut primò genuinum loci Moſaïci ſenſum, nonnihil involutum, expoſitum demus: deinde rationes interdicti veſtigemus; ac demum hoc liquidò expediamus, prohibitionem à præcepto morali non ſcaturire, ſed à ceremoniali. Quibus in aprico poſitis non erit ultra contentioni locus.

II. Deus igitur ubi homini illibatum dominium reſtituit, facit ipſi omnium rerum copiam, excepto ſanguine. Verba Moſis: אך בנפשו דמו לא תאכלו *Excepto quòd carnem cum ſanguine non comedetis.* Geneſ. IX. 4. Sic vulgatus Interpres, qui utrum officio boni Interpretis ritè defunctus ſit, meritò dubites. Nam in medio relinquitur vox נפשו. Pererius vulgatum tuetur. *Frequens eſt*, inquit, *in S. Literis uſus Figura, quam nominant Appoſitionem. Apponitur enim vox ad prioris vocis expoſitionem, ut hic illud*, in ſanguine ſuo, *appoſitum eſt ad explicandum id, quod dictum fuerat in anima ſua.* Ita quidem eſt. Sed hoc Scriptori tantùm, non Interpreti licet, cujus eſt verbum verbo reddere. Septuagintaviralis habet: Κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς οὐ φάγεσθε. *Carnem in anima ſanguine non comedetis.* Quæ verſio magnopere ſenſum turbat. Quid enim eſt caro in ſanguine animæ? Targum Onkeloſi ita diſponit, tanquam prohibiti eſſent Noachidæ carnem cum anima ſua & ſanguine comedere. Ita habet: ברם בשרא בנפשיה דמיה לא תיכלון *veruntamen carnem cum anima ſua, ſanguinéque ne comedetis.*

III. Uzielides paraphraſtes reſpicit ad אבר מן החי. Sic igitur reddit: אך ברם בשרא דתליש מן חיותא חיא בזמן דבנפשיה ביה או דתליש מן חיותא נכיסתה ועד דלא נפקא כולא נשמתא לא

לא תוכלון. *Verùm carnem, quæ lacerata eſt ex beſtia vivente, quo tempore anima ejus in ipſo eſt: aut quæ lacerata eſt à beſtia, dum mactatur, antequam exeat omnis anima ejus, ne comedatis.* Uziel idem ſequitur R. Sol. Jarchi, qui בנפשו דמו interpretatus אשר להם אבר מן החי *in quibus eſt membrum de vivo.* Nempe inquit: כל זמן שנפשו בדמו לא תאכלו בשר *Omni tempore, quo eſt vita in ſanguine ejus, non comedetis carnem.* Eodem modo Aben-Eſras: כן טעמו אך בשר עם נפשו שהוא דמו לא תאכלו כטעם לא תאכל הנפש עם הבשר כי נפש כל בשר דמו בנפשו הוא תאוית הנפש המתנועעת והמרגשת היא גוף: *Sic ſenſus ejus eſt: Tantùm carnem cum anima ſua, quæ eſt ſanguis ejus, non edetis, juxta illud: Non edes animam cum carne, quia anima omnis caro ſanguis ejus in anima ejus eſt: Hæc anima motrix & ſentiens eſt corpus.* Subſcribunt huic ſententiæ Muſculus, Mercerus, ipſe etiam Lutherus. Lutheri verba, in Geneſ. cap. IX. ſunt: *Prohibet Deus hoc in loco id corpus comedi, quod habet adhuc agitantem, viventem & moventem animam; ſicut milvus pullum gallinaceum, lupus oves vorat, non mactatas antea, ſed vivas. Hanc crudelitatem interdicit hoc loco Dominus, & reſtringit illam mactandi licentiam, ne fiat belluino modo, ubi viva corpora, aut vivorum corporum partes vorantur: Sed ut conſervetur legalis mactatio, qualis ad aram & in ſacris ſolebat eſſe: Ubi ſine crudelitate mactabatur beſtia, & bene abluta à ſanguine tandem offerebatur Deo. Hanc puto ſimplicem & veram eſſe ſententiam; quam etiam Judæorum Magiſtri ſequuntur, ne crudas carnes & adhuc palpitantia membra, Leſtrygonum aut Cyclopum more, voremus.* Muſculi verba ad c. l. ſunt: *Non prohibet, ne animalium ſanguis fundatur. Alioquin quomodo ederentur? Sed crudelitatem ferinam prohibet, ne homo ad morem beſtiarum cruentam animalium carnem voret. Quid neceſſe erat hac exceptione & prohibitione, ſi à cruenta feritate alienus eſt prorſus animus humanus? Reperiuntur gentes, quæ carne humana veſcuntur: quid mirum, ſi reperiantur, qui immani feritate magis beſtias, quàm homines referentes, carnem crudam, & calido adhuc cruore palpitantem vorent?* Mercerus prolixiùs paulò. Non tamen ſententiam ejus adſcribere pigrabor. *Hic,* inquit, *arctat generalem illam poteſtatem, quam dederat edendi animantes, & rationem ac legem præſcribit, qua illis veſci debeant. Volo ita vos ſanguinem animantium edendorum effundere, ut crudelitatem interim vitetis, ne eorum carnem ſimul cum ſanguine comedatis. Variant hic Hebræi. Quidam putant hic vetari* אבר מן החי *membrum ex vivo, ut dicunt, quod unum eſſe ajunt ex ſeptem præceptis tum traditis filiis Noë, ne ſcilicet ex animante vivente adhuc membrum*

 ſtrarum

ferarum more deterperent ad edendum, id quod nimis belluinum ſit & crudele, & cum ingluvie etiam conjunctum, exſpectare non poſſe, donec jugulatum ſit animans, &c. Alii putant ſic vetari דם מן החי *ſanguinem animantis adhuc viventis. Rambam putat, ſimplicitatem hujus contextus tantùm ferre, ut* אבר מן החי *exponatur, non item de ſanguine. Ego utrumque putârim hîc includi, ne aut membrum ex animante adhuc vivo palpitans, aut etiam ſanguis adhuc palpitans edatur. Nam eſum alioquin ſanguinis è jugulato animante, qui jam refrixerit, hic prohiberi non putârim, niſi ex conſequenti. Id tandem in lege prohibetur,* Levit. XVII. *quia ſanguis eſt anima animantis, ut eo loco ratio affertur. Ne ſcilicet ad ſanguinis effuſionem inde homines facilè incitarentur ab effuſione ſanguinis animantium ad effuſionem humani ſanguinis, ut videmus lanios beſtiarum ferè crudeliores eſſe, & à ſanguine humano haud valde abhorrere. Multa tamen ante legem, ea poſtea cauta, videmus fuiſſe obſervata. Et ſanè eadem ratio in his tribus obtinet. Corpus enim, non animam animantium voluit Deus concedi, quæ eſt in ſanguine poſita.* Hactenus Mercerus. Accedit huic etiam ſententiæ Solom. Geſnerus quæſt. 7. in Geneſin.

IV. Huic poſteriori interpretationi triſtem ſe gerit Curcellæus. Illam dicit eſſe *adeò coactam, ut putet nemini unquam Chriſtiano in mentem fuiſſe venturam, niſi aliqui recentiores Judæorum Magiſtri præiviſſent, qui illa, quæ ante pedes jacent inanimadverſa prætereire ſoliti, acuminis laudem in paradoxis confingendis affectant*, p. 42. Plùs quàm Siculas gerras & putidiſſima nugamenta Judæorum poſteriorum quis ignorat? Cui non dictus Hylas? Monſtra ſunt, in quæ ſi incidiſſet Hercules, putâſſet ſibi tertium decimum laborem veniſſe. Ut his de Androgyno, Lilitha, & frivola ratione pro mortuorum reſurrectione figmentis jungi infinita alia poſſint, ſi exorbitare luberet. Sed hoc loco mallem Curcellæum judicium ſuum non præcipitâſſe. Nam nec cum cæteris Judæorum febrilibus deliriis hæc interpretatio comparari meretur, neque eſt χθὲς ἢ πρώχθες, Lucina obſtetricante, nata. Quicquid etiam Grotius dicat: *Chriſtianorum odio Judæos illam ſententiam amplexos.* Quàmvis enim ob rationes, quas confeſtim ſum editurus, in illorum, qui ita interpretantur, ſententiam diſceſſionem facere nolim, exiſtimo tamen non uſque adeò coactam interpretationem. Imò ſi cætera rectè haberent, expoſitio maximè literalis & ſimpliciſſima, quomodo Cajetanus & Piſcator appellant, videri poſſit: *Attamen carnem in anima ſua, quæ ſanguis eſt, non comedetis*; id eſt: dum adhuc prædita eſt anima ſua & ſanguine ſuo, dum adhuc vivit & pal-

pitat.

pitat. Quid hîc magnopere coactum, vel equuleo ſubditum? Neque verum, Interpretibus illis Chriſtianis, quos ſuprà commemoravi, Luthero, Muſculo, Mercero, Piſcatori, Geſnero, & ſi quibus aliis, recentiores Judæorum Magiſtellos præiviſſe. De Jonathane quidem Uzielide nihil dicam, cujus Targum in Pentateuchum nequicquam à Judæis quibuſdam, ipſo etiam Galatino & Poſtello pro antiquo veri Jonathanis celebratum, Druſii, Buxtorfii, Schikhardi & aliorum critico veru pridem confoſſum. Sed de Thalmudicis veteribus quid planius? Illi enim inter præcepta Noachidarum último numerant loco אבר מן החי, quod plurimi negant intelligendum de ſanguine occiſi animalis ſeparato, ſed potiùs, ut verba apertè ſonant, de membro viventis, quorum ſententiam in præliminaribus expoſitam dedimus. Et præceptum illud ex ipſis Moſaicis verbis eliciunt. Confer Doctiſſimum Cuneum de Rep. Hebr. II. 19. & Seldenum, qui Veteres Talmudicos præceptum Noachicum non aliter intellexiſſe probat. Nihil igitur cauſæ fuit, cur hanc interpretationem recentiorem eſſe & muſteam comminiſceretur. Niſi fortè, quia animus erat, Interpretes noſtros tanquam tranſverſos Judaïcis fabulis abreptos pipulo differre. Sed & cur Grotius dixerit, Judæos recentiores odio Chriſtianorum hoc commentos, rationem non reperio. Quid enim eſt in illa interpretatione, quo dolere Chriſtiani debeant magis, quàm in quacunque alia? An quia hâc ratione ſica ex manibus Curcellæo extorqueretur? Atqui meminerit, æquè Judæos atrociter contra eſum ſanguinis depugnare. Neque tam ſtolidi ſunt, ut odio Chriſtianorum, quo etiam nocere nequeant, ſegetes ipſi ſuas vaſtare velint. Nemo gratis malus eſt. Quin Maimonides, cujus non eſt in univerſum ſubleſta fides, interdicti ſic concepti aliam rationem affert: שכן היו עשים מלכי הגוים וגם לעבודת זרה היו עשים כן הצרה לאמר שהיו חתנים מן הבהמה אבר ידוע ואוכלים אותו: *Quoniam ita eo ſeculo facere ſolebant Gentilium Reges, etiam idololatria cauſâ ita faciebant. Scilicet animali abſcindebant membrum aliquod, atque illud comedebant.* Hæc obiter, ne omnino indefenſi interpretes noſtri à Curcellæi aſperiore Critica abirent, & ipſe impunè vindemiam faceret. Quid enim Novatoribus iſtis uſitatius, quàm ut Theologorum noſtrorum interpretationibus ſequiùs & rigidiùs acceptis, invidiam conciliando, ſibi delicias faciant?

V. Sed

V. Sed nunc rationes aperiamus, ob quas non videatur vero conſentanea illorum interpretatio. Primò, quia non indiguerunt prohiberi, à quibus ſuopte impetu hominum indoles abhorruit. Quotusquiſque enim inter homines adeò efferatus & triſtis Polyphemus, qui carnes vivas deglutiat? Non minùs igitur hæc Canibalica Deus interdixit, quàm vel anthropophagiam, vel quidquam aliud, quod infra humanitatem ſubſidit, & ferinam crudelitatem olet. Maimonides quidem ſuprà nobis adfirmavit, Gentilium quibuſdam Regibus idololatriæ causâ feralem hunc ritum in uſu fuiſſe. Jam ut de tempore Moſis hoc concedatur, quemadmodum id noſtro etiam tempore quidam teſtantur de Canibalibus, quos in ſua navigatione prætervectus Columbus: unde patet vel Noachi tempore, quo lata hæc lex, vel ante Noachum ejuſmodi ritum receptum fuiſſe? Quid nî vel Moſes vel Chriſtus, qui acriter in hominum illorum depravatos mores invecti, etiam hoc flagitium iis imputâſſent? Sed fuerit hoc in more illis poſitum, cur magis crudelitatem illam legum repagulis compeſceret, quàm flagitia alia his etiam graviora? Puta libidinem, raptum, idololatriam, Epicureiſmum, & ſi quid aliud? 2. Idem prohibet Deus Noacho, quod jubente eodem Iſraëlitis Moſes. Hic autem non interdixit eſum membri viventis vel palpitantis, ſed ſanguinem animalis occiſi. Patet; quic inter alia interdicti hanc rationem reddit, quòd ſanguis ſit deſtinatus altari ad expiationem. 3. De non comedendo אבר מן החי nulla eſt in toto Codice alia prohibitio. Cùm tamen vix unum præceptum ſit ἅπαξ κεκυρωμένον, & non alibi repetitum ſit. Neque quiſquam memoratur, præcepti hujus limites tranſgreſſus ſit. Quod magno indicio eſt, tale quid exerto præcepto nunquam ſancitum eſſe. Tametſi verò directè noluit Deus infamem illam crudelitatem reſtringere, aſſentior tamen Cl. Riveto, illam indirectè etiam hac prohibitione comprehendi. Nam qui prohibet carnem cum ſanguine manducare, ille certè prohibet carnes vivas manducare, quæ ſine ſanguine eſſe non poſſunt.

VI. Piſcator tamen, Theologus non è multis, rationibus hanc interpretationem ſuffulcit, quas carptim ad limam vocabimus. Ille enim morticina prohiberi putat verſu 3. Ubi dicitur: *Omne reptile, quod quidem vivum, eſto vobis in cibum. Hæc prior exceptio. Altera ſequitur. Tantummodo* &c. Atq; hîc jam eſum membri viventis intelligit. Rationes ipſi tres.

1. Quia

1. Quia ſic ſonent verba Dei; *Ne comedite carnem in anima ejus, ſanguine ejus.* *Qua verba*, inquit, *quàm ſimplicißimè ita ſunt exponenda: Ne comedite carnem, dum eſt in anima ſua, id eſt, in ſanguine ſuo, hoc eſt, dum adhuc prædita eſt anima ſua & ſanguine ſuo, hoc eſt, dum adhuc vivit & palpitat ſeu tremit.* Reſp. Si cætera paria eſſent, non repugnaremus. Ipſe verborum complexus ambiguus eſt. Reddi ergo debent convenienter materiæ ſubjectæ, quæ hanc explicationem, uti vidimus, non patitur. 2. *Lex de non comedendo ſanguine eſt ceremonialis. At hîc traduntur leges morales, pertinentes ad reſtaurationem mundi, ac proinde non ad ſolum Noachum, ſed ad omnes ex eo naſcituros?* Reſp. Ceremoniale eſt præceptum. Sed pace rogata Magni Viri negaverim leges tantùm morales hîc tradi. Voluit enim optimus Deus mundo regenerato figuram dare Meſſiæ, cui ſervetur ſanguis, ut in eo expiationem faciat. Nam quis dubitet, Deum hîc potiſſimùm Eccleſiæ ſuæ, ut Meſſiam fide complecteretur, providere? Neque facilè quiſquam probaverit, diſtinctam eſſe hanc legislationem de ſanguine à legislatione Moſaica. Deinde hoc Symbolo Deus Noachidis declarare voluit, quàm rigida & inexorabilis ſit altera illa moralis de non fundendo ſanguine hominis prohibitio. 3. *Quia lex proximè ſequens de homicidio vitando, cum hac veluti ratio cohæret, ſumta ab effectu, quaſi dicat Dominus; Nolo vos viva aut certè cruda & cruenta carne veſci, quia ſic evaderetis crudeles & inhumani & proclives ad homicidia. At ego nolo, ut quiſquam hominem occidat. Nolo igitur cruenta & viva carne veſcamini.* Reſp. Hanc Ethicam rationem interdicti tam ſeveri ſanè multi ſtringunt tum Chriſtiani, tum Hebræi. Quorum teſtimonia ſtatim edituri ſumus. Neque ego in univerſum hoc inficias iverim. Cæterùm eſt hæc inconſequens argumentatio, ut morale præceptum ſit, cujus ratio moralis eſt. Id quod cùm rationibus, tum exemplis inferiùs aſſeremus. Non ſolidæ igitur ſunt rationes. Neque ſolidius illud, quod exceptionem venatur in verbis illis: *Omne reptile quod vivum.* Quaſi hac ratione excluderetur morticinum & diſcerptum. Non eſt exceptio, ſed explicatior repetitio poteſtatis in omne greſſile, (ſic enim malunt vertere Interpretes τὸ רמש quàm reptile) quod eſt animal, à plantis contradiſtinctè, quæ non vivunt animalem vitam. Quinimò ſi hic exceptionem ſubintelligas, animalis mortui erit exceptio. Nam viventi opponitur mortuum, non morticinum. Quæ ratio ſi obtinet, ne

Digitized by Google

quidem mactatum animal, quippe quod non ampliùs vivit, ad eſum exponi conveniet.

VII. Chryſoſtomus interpretatur de ſuffocato tantùm. Ludovicus de Dieu de morticino. Nam נבלה ſæpe cadaver ſignificare. Hoc ut in ſe verum, ſic textum exhaurire non videtur. Latiùs enim patet, comedere carnem cum ſanguine, quàm comedere ſuffocatum & morticinum. Hinc in Apoſtolico canone diſtincta videmus ſanguinem & ſuffocatum. Curcellæus dicit, *interpretationem illam cum verbis textus, ſi ſeorſim & per ſe conſiderentur, non malè cohærere. Non tamen omnino genuinam eſſe, quia alibi in lege eſus morticinorum, quorum eadem eſt cum ſuffocatis ratio, conceſſus fuerit peregrinis inter Iſraëlitas verſantibus. Ergo morticina Noacho non fuiſſe prohibita*, pag. 46. & 47. Quod merum eſt χρησφύγετον, ut ſe faciliùs expediat ab inſtantia noſtra inde depromta, quòd peregrinis inter Iſraëlitas verſantibus licuerit ſanguine veſci in morticino. Unde conſtat, non eſſe præceptum hoc morale, quippe non obligans omnes. Ergo neque Noachidis prohibitum morticinum. Atqui quocunque modo explicet præceptum Dei, non poteſt ſuffocatum excludi. In omni ſuffocato ſanguis eſt. Qui igitur ſuffocatum edit, is ſanguine ſimul veſcitur. Ipſe fatetur: *Quò minùs morticinis & ſuffocatis veſci non licuerit, nihil prohibuiſſe, niſi quòd ſanguis inde non accuratè expreſſus & ſegregatus.* Ergo propter ſanguinem ſuffocatum fuit lege interdictum. Quemadmodum igitur dici poteſt, in generali prohibitione ſanguinis ſuffocati interdictum implicitum non fuiſſe? Hic captus eſt, & rem ſolvet. Nam quòd dicit; Gentiles poſt mortem animalis ex morticino ſanguinem exemiſſe: unde quæſo fidem faciet aſſertioni? Quid eſt figmenta ſua obtrudere, ἀβασανίστως recipienda & exoſculanda, ſi hoc non eſt? Deinde verba Curcellæi ſunt: *Quod ad morticinorum & ſuffocatorum abſtinentiam, quia pertinebat ad cultum ceremonialem ſolis Iſraëlitis à Deo præſcriptum, peregrini inter ipſos commorantes eam ſervare non tenebantur.* pag. 48. Ergo morticinorum prohibitio pertinet ad cultum ceremonialem, qui ſolis Iſraëlitis fuit præſcriptus. Jam aſſumo, quod ſuprà dixit, ſuffocata non aliam ob rationem prohibita fuiſſe, quàm quia ſanguis inde non accuratè expreſſus fuit. Ergo propter ſanguinem. Atque adeò etiam ſanguinis interdictum ceremoniale fuit, & Iſraëlitas ſolos obſtrinxit. Quàm ſibi bellè Diſputator conſtat!

VIII. Quis ergo interdicti ſenſus? Non ſimplex, ſed compoſitus

Digitized by Google

poſitus ex interdicto ipſo, & interdicti ratione, hoc ordine: Veruntamen carnem cum vita ſua, videlicet ſanguine ſuo, non comedetis. Ut ita 1. anima ſit pro vita. Id quod inſolens non eſt in Hebraico idiomate, quod nôrunt omnes, qui mediocriter periti & callentes Linguæ Sanctæ. Atque hoc ſenſu occurrit etiam Exod. XXI. 23. נתתה נפש תחת נפש *Dabis animam pro anima*, id eſt, vitam pro vita. Ita Juriſconſulti Cæſarei ſæpiſſimè vocant ſupplicium *animæ amiſſionem*. Qua autem ratione vita in ſanguine collocetur, explicavit Ariſtoteles, neque Phyſici ignorant. 2. Ut ſic implicetur ratio interdicti, quod ſimplex & nudum videri poterat. Vetat igitur primò comedere carnis ſanguinem. Deinde rationem reddit: quia *ſanguis eſt loco vitæ*. Hunc ſenſum complexus videtur Arabs, qui ſic vertit: ואמא אללחם לא כלה בדמה פאנה נפסה: *At verò carnem ne comedatis cum ſanguine ejus, quia ſanguis ejus anima eſt*. Sic diſtinguit interdictum à ratione. Perſica Tavvuſi דר גאן כאצה כושרת או כון או נכוריד: *Tantummodo carnem cum anima ejus, id eſt, ſanguine ne comedatis*. Meritò igitur cum illis, quibus etiam Syrus & Samaritanus aſtipulantur, nec non Interpretibus plurimis, Zvvinglio, Paræo, Ariæ-Montano, Henrico Stephano, Tremellio, Riveto, de ſanguine ſive puro & ſegregato ac defæcato jam, ſive viſceribus concluſo, hoc totum quicquid eſt, interpretamur. Quamobrem etiam Joſephus Antiquit. Jud. I. 4. hac paraphraſi interdictum illuſtrat: Χρῆσθαι δὲ τοῖς ἄλλοις ζώοις ἀνίημι πρὸς ἃ βούλεσθε, καὶ τὰς ὀρέξεις ἔχετε. Δεσπότας γὰρ ἁπάντων ὑμᾶς εἶναι πεποίηκα, τῶν τε χερσαίων, καὶ νηκτῶν, καὶ ὅσα τὴν μετάρσιον χώραν ἔχει, καὶ φορεῖται, χωρὶς αἵματος. Ἐν τούτῳ γάρ ἐστιν ἡ ψυχή. *Aliorum animalium uſum ad voluntatem ac libitum veſtrum permitto. Dominos enim vos feci omnium, tam terreſtrium, quàm natatilium, & eorum, quæ per ſublime feruntur, abſque ſanguine. Nam in hoc ineſt anima.* Hic igitur genuinus eſto ſenſus, in quo haud ægri cum Curcellæo facimus.

IX. Jam cauſas Divini hujus præcepti veſtigemus. Nam Deo ſapientiſſimo rationem interdicti conſtituiſſe, quis dubitet? Tametſi verò Sapientiæ Divinæ receſſibus abſtruſæ hærent, proclive tamen erit, quid probabile ſit, ediſſerere. Judæi quidem rationes reddunt tum Ethicas tum Phyſicas. Ego Typicam adjicio. Ratio igitur prima, ob quam Noacho prohibitus ſanguis, eſt typica: quia ſanguis altari deſtinabatur ad faciendam expiationem. Nempe ita convenie-

bat ſub cunabula regenerati mundi,ut expiatio Chriſti adumbraretur. Quæ ratio ſub lege in typicis ſacrificiis pro expiatione criminum,ubi ſanguis animalium immolatorum poni debuit ſuper altari,vel ad baſin fundi. Nam quia ſanguis eſt quodammodo anima animalium,ideò convenienter immolari debuit pro expiatione animarum humanarum. Quia etiam animam ſontem Deo fieri piacularem congruens fuit juſtitiæ & veracitati Divinæ,Deus miſericors ſubſtituit vitam animalium. Qua ratione etiam ſubſtitutio Chriſti in locum peccatoris figurata. Rationem hanc typicam agnoſcit & urget Chryſoſtomus. *Quia,* inquit, *Sacrificia ex brutis perfectum erant, quaſi docet illos dicens: Quia ſanguis mihi ſegregatus eſt,vobis caro:* homil. 15. in Geneſ.IX.4. Atque huc potiſſimùm Deus reſpicit in textu, cùm rationem interdicti illam perhibet,quòd vita animalium ſit in ſanguine. Quaſi diceret,ſibi devoveri debere illud,in quo conſiſtit vita animalium,ut hac ratione & obligationem hominis edoceret, & ſubſtitutionem Chriſti in locum peccatoris perſpicua quadam imagine repræſentaret. Quid hac ratione certius & planius? Imò quid prius & antiquius eſſe poteſt? Et tamen Curcellæo tuſſim ciet. Obducit 1. *In lege quidem exceptionis hanc rationem dari: ſed in prohibitione Noacho facta non attingi omnino,*pag.49. Reſp. Idem interdictum eſt Noacho & Iſraëlitis datum. Utrinque eadem typica ratio. Quod Iſraëlitis injunctum,ratione expreſſa & perſpicuè expoſita; idem Noacho præceptum, ratione quidem non adeò aperta, ſed nonnihil involuta, at quæ Noachidis ſolertioribus indagari facilè potuit,ad λογικὴν illam λατρείαν paulò attentioribus. 2. *Ne verbulum quidem illic de Sacrificiis occurrere,unde ſuſpicari quis poſſit,ad ea reſpici. Quis ergo credat principali diſſimulato,aut ſilentio præterito,legem de acceſſorio fuiſſe latam?* ibid. Reſp. An ſtipitibus & ſaxis Deus locutus eſt,qui verbum ejus intelligere non poſſent? Deinde, non erat opus,ut de Sacrificiis mentionem faceret,quia illorum νομοθεσία jam diluvium prævertit. Abundè igitur fuit,exerto edicto ſancire illud, quod nunquam antea ſancitum,& quod ceu novus & explicatior typus ad Sacrificiorum legem acceſſit. Quid verò multis? Fatetur Curcellæus,loci Levit.XVII.11.12.14. & Geneſ.IX.4. unum eundémque ſenſum & ſcopum eſſe,pag. 40. Jam ſcopus loci Levit. XVII. non eſt hic primariò,ut oſtendat Deus, Dominium hominis non eſſe abſolutum & illimitatum. Cui enim bono hoc doceretur,cùm

Iſraë-

Iſraëlitis palàm eſſet multis præcedentibus præceptis, puta hoc ipſo de ſanguine & ſuffocato, de mundorum & immundorum diſcrimine, ſe non eſſe omnium rerum irrefragabiles Dominos. Sed κυριωτάτη ratio Deo eſt, quam exprimit Moſes, quòd expiationem facere debeat. Si igitur, quod diſertè largitur Curcellæus, utrinque unus & idem ſcopus eſt, cur negat rationem typicam in lege Noacho lata?

X. Sequitur ratio Ethica, ſive Moralis. Illam Moſes juxta priorem typicam, perſpicuè connectit. *Etenim ſanguinem veſtrum animarum veſtrarum requiram de manu cunctorum animantium, tum etiam de manu hominis, & de manu fratris*, verſ. 5. ubi omnino illud *Vau* non copulativum eſſe exiſtimo, quomodo Pagninus accepit: ſed cauſale cum Vulgato & Stephano. Quaſi diceret Deus: Vel ideo etiam jubeo, ut abſtineatis à ſanguine animalium, ut diſcatis à ſanguine hominum effundendo abhorrere, quia vita hominis tanti apud me pretii eſt, ut ne beſtiis quidem parcere velim, quæ hominis ſanguinem effuderint. Si igitur tam pretioſus in oculis meis eſt ſanguis hominum, nolo ut beſtiarum ſanguinem comedatis, ne paulatim in feritatem degenerantes, humanum ſitire incipiatis. Hanc rationem juxta priorem agnoſcit Chryſoſtomus, quando l.c. ſubjungit: Τοῦτο δὲ ποιεῖ ἄνωθεν περιστέλλων αὐτῶν τὴν ὁρμὴν, τὴν ἐπὶ τὴν ἀνδροφονίαν. Hoc eſt: *Hoc autem facit, divinitus prohibens hominum cædes, & ad eas ferocem impetum.* Nempe erat nova quædam mundi παλιγγενεσία, diluvii cataclyſmo omnibus præter Noachidas hauſtis. Novam ſocietatem novis legibus gubernari cordi eſt legiſlatori Deo. Et quidem eo tempore depravatiſſimis illis prioribus vicino maximè. Nam prohibitivas leges ex malis moribus naſci notorium eſt. Homines procaces nuper admodum humanis cœdibus ſe miſcuerant, partim jam antè graſſati, partim ex inauſpicato Sethitarum & Kainitarum conjugio prognati, qui feroces admodum & corporum lacertis terribiles, ad humanas cædes furiali face proceſſerant. Ne deinceps, reparato humano genere, ſimili ferocia illis animus incaleſceret, ut humanum ſanguinem in vili habere deſinerent, lege ſevera Deus cavet, & magno ſerio agit. Primùm vetat vel brutorum ſanguinem libare, ne eo vertente in indolem hominis, imbuerentur crudelitate, cui nuper excidio & clade ſua mundus parentaverat. Et ſanè Antediluvianos crudelitatis & homicidiorum ſcelere ma-

ximè ſe alligâſſe, conſtat ex infami illo genere Nephilim. Quos probabile eſt non tam Gigantes fuiſſe, ſive, ut cum Auguſtino loquar, proceroſos homines, quàm tyrannos, qui promiſcuis cædibus omnia miſcuerunt. Proinde aſſentior Joſepho, qui ὑβριστὰς vocat, καὶ παντὸς ὑπερόπτας καλοῦ Antiq. Jud. l. 4. Quomodo Symmachus βιαίους, Aquila ἐπιπίπτοντας vertit. Quod & fortiùs inde conſtat, quia Moſes Terram repletam dicit חמס quod plùs notat quàm ὑβρίζειν. Deinde ut validiùs illos terreret, minatur, ſe vel à brutis, nedum ab hominibus humanum ſanguinem requiſiturum.

XI. Eugubinus tamen Epiſcopus non iccirco ſe mihi approbat, qui cùm videre, Deum tam rigidè homicidia coërcere, etiam ſanguinis eſum de effuſione humani ſanguinis, atque adeò de homicidio explicat. Quaſi figurata eſſet locutio, & comedere carnem cum ſanguine ſignificaret hominem viventem, cujus vita ſanguine potiſſimùm ſuſtinetur, occidere, & fuſo ejus ſanguine vita privare. Ineptam alioquin eſſe connexionem ſequentium verborum. Neque metaphoram illam in Sacris inſolentem eſſe. Hinc & Homerum phraſeωs hujus imitatione bellum σαρκοφάγον vocare, quòd eo multi abſorbeantur & pereant. Præterea ſanguinis eſum ad immunditiam nihil facere. Atqui illud χῆμα λέξεως inuſitatum eſt, ut comedere carnem cum ſanguine ſit occidere. Fateor aliquando comedere carnem alicujus æquipollere huic, mortem alterius expetere. Cujus enim odio flagrant homines, & quos periiſſe cupiunt, illorum vel carnes appetit rabida, quam Poëta vocat, orexis. Confer Pſal. XXVII. 3. Sed comedere carnem cum ſanguine pro cæde & homicidio, inſolitum eſt uſurpari. Deinde ex rebus ipſis Eugubinus refellitur. Nam manifeſta eſt exceptio ſanguinis à carnibus v. 3. & 4. Carnem quidem animalium, ſicut herbas dedi vobis: ſed carnem cum ſanguine, in quo eſt animalis vita, non comedetis. Exſpirat itaque allegoriæ ratio.

XII. Jam de Phyſica & Medica ratione. Contendunt Judæi ſanguinem prohibitum inter alia etiam propter רוע מזגו malitiam temperamenti. Corporis autem temperamentum ſequi animam & ejus mores. Nachmanides ſic exprimit: כי ידוע שהנאכל ישוב בגוף האוכל ואם יאכל אדם הדם והיה עובי וגסות בנפשו האדם כמו שנפש הבהמה עבה וגסה: *Conſtat enim illud, quod comeditur migrare in corpus comedentis. Ac proinde, ſi homo edat ſanguinem, denſitatem & craſ-*

Digitized by Google

traſitiem in anima hominis orituram. Quemadmodum anima beſtia denſa fuerit & craſſa. Non etiam convenire שתאכל הנפש את הנפש *ut devoret anima animam.* Habere autem beſtias animam, quæ in ſanguine ſedem habeat. Phyſicam hanc rationem etiam Becmannus adoptat, & urget ſine ſucceſſu Curcellæus pag. 183. 184. De re ipſa non diſputo. Eſto inſalubris & noxius animalium ſanguis. Corruptus aliquando etiam & vitiatus, carne nondum corrupta. De qua re in Prolegomenis Medicorum placita breviter attigimus. Sed hanc fuiſſe Deo rationem, niſi fortaſſe velis τὸ ἀδηλότερον ἀλλῶν, nullo indicio cognoſcimus. Imò proclivius dictu, non fuiſſe. Deus enim hoc loco non Medicum vel Phyſicum egit, ſed religioſum præceptum tulit, cui eſſent propter conſcientiam dicto audientes. In naturalium ciborum διακρίσει, quâ religionem non ſpectant, humanæ prudentiæ imperium dedit.

XIII. Jam expedita & regia via eſt ad tertium: Utrùm præceptum illud morale, an ceremoniale fuerit? Nos ceremoniale fuiſſe, nulli dubitamus. Fuit enim de re naturâ ſuâ indifferente, in cujus obſervantia, ſequeſtrato poſitivo Dei mandato, nulla pars Sanctitatis conſiſtit. Neque ſemper, neque omnes obligavit. Nam retro diluvium non fuit hæc lex obſervata cum Sanctitatis & religioſi cultus opinione. Caruerunt enim mandato & promiſſione Dei, abſque quibus eſt, ἐθελοπερισσοθρησκεία opus vitioſum reddit. Ac fuerunt aliquando tempora, quibus omnis illa obligatio expuncta, ac disertè declaratum: Omnem Dei creaturam bonam eſſe, nihílque rejectaneum: nihil polluere hominem poſſe, quod os hominis ingreditur: omnia munda jam eſſe. Imò cùm antitypum jam præſtò fuiſſet, & facta expiatio in Sanguine Chriſti, non potuit non typus exoleſcere. Et eo ipſo tempore, quo quidam ad cuſtodiam hujus præcepti obligati fuerunt, alii ab eadem ſoluti & liberi fuerunt. Intelligo autem ea tempora, quibus gentes rejectæ ab externa viſibili Eccleſia. Id quod factum exiſtimo, non ſub Abrahami tempora, ſed quatuor demum Seculis poſt promiſſionem fœderalem factam Abrahamo Geneſ. XV. 15. 16. Nempe quo tempore Gentilium menſurâ peccatorum impletâ, matura fuit illorum rejectio, & nominatim poſterorum Chami Cananæorum devotio ad internecionem, per bella, quæ geri cœpta duce Joſua contra Cananæos, & deinceps contra illos, tanquam ſemen Serpentis maledi-

Digitized by Google

ctum. Hucuſque re diligenter perpenſa, arbitramur Eccleſiam Dei non uni fuiſſe familiæ alligatam, ſed ad illam jus habuiſſe omnes Noachidas. Tametſi verò plerique per apoſtaſian à veri Dei cultu deficerent, non minùs tamen ad præcepta Noacho data ſervanda obnoxii fuerunt. Sed rejectis illis à cognitione, cultu & omni ſpe Meſſiæ, adeóque jure Sacerdotii Eccleſiæ Judaicæ tranſcripto, ad præceptum illud de ſacrificando, atque adeò etiam ad interdictum ſanguinis, quippe quod Legiſlationi Sacrificiorum inſerviit, tanquam ceremoniale, obligati non fuerunt. Cur enim typus & figura illis injungeretur, qui à Chriſti veri & realis Sacrificii futuri ſpe ac cognitione alieni & extorres fuerunt, idque certa deſtinatione & definitione conſilii Divini, per quam abjecta Hagar & Jſmaël, & τὸ ἐξαιρετὸν illud Judæis ſolis conceſſum, ut τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ illis crederentur, Rom. III. 2? Quo loco non hoc tantùm indigetatur, quòd Judæi eſſent à Deo conſtituti Bibliothecarii Eccleſiæ. Nam cum Auguſtino hodiéque illos haud gravatim agnoſcimus Bibliothecarios & capſarios Scripturæ V. T. non obſtante illorum ab hoc ἐξαιρετοῦ rejectione. Sed hoc inprimis intellexit Apoſtolus, quòd habuerint Judæi verbi Dei miniſterium per Prophetarum prædicationes, & ex verbo Dei inſtitutum cultum, & *δικαιώματα τῆς λατρείας*. Ad quæ *δικαιώματα* legem de ſanguine pertinere, ſole meridiano clarius, cùm adumbrârit potiſſimùm expiationem Chriſti, & inter leges illas carnales à Moſe perſpicuè numeretur. Quomodo igitur morale præceptum dici poteſt illud, quod primariò & directè *σχέσιν* habuit ad Chriſtum: quod neque ſemper neque omnes obligavit?

XIV. Suboluit tale quid Curcellæo. Sed & ſiniſtrè argumentum noſtrum proponit, & ſe parùm feliciter expedit. Siniſtré proponit. Nam facit nos ita argumentantes: *Prohibitione ſanguinis, quam Deus Noacho fecit, non fuiſſe in perpetuum obligatos omnes ejus poſteros: ſed tantùm uſque ad Abrahami tempus, cum quo Deus peculiari fœdere inito, reliquas Gentes poſtea in viis ſuis ambulare permiſit, nec eas unquam, quòd veſcerentur ſanguine, reprehendit*, pag. 49. 50. Jam non diffiteor, quosdam Theologos terminum à quo rejectionis Gentium ponere in Abrahamo. Omnia tamen diligenter reputando, malumus cum aliis, qui curatiùs hoc negotium egerunt, ſtatuere, terminum à quo actualis rejectionis Gentium ab externa & viſibili Eccleſia, à qua jam præputiati Gentiles non palabant tantùm, ſed quaſi flammante frameâ

Cheru-

Cherubim arcebantur, figendum eſſe in ducatu Joſuæ, qui Cananæos ſub jugum miſit, poſteritatem maledicti Chami. Tum enim Iſraëlitæ in formam Reipublicæ fuerunt redacti, cujus ſtatus Theocraticus fuit, ut bene appellat Joſephus contra Apionem. Et hactenus pios Noachidas & Abrahamidas extra familiam Iſraëlitarum, Gentibus permixtos fuiſſe, exempla Jobi, Melchiſedeci & Jethronis indubitabili ſunt argumento. Quos, quia Deum ſive in præputio ſive in circumciſione pura mente coluerunt, & νομοθεσίαν Sacerdotii retinuerunt, ſimul cum Gentibus rejici ab Eccleſia & reprobari, bonitati Dei conſentaneum non fuit. Imo vix aliter ſentire licet, ſive vaticinium Dei, ſive impletionem ejus ſpectes. Vaticinium extat Geneſ. XV. 15. 16. ubi Deus negat ante quadringentos annos ab illa promiſſione Abrahamo facta ſervitutem Gentium cœpturam; nempe, inquit, v. 16. כי לא שלם עון האמרי עד הנה *quia nondum impleta iniquitas Amorrhæi uſque tunc.* Per Amorrhæum intelligit Cananæos omnes. Horum iniquitas nondum impleta tempore Abrahami. Nempe quia illorum cœtibus fideles permixti fuerunt, qui haud dubiè ſervarunt illa δικαιώματα τῆς λατρείας, quæ tum temporis lex ſacrificiorum & interdictum ſanguinis abſolverunt, ideo Deus illis parcere voluit, uſque ad tempus Joſuæ, quo impleta menſura iniquitatis, tum ratione quantitatis, tum qualitatis. Huc pertinet, quòd mandatum Iſraelitis eſt, ne abominarentur Idumæum, *quia frater Iſraëlitarum,* Deut. XXXIII. 3. 7. Sed ad ſummam non multùm refert. Sive enim dicas, tempore Abrahami actu rejectas Gentes, ſive tempore Joſuæ, manet inſracta vis argumenti, præceptum nempe Noacho datum non fuiſſe morale, quia vel Abrahami vel Joſuæ tempore aliquos homines non obligavit, ſed eos tantùm, qui habuerunt Sacerdotii prærogativam, cujus beneficio Meſſias & ejus redemtio revelata fuit. Morale autem non eſt, quod aliquos tantùm, non omnes in qualibet circumſtantia obligat, quod omnes utique fateri debent.

XV. Jam, quod ſecundo loco dixi, patebit, non ſatis ſe feliciter Curcellæum hîc expedire. Reſpondet igitur: *Deum peculiare fœdus pangendo cum Abrahamo, cæteras gentes non liberâſſe ab obligatione parendi mandatis, quæ ipſe antea Noacho præſcripſerat. Permiſiſſe quidem Deum poſt illud tempus in viis ſuis ambulare Gentes, id eſt, non viſitâſſe per Prophetam, neque officii ſui admonuiſſe: ſed non ita eis laxaviſſe frenum, ut impune*

 poſſent

poſſent facere quicquid luberet. Ergo illos, apud quos memoria interdicti Noacho facti adhuc ſuperaerat, ei parere debuiſſe; Cæteris autem, qui nullam ejus notitiam habuerunt, aut habere potuerunt, Deum miſericordem non imputaviſſe ipſis in culpam, ſi contravenirent, quia iſta res non fuerit ex earum genere, quas unuſquiſque facilè cognoſcere poterat, adeò ut inexcuſabiles ſint, qui non obtemperant. Et propterea Deum populos à fœdere ſuo alienos per Prophetas ob eſum ſanguinis non reprehendiſſe. pag. 10. Reſp. 1. Confundit turpi exemplo mandata Dei, quorum naturalia alia & moralia, omnes & ſemper obligantia, ſicut ignis & hic & apud Perſas & ſemper urit; alia poſitiva Ceremonialia, quæ ad Politiam Eccleſiæ Dei pertinent. Ad illa Gentes etiam euntes in viis ſuis & extorres à fœdere Dei, omnino obligatæ fuerunt. Et hactenus non licuit iis impune facere quicquid lubebat. Sed non habentes legem, nempe ſcriptam, ſibi ipſis lex fuerunt, & ἀνόμως etiam judicandæ. Ad hæc Ceremonialia poſitiva nullo modo fuerunt obligatæ, quippe non Eccleſia, Lo Ruhamah, non πολῖται, ſed anathema, profani, peccatores, in quibus Eccleſia fuit non pariens, denique canes, qui de menſa Domini panem non participârunt. Sed Judæis ſolis λόγια ϑεοῦ ἐπιστεύθησαν, ſolis indicata verba Jacobi, & ſtatuta ac judicia Jſraelis, Rom. III. 2. Pſal. CXLVII. 17. Tale fuit illud de ſanguine, ut evidenter à nobis probatum. 2. Quid? Sacrificiorum legem non etiam Noachus habuit? Niſi temerè & privatæ libidinis impetu ſacrificavit. Ergo rejectæ ab Eccleſia Gentes ſacrificare nihilominus debuerunt? Falſiſſimum. Nam *extraneus, qui acceſſerit, morietur*, Num. III. 5. 6. Confer Num. XVII. XVIII. Et quemadmodum Jſraelitæ, ſi quando temerariâ apoſtaſiâ Deo offenſionem & faſtidium creârunt, puniti ſunt ceſſatione Sacrificiorum, quæ fuit iræ Divinæ indicium; ſic Gentiles certo ac immutabili Dei judicio & prava ſua voluntate à Numine deficientes ad idololatricos cultus, jure merito à Sacrificiis prohibiti fuerunt. 3. Sed πρῶτον ψεῦδος in eo haud dubiè eſt, quòd Curcellæus ex hypotheſi prava Remonſtrantica, quæ Vocationem Univerſalem ſtatuit omni ætate, cujus beneficio omnes jus habeant ad Eccleſiam & ejus privilegia, quibus ſolis neglectim habitis reus fiat homo mortem æternam debendi; ſentit, Gentiles omnes uſque ad tempora Chriſti in Noacho vocatos, ad omnia Noachi mandata, ſive Moralia ſive Poſitiva obligatos fuiſſe. Hanc ſententiam præferunt verba ejus Act XIV. 16. *Permiſit quidem Deus poſt illud tempus gentes*

Digitized by Google

in viis ſuis ambulare, id eſt, non viſitavit per Prophetas, nec eos officii ſui admonuit, &c. Quaſi Deus in rejectione Gentium non ſpeciali aliquo judicio ſit uſus, quo illos ſecluſit & ejecit ex Eccleſia: ſed ipſi voluntariâ tantùm apoſtaſiâ ſe ſubducentes Eccleſiæ ſe aggregare dedignati fuerint. Ut permiſſio illa ſit *patientia* tantùm, non etiam *potentia*, ut in alia cauſa contra Pelagium Auguſtinus loquitur. Quod omnino à vero remotum. Nam Gentiles juſto Dei judicio ita ſunt ab Eccleſia rejecti, ut citra ſpem reditus ante præfinitum tempus ipſis extra illam ſingulari Dei Decreto torpeſcendum fuerit. Hoc teſtatur illa Excommunicationis formula Matth. XVIII. 17. *Sit tibi velut Ethnicus.* Quò pertinet graviſſima expoſtulatio Dei cum domo Iſraelis Ezech. XLIV. 6. 7. 8. 9. *Indices rebellibus, domui Iſraëlis: Sic ait Dominus Jehovi: Satis vobis: Diſcedite ab abominationibus veſtris. Qui introduxiſtis alienigenas, præputiatos carne, ut eſſent in Sanctuario meo, ut prophanarent ipſam domum meam: qui obtuliſtis cibum meum, adipem & ſanguinem, quum illi irritum facerent fœdus meum: Neque obſervaſtis obſervationem rerum Sanctarum mearum, ſed ſubſtituiſtis obſervatores obſervationis meæ in Sanctuario meo arbitratu veſtro. Sic ait Dominus Jehovi: Ullus alienigena, præputiatus corde, & præputiatus carne, non venito ad Sanctuarium meum: Ullus inquam alienigena, qui ſit inter Filios Iſraëlis.* Hinc Chriſtus illos vocat *canes*, Matth. XV. 26. Cum quo dicto conferendum illud: *Foras canes*, Apocal. XXII. 15. Accedit & hoc, quòd legem Circumciſionis, & reliqui cultûs Ceremonialis inſtituti in Populo Judaico, atque adeò etiam Sacrificiorum, & interdicti ſanguinis, quod ad illa relatum fuit, Apoſtolus vocat inimicitias illas, quibus per Chriſtum demum ſublatis Gentes Deo conciliatæ fuerunt, Eph. II. 15. 16. Quomodo Lex Dei inimicitiæ, quibus peremtis Deo conciliatæ Gentes, ſi inimicitiæ Dei cum gentibus vel ipſo præputii charactere obſignatæ non fuerunt, quibus obſtantibus ab Eccleſia, veluti murali ſepimento interpoſito, ab ejus acceſſu arcebantur? Ut ſit vaniſſimum illud de univerſali vocatione, communi fœdere, & neceſſitate ſervandi ea præcepta, quæ Eccleſiæ tradita in obſignationem Spei Meſſiæ venturi, figmentum. Hæc obiter attingi debuerunt, & opponi Curcellæo, qui, θέσιν ſuam φυλάττων, rejectionem Gentium definit ſolo hoc actu negativo Dei *permittentis, ut eant in ſuis viis, non mittentis Prophetas, non admonentis officii.* Aliud Scripturæ conſultæ, & ex iis loca allegata, reſpondent. 4. Neque illud defæcatius, quòd dicit:

Illis, qui præcepti Noachi memoriam non retinuerunt, non vertere in culpam ejus neglectum: quia hæc res non ſit ex earum genere, quæ cognoſci naturali lumine potuerunt. Atqui, ſi in perſona Noachi hoc præceptum datum eſt omnibus ejus poſteris, rei fuerunt violati mandati, ac proinde haud dubiè alicubi per Prophetas hoc facinus illis exprobratum: ſive mandati illius memores fuerunt, ſive oblivione capti. Si memores fuerunt, concedit. Si oblivione ſepeliverunt, non ideò ceſſavit obligatio. Imò cùm ſua & majorum culpa memoriam illius mandati amiſerint, oblivio rei neceſſariæ in incrementum noxæ vertit. 5. Sed abrumpit filum φιλονεικίας hiſtoria Moſis, in qua clarè teſtatum, Deum Gentilibus eſum ſanguinis in morticino permiſiſſe. Cujus argumenti nervum inferiùs adſtringemus. 6. Si naturali lumine Gentiles cognoſcere non potuerunt, ſanguinis eſum illicitum eſſe, non igitur naturâ vitioſum eſt, illo veſci. Deſinat ergo Curcellæus traducere crudelitatem, feritatem ejus eſus, & inſanè paratragœdiari.

CAPUT V.

Curcellæi & Becmanni contrariæ rationes ſolvuntur.

Breviarium.

Curcellæi objectio. 1. 2. Non ideò omnes obligat lex, quia Noacho lata. 3. Becmanni ratio: Præceptum hoc morale eſſe, quia ratio ejus moralis, examinatur. 4. Morale definitur. Moralitatis indicia. 5. Inducuntur præcepta ceremonialia, quæ moralem rationem adjunctam habent. Locus Ierem. VII. 22. à Maimonide explicatus. 6. Veſtium externa mundities cur in Veteri Teſtamento præcepta? Cur circumdatio anguli capitis? Veſtes ex lino & lana in Veteri Teſtamento illicitæ cur fuerint? Cur mulier viri veſtes non auſa geſtare? כלאים. *Azymi panes. 7. Cauſa diſcriminis ciborum ex Origene & Barnaba. 8. 9. Chryſoſtomi commentatio in Geneſ. IX. 4. 5. 10.*

I. Præ-

Digitized by Google

I.

PRæceptum Noacho datum, cujus hactenus vim & obligationem perpendimus, opinioni vulgari lethale vulnus infligere Curcellæus dixit. Inanis jactantia. In aprico enim collocavimus, præceptum illud ceremoniale, non morale fuiſſe. Nullam itaque obligationem in illos inducit, qui à ceremoniarum jugo per gratiam Chriſti liberati, atque adeò à moleſta illa ſervitute ſunt manumiſſi. Duo tamen obſtare videntur, quorum prius Curcellæus urget, poſterius Doctiſſimus Becmannus.

II. Curcellæi probatio talis: *Ad univerſum genus humanum pertinere iſtud interdictum inde liquet, quòd factum ſit inſtauratori ejus* Noacho, *& filiis ipſius, ex quibus omnes reliqui homines ad hodiernum uſque diem originem ſuam traxerunt.* pag. 41. Reſp. Univerſum genus humanum accipitur vel pro collectione omnium hominum in certa aliqua ætate, vel in omni omnium temporum ætate. Si priori modo accipitur, non intercedo. Non dubitandum enim, quin obligaverit totum hominum genus uſque ad ea tempora, quibus à fœdere externo & viſibili ſocietate Eccleſiæ Gentiles excluſi fuerunt. Qui temporis tractus ampliſſimus fuit. Si poſteriori, eſt mera λῆψις ἐν ἀρχῇ. Neque rationem magno emſerim. Fuerit enim datum inſtauratori generis humani Noacho, & filiis ejus. An ideò omnibus hominibus in qualibet ætate mundi? Nempe ipſi datum fuit præceptum, non ut homini, quomodo univerſi generis reſtaurator erat, ſed ut fideli, & principi membro Eccleſiæ, cui expediebat in viſibili ſymbolo manifeſtare ſapientiam in myſterio occultatam, & unicum illud nomen, in quo ipſum ſalvari oportuit. Nam veritati liquidò dedimus præceptum hoc fuiſſe δικαίωμα λατρείας, & pertinuiſſe ad legem de Sacrificiis. Ergo obligavit omnes Noacho ſatos, qui membra fuerunt hujus externæ & viſibilis Eccleſiæ uſque ad Chriſtum. Si obfirmet animum adverſarius, cogitet de Adamo. Is non reſtaurator fuit generis humani, ſed πρῶτος ἄνθρωπος γενόμενος εἰς ψυχὴν ζῶσαν, 1. Cor. XV. 45. An propterea omnes leges ipſi & filiis latæ ita univerſales fuerunt, ut homines univerſos ex ipſo lege carnalis generationis deſcendentes in qualibet circumſtantia obligârint? Quid ergo de lege Sacerdotii fiet, quam ipſi datam eſſe ſuperiùs firmis rationibus evicimus? Nam illam neque ſemper, neque omnes omnino homines in qualibet circumſtantia obſtrinxiſſe, manifeſtius eſt, quàm imber cùm pluit.

Digitized by Google

III. Pergit: *Non ideo obligandi vim amiſiſſe, quòd ſequentibus Secu-lis apud mortalium pleroſque in deſuetudinem abierit. Eodem enim jure dici poſ-ſe, nos mandato inimicos diligendi, quod hodie à tam paucis obſervatur, non am-pliùs teneri: Legibus quidem humanis contraria conſuetudine derogari; ſed aliter ſe rem habere in Divinis, quæ tandiu nos devinciunt, donec Deus aperto indicio, ſe nos ab eorum obedientia liberare oſtenderit.* pag. 41. Agnoſcimus contra-ria conſuetudine legibus Divinis non derogari. Nam hominum in-fidelitas dominium Dei non enervat. Sed quæ ipſi ſequentia ſecu-la? Qui mortales? Si ſequentia Secula uſque ad Chriſti tempora, largior. Si Mortales, ſingulos homines uſque ad Gentium ſervitu-tem, & ab hac Judæos uſque ad Chriſtum, nec ſic diſſentio. Sed quid hoc ad rem? Quis tam futili ratione uſus, ut hac occupatione opus fuerit?

IV. Poſterior ratio, quæ eſt Doctiſſimi Becmanni, ſpecio-ſior longè eſt, & colore ſuo multis blanditur. Is Exercitat. XXVI. quam integram in hac quæſtione conſumſit, argumentum ex Geneſ. IX. 4. primore loco urget, & munit hac inſtantiâ, *quòd præceptum Noa-chi habeat adjunctam rationem moralem, quæ pertinet ad præceptum Decalogi Sextum:* Non occides. *Quia enim,* inquit, *homines ideò ab eſu ſanguinis ab-ſtinere debent, ut ne hominum ſanguinem fundere geſtiant, quare non referretur ad præceptum Decalogi:* Non occides? *Quippe cum virtutibus & vitiis cauſæ, occaſiones & media omnis generis comprehenduntur*, pag. 532. Ἀκμὴ ratio-nis: Præceptum eſſe morale, cujus ratio moralis. Cum hac obje-ctione haud deſultoriè nobis confligendum eſt. Summis igitur ve-lis utemur. Apparebit autem, ſi rectè calculum poſuerimus, plus coloris quàm rei, veriſimilitudinis quàm neceſſitatis habere.

V. Definiamus ergo primò morale, & quid ad moralitatem præcepti exigatur, diſpiciamus. Morale dicit reſpectum ad eos actus creaturæ rationalis, qui propter convenientiam vel diſconvenien-tiam cum rationali natura, vel potiùs cum natura & præcepto Dei, quo finitur Sanctitas creata, moralem turpitudinem habent, vel ho-neſtatem moralem. A priori igitur morale demonſtratur illud, cu-jus oſtenditur convenientia cum tali Dei. Quia verò non omne præceptum Dei neceſſarium explicitè ſcriptum eſt, & præceſſit tempeſtas, qua nihil omnino mandatum ſcripto, & præcepta ali-quando Deus tulit, quæ non omnino moralia; indiciis quibuſdam cognoſci debet, actum aliquem cum præcepto Dei omnes & ſem-

per

Digitized by Google

per obligante, convenire vel diſconvenire. Indicium ejuſmodi duplex eſt. Primum, cùm recta ratio, quam Philoſophus ἐν Διακειμένῃ ſæpiſſimè appellat, ex principiis juſti ſecum cognatis judicat, talem actum voluntati Dei, quæ juſta & ſancta eſt, quàm maximè convenire. Facultatem hujus judicii Deus conceſſit omnibus hominibus, ne humana ſocietas, ignara virtutum & vitiorum homini propriorum, in licentiam maximorum ſcelerum ſolveretur & deſpumaret, cædibus ſæviret, furtis, adulteriis, fraudibus & facinoribus aliis ſe nefandum in modum obligaret, atque ſic demta externa honeſtate, non jam hominum ſocietas ratione utentium, ſed belluarum exiſteret. Alterum indicium convenientiæ vel diſconvenientiæ actus humani cum præcepto Dei, eſt clara conſenſio, ſi non omnium, at moratiorum gentium. Hoc innuit Philoſophus, probaturus, ſummum bonum eſſe, quod omnes expetant: Ὃ γὰρ πᾶσι δοκεῖ, inquit, τοῦτο εἶναι φαμέν. Ὁ δὲ ἀναιρῶν ταύτην τὴν πίστιν, οὐ πάνυ πιστότερα ἐρεῖ. *Quod omnibus ita videtur, illud eſſe dicimus. Qui verò hanc perſuaſionem tollit, parùm credibiliora afferet.* Ethic. Nicomach. X. 2. Hinc & Heraclitus ſtatuens λόγον ξυνὸν optimum eſſe veritatis τεκμήριον, τὰ κοινῇ, inquit, φαινόμενα πιστά. *Quæ communiter ita videntur, fida ſunt.* Et Cicero Tuſcul. Quæſt. lib. 1. *In re conſenſio omnium gentium jus naturæ putanda eſt.* Cui ſuccinit Seneca Epiſt. CXVII. *Argumentum veritatis eſt, aliquando omnibus videri.* Et quemadmodum οὐδὲν τῶν φύσει ὄντων ἄλλως ἐθίζεται. Ethic. Nicom. II. 11. Sic impoſſibile, ut non omni tempore, & omnibus omnino hominibus, quod eſt ejuſmodi, tanquam lege dictatum, faciendum videatur. Neque quicquam aliud ad moralitatem requiri videtur. Unde jam proclivè judicatu, quam vim habeat Becmanni ratio: *Morale eſt*, inquit, *quod moralem rationem habet.* Nego. Quis ita morale præceptum definivit? Sufficit ad morale præceptum, ut ratio ex principiis congenitis juſtitiæ & honeſtatis judicet, actum aliquem cum ſancta & immutabili voluntate & natura Dei convenire: & ut in eo conſentiant moratiores omnes. De cætero ratio moralis non eſt neceſſarium accidens moralis præcepti.

VI. Imò Ceremonialia præcepta ſæpe moralem rationem habere, patebit inductione multorum aliorum. Ac primò præcepti de ſacrificando. Illud ceremoniale eſſe in confeſſo eſt. Qui tamen querelas Dei in Scripturis expendit, & nauſeam ſacrificiorum, quâ ſæpiuſculè captus fuit, facilè intelliget, Deum legiſlatorem carnali

illi

Digitized by Google

illi præcepto rationem moralem adjunxiſſe. Nempe hanc, ut Deo potiùs quàm falſis Numinibus hoc velut Sacramento ſe devoverent; miſeriam ſuam præſentibus indiciis in mactatione animalium confiterentur, juſtitiæ Dei ſine idonea ſatisfactione ad Tartara uſque flagraturæ ritu hoc typico litarent; pro beneficiis tam ſpiritualibus quàm corporalibus gratitudinis ſuæ ac memoriæ arrham apud Deum deponerent. Quas cauſas à Deo intentas eſſe liquet. Hinc, quoties Sacrificiorum cultum & γυμνασίαν σωματικὴν homines illi ante præcepta Dei, & morales has rationes habere cœperunt, Deus vehementer indignationi vela dedit, & brutum illorum ſtuporem accuſatione moleſtiſſima eſt executus. Majmonides ſanè non obſcurè hoc innuit More Nevoch. III. 32. ubi objectionem motam ex Jerem. VII. 22. hac reſponſione expedit: *Prima*, inquit, *intentio mea fuit, innuit Deus, ut apprehendatis me, neque alii ſerviatis, ut ego ſim vobis in Deum; Vos mihi in populum. Hoc autem præceptum meum de oblationibus datum eſt in hunc finem, ut exinde ad utilitatem veſtram hoc diſceretis. Et ea de cauſa tranſtuli illos cultus ad nomen meum, ut omnis idololatria deleatur, & unitas mea confirmetur. Vos verò veniſtis, & finem meum irritum feciſtis, cultuique externo adhæſiſtis. Nam dubitaſtis de mea exiſtentia, ſicut dicitur: Negaverunt Dominum, & dixerunt: Non eſt ipſe: & idolis ſervîſtis, Baali adoleviſtis, poſt Deos alienos iviſtis. Reſpexiſtis ſolùm ad Templum Domini, & ad oblationes, quæ non erant principalis intentio.* Hactenus ille. Quis igitur non videt, præcepto Divino Ceremoniali de ſacrificando, Dei deſtinatione adjunctam rationem moralem, & quidem multiplicem?

VII. Externam corporis munditiem Deus ab Iſraelitis in Vet. T. requiſivit. Videlicet, ut in veſtitu mundum cuſtodirent, corpus lavarent, ſudorem & ſordes abſtergerent, & ſi quid aliud. Præceptum ceremoniale haud dubiè fuit, quia ejus obſervantia per ſe Iſraelitas Deo non commendavit. Hinc Eſajas LXVI. 17. *Qui ſanctificant ſe & purgant in hortis, modò hic, modò iſthic: qui carnem porcorum vorant & murium, unâ ruinâ omnes involventur, dictum Jehova.* Et tamen præcepti hujus Ceremonialis rationem moralem fuiſſe, palàm eſt. Nempe ut hoc Symbolico præcepto docerentur, purificare opera & cor ab opinionibus pravis & moribus inhoneſtis. Jam conſtat, plurima præcepta eſſe, quæ Deus ſolis Iſraelitis injunxit, ut idololatriam deteſtarentur. Sic enim prohibuit circumdationem anguli capitis, & anguli barbæ Lev. XIX. 27. Quæ ratio? Quia ita tondere

ſe

Digitized by Google

ſe & radere ſolebânt Sacerdotes idololatrici,teſte Maimonide More Nevoch. III.37. Non fuit integrum Iſraelitis geſtare veſtimentum ex lino & lana Lev.XIX.19.Sive quòd Deus hoc modo pateſaceret,ſibi in cultu ſinceritatem placere: &,ut lana ac linum miſceri non debuerunt,ſic nec cultus miſceri oportere,quæ ratio à pleriſque illius præcepti eſſe putatur: Sive quòd tum temporis Sacrificuli idololatrarum ita incedere ſolerent. *Simul enim*, inquit *Maimonides, adhibebant tum plantas, hoc eſt, linum, & animalia, hoc eſt, lanam; ac præterea annulum, qui ex metallo aliquo erat, in digitis geſtabant: ſicut iſta in libris ipſorum reperiuntur.* Neque diſpar ratio præcepti,Deut.XXII.ne mulier induat veſtimenta viri. *Invenies enim*, inquit Maimonides, *in libro* טמטום *præcipi, ut vir geſtet veſtimentum muliebre coloratum, quando ſtat coram ſtella Veneris. Similiter, ut mulier induat loricam & arma bellica, quando ſtat coram ſtella Martis.* Prohibuit lex כלאים inſitionem unius arboris in aliam. Ratio moralis eſt deteſtatio idololatriæ Zabæorum, ſi fides eſt Doctiſſimo Judæo. Hi enim confinxerant, ſi arbori arbor inſeratur in tali vel tali Lunæ conſtitutione,ſi his vel illis ſuffumigetur,ſi hæc vel illa verba in ipſo inſitionis momento proferantur,ex inſita illa arbore proditurum quidpiam,quod ad plurimas res conducat,& ſalutare ſit.Oportere autem,ut cùm una ſpecies in aliam inſeritur,ſurculum inſerendum manu teneat formoſa puella,quam Vir præternaturali ratione corrumpat,ipſáque inter libidines plantulam arbori inſerat.Atque hanc idololatriam,ut pudendam ſic uſitatiſſimam iſtis temporibus,Deum,ut deteſtarentur,præcepto illo contendiſſe.Azymis panis veſci imperabantur Iſraelitæ tempore Paſchatis. Ratio moralis ſuberat,ſi Paulo interpretanti credimus. Sic enim ille: *Expurgate vetus fermentum,ut ſitis nova maſſa,ſicut eſtis ſine fermento. Nam Paſcha noſtrum pro nobis mactatum, Chriſtus. Quare feſtum celebremus non in veteri fermento malitiæ & nequitiæ,ſed in Azymis ſinceritatis & veritatis*, 1.Cor.V.7.8.

VIII. Quid dicam de diſcrimine ciborum mundorum & immundorum? Cujus præceptum merè ceremoniale eſſe, Chriſtiani omnes fatentur. Et tamen morales rationes non deſunt,qui cumulent.Origenes lib.4.contra Celſum in hac re prolixus eſt.Cujus verba ex Græco tranſlata adſcribam: *Mali quidam Dæmones, & ut ſic loquar, titanici aut gigantei, qui impiè in verum Numen &*

cœleſtes Angelos ſe geſsêre, ideóque è cœlo ejecti ſunt, circa corporum craſſiora & impuriora in terris ſe agitant. Cúmque habeant aliquam circa futura perſpicaciam, ut qui à terrenis corporibus ſint liberi, & in talibus negotiis multùm verſati, hoc unicè ſtudentes, humanum genus ut abducant à vero Deo, inſinuant ſe, in animantium fera ac rapacia maximè, deinde & in callidiora, & ea, quoties volunt, quò volunt movent, aut etiam talium animalium vim imaginoſam incitant ad hos aut illos volatus motionéſve, ut homines capti divinationibus, quæ per muta ſiunt animalia, Deum cuncta continentem non quærant, neque veram exerceant pietatem, ſed cogitationibus ſuis decidunt in terram, in aves, in dracones, quin etiam in vulpes & lupos. Obſervatum enim eſt harum rerum peritis, prædictiones maximè notabiles per id genus animalia fieri, non valentibus, ut videtur, dæmonibus tantum efficere in manſuetis animantium, quantum prava iſta animantia poſſunt in aliis, quæ diximus, animantibus, ob id quod iſta habent vitio ſimile, non vitium propriè, ſed quaſi vitium. Quamobrem, ſi quid aliud in Moſe et miratus ſum ipſe, & dignum miratu exiſtimo, hoc eſt, quòd cùm percepiſſet naturas animantium diverſas, ſive à Deo edoctus ea, quæ ad animantia, & ad dæmones animantium cuique affines pertinebant, ſive propria ipſe ſcientia perductus ad noſcendos animantium gradus, omnia ea impura pronunciavit, quæ ab Ægyptiis aliiſque gentibus vim divinandi habere cenſebantur, contrà verò omnia ea pura, quæ extra illum cenſum eſſent. Hactenus Origenes. Quibus conſentientia ſcribit Theodoretus l. 7. adverſus Græcos. Hinc Manetho: Νομοθετήσας καὶ πλεῖστα ἄλλα, μάλιστα τοῖς Αἰγυπτίοις εἰθισμένοις ἐναντιούμενα. *Cùm plurima inſtituiſſet alia, Ægyptiorum inſtitutis pugnantia.* Non alias tamen hujus interdicti cauſas ſtringit Barnabas in Epiſtola, quam laudat Clemens Stromat. l. 5. Verba non pigrabor tranſcribere. *Quod dixit Moſes,* inquit, *non veſcimini porco, neque aquila, neque oxyptero, neque corvo, neque piſce, qui ſquamis careat, in ſecreto intellectu* (ἐν τῇ συνέσει) *tria comprehendit dogmata. Quò tendat, diſertè ipſe in Deuteronomio oſtendit: Et teſtabuntur populo meo juſta mea. Non igitur præceptum propriè eſt, hoc vel illo non veſci: ſed in Spiritu dixit iſta Moſes. De porco hoc eſt, quod voluit: Nolite conglutinari cum hominibus illis, qui porcis ſunt ſimiles. Nam, dum luxu diffluunt, obliviſcuntur domini ſui: Ubi autem res contrà eunt, agnoſcunt dominum. Nam & porcus ubi comedit, non curat dominum: Ubi eſurit, clamat: & rurſum, ubi quod*

decepit, tacet. Neque comedes, inquit, aquilam, neque oxypterum, neque milvum, neque corvum: Hoc dicit: Ne conglutineris hominibus ejuſmodi, qui labore ac ſudore victum ſibi neſciunt quærere, ſed aliena rapiunt injuſtè factis ſuis, inſidiáſque ponunt, ſpecie ſumta bona fide ambulantium. Sic & animantia illa odioſa, dum deſident, ſpeculantur, quomodo alienis ſe paſcant carnibus, noxia malo ingenio ſuo. Ne comedas etiam murænam, inquit, nec polypum, nec ſepiam. Hoc dicit: Ne agglutinando te ſimilem reddas hominibus talibus, qui perpetuò ſunt impii & morti ſervantur: ſicut piſcium illi ſoli, qui damnantur, in fundo natant, nec in ſummo, ut cæteri, fluitant, ſed in imo ſolo degunt. Sed nec daſypoden comedas, inquit. Cur verò? Id eſt: Ne fias puerorum corruptor aut ſimilis talibus. Lepus enim quoque anno ad ejectamenta alvi fit opulentior. Quot enim habet annos, totidem & cavernas. Sed nec hyænam, ait, veſcere. Id eſt, nec adulter eſto, aut ſimilis adulteris. Unde hoc? Hoc enim animal quotannis mutat naturam, et nunc mas fit, nunc fœmina. Sed & muſtelam meritò odio habuit. Nimirum hoc monet: Noli ſimilis eſſe illis, quos audimus ore infamia patrare: neque aggrega te fœminis in eum modum morigerantibus: nam animal illud ore concipit. De cibis ergo loquens Moſes, tria dogmata in Spiritu locutus eſt. At illi pro cupidine carnis ſuæ ſimpliciter de cibis ea accepêre. At trium illorum dogmatum cognitionem etiam David conſecutus eſt. Dicit enim: Beatus Vir, qui non ambulavit in conſilio impiorum, (nimirum quomodo piſces verſantur in tenebris, in profundo abditi,) et in via peccatorum non ſtetit; (nimirum ut illi, qui cum videantur Deum timere, peccant porcorum inſtar) & in cathedra peſtilentium non ſedit; (nimirum ut volucres, quæ raptui imminent.) Habeto & ea, quæ ad ſcientiam pertinent. Dixit Moſes: Edite omne bifidum ungulis & ruminans. Quid ait? Qui cibum ſumit, agnoſcit altorem ſuum, & in eo acquieſcit. Bene dixit, ad præceptum reſpiciens. Quid igitur dicit? Adhærendum iis, qui Dominum timent; iis, qui in corde meditantur, quod accepêre in verbis, præceptum: iis qui loquuntur juſta Dei, eáque ſervant: iis, qui nôrunt meditationem eſſe juſtitiæ opus: iis qui ſermones Divinos ruminant. Quid verò bifidum ungulis? Quia vir juſtus in hoc ævo ambulat, & alterum ævum exſpectat. Vide quàm pulchrè leges dederit Moſes. Hactenus Barnabas. Eadem Philo habet lib. de agricultura, & libro, Pejorem inſidiari meliori. Et ex Ariſtæo Euſebius lib. VIII. c. 9. Quæ adeò ſolicitè refero, tum ut con-

 ſtet,

ſtet, moralem rationem non neceſſariò præceptum morale facere; cum, quia hæ res per ſe utilem & liberalem cognitionem habent.

IX. Atque hactenus non veremur album calculum adjicere Sapientiſſimo Maimonidi, qui confidenter concludit, *Omnia præcepta Dei ceremonialia, præter typicam rationem,* (quam ego hîc principaliter includi ſtatuo, quàmvis Maimonides diſſimulet) *facere ad ἀφέλειαν animæ, & rationem ſive manifeſtam ſive occultam continere.* Ut jam ad oculum pateat infirmitas argumenti Clariſſ. Becmanni. Vel enim omnia iſta præcepta, quorum jam contexuimus ſeriem, & quæ demonſtravimus moralibus rationibus, quæ ſingula ad præceptum aliquod Decalogi vel formaliter vel virtualiter, referri poſſent, ſuffulta eſſe, ſunt moralia, quod nemo ſanus complecti audebit: vel illud non mox morale eſt, quod moralem rationem additam habet. Interim illud ad animum revocari velim, ejuſmodi præcepta potiſſimùm myſtica eſſe, & σχέσιν habere ad futura. Myſtica autem illa præcepta Deus pro πολυποικίλῳ σοφίᾳ ſua, liberè veſtivit etiam moralibus rationibus. Proinde præſente καιρῷ διορθώσεως præcepta illa obligationem amiſerunt, cùm ratio moralis & interna hominis ſanctitas, quam utcunque figurârunt, æternam obligationis vim retinere debeat.

X. Antea quàm de hac provincia decedo, aurei & mellitiſſimi oris, Chryſoſtomi locum lubet coronidis loco adſcribere. Ex quo liquebit, ipſum hoc mandatum pro ceremoniali habere. Nam diſertè comparat cum lege data Adamo in ſtatu innocentiæ de non comedendo fructu arboris vetitæ. Verba ſunt: ὅρα αὐτὸν τὸν κανόνα ἑτέρως διασωζόμενον, τὸν ἐπὶ τοῦ πρωτοπλάστου. Καθάπερ γὰρ ἐκεῖ μετὰ τὸ πάντων ἐγχειρῆσαι τὴν ἀρχὴν καὶ τῶν ἐν τῷ παραδείσῳ παραχεῖν τὴν ἀπόλαυσιν, ἑνὸς ξύλου μόνον ἀπέχεσθαι ἐκέλευσεν. Οὕτω μετὰ τὴν εὐλογίαν καὶ τὸ φοβερὸν αὐτὸν καταστῆσαι τοῖς θηρίοις καὶ πάντα τὰ πετεινά, καὶ τὰ ὄρνεα ὑπὸ χεῖρα ποιῆσαι, φησι, πᾶν ἑρπετὸν ζῶν ὑμῖν ἔσται εἰς βρῶσιν, ὡς λάχανα χόρτου ὑμῖν δέδωκα τὰ πάντα. Ἐντεῦθεν ἀρχὴ κρεοφαγίας. Οὐχ ἵνα εἰς γαστριμαργίαν αὐτοὺς ἀλείψῃ, ἀλλ᾽ ἐπειδὴ ἤμελλεν ἐξ αὐτῶν θυσίας ἀναφέρειν οἱ ἄνθρωποι, καὶ εὐχαριστίας ποιεῖσθαι τῷ δεσπότῃ, ἵνα μὴ δόξωσιν, ὡς ἀφιερωμένων ἀπέχεσθαι, διὰ τοῦτο τῆς βρώσεως τὴν ἐξουσίαν χαρίζεται, καὶ πολλὴν τὴν ἄδειαν παρέχει, ὡς λάχανα χόρτου, φησὶ, δέδωκα ὑμῖν πάντα. Εἶτα καθάπερ ἐπὶ τοῦ Ἀδὰμ τοῦ ἑνὸς ξύλου ἐνετείλατο μετὰ τὴν πάντων ἀπόλαυσιν ἀπέχεσθαι, οὕτω ἐνταῦθα μετὰ τὸ πάντων ἀδεῶς ἐπιτρέψας τὴν ἑστίασιν, φησὶ,

πλὴν

πλὴν κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς οὐ φάγεσθε. Τί ἄρα βούλεται τὸ εἰρημένον; τί ἐστιν κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς; τοῦτ' ἐστι πνικτόν. Τοῦ γὰρ ἀλόγου ἡ ψυχὴ τὸ αἷμα τυγχάνει. Ἐπεὶ οὖν τὰς θυσίας ἤμελλον ἐπιτελεῖς τὰς διὰ τῶν ἀλόγων, μονονουχὶ διδάσκει αὐτοὺς, λέγων. Ὅτι τὸ μὲν αἷμα ἐμοὶ ἀφώρισται, τὸ δὲ κρέας ὑμῖν. Ταῦτα δὲ ποιεῖ, ἄνωθεν περιαναστέλλων αὐτῶν τὴν ὁρμὴν, τὴν περὶ τὴν ἀνδροφονίαν. Hoc eſt. *Ecce, quemadmodum Deus iteratò cuſtodiat eum canonem, quem in Protoplaſtis cuſtodivit. Sicut enim ibi abſolutis & conditis ab initio rebus omnibus, & copia facta veſcendorum omnium, quæ in Paradiſo, arboris tamen unius fructu ne veſcerentur, prohibuit: ita hic poſtquam homini benedixit, etiam terribilem brutis effecit, ejuſque imperio ſubdidit reptilia & volatilia, dicit:* Omne reptile vobis eſto in cibum: ſicut herbam vobis omnia dedi. *Atque hinc arceſſitur origo manducationis carnis. Non quidem Deus ventri illorum lenocinari voluit: ſed quia voluerunt victimas ex iis mactare homines, & Euchariſtica ſacrificia Deo libare, Domino ſuo; ne exiſtiment abſtinendum carnibus tanquam rebus ſacratis, indulget poteſtatem edendarum carnium, & confidenter, ne verecundentur:* ſicut herbam, inquit, Vobis dedi omnia. *Deinde, quemadmodum cùm Adamo permiſiſſet veſci omnibus rebus, excepto fructu arboris vetitæ: Sic etiam hic, poſtquam magna fiducia juſſiſſet eos omnia comedere, inquit:* Tantùm carnem in ſanguine animæ ne comedatis. *Quid igitur ſibi vult quod dixit? Quid eſt caro in ſanguine anima? Hoc eſt ſuffocatum. Nam brutorum anima ſanguis eſt. Cùm igitur Sacrificia ex animantibus Deo vellent offerre, tantummodo docet: Mihi ſanguis ſeparatus eſt; Vobis autem caro. Hoc autem facit divinitus prohibens cædes.* Hæc ille. Nos pergimus.

CAPUT VI.

A Moſe uſque ad Chriſtum eſum ſanguinis ceremoniali præcepto interdictum fuiſſe, probatur.

Breviarium.

Progreſſio ad tertiam periodum ſub Moſe. 1. Loci Lev. III. 17. VII. 26. illuſtrati. Iudæorum diſtinctio inter ſanguinem animæ & ſanguinem membrorum proponitur & refellitur. 2. An ſub in-

Digitized by Google

terdicto Moſis ſanguis piſcium contineatur. Seldenus & Curcellæus refutati. Reſpondetur illorum rationibus. Collectio piſcium & locuſtarum. 3. Locus Levit. XVII. 10. 11. Anima ſanguis. Sanguine carere. 4. Ratio præcepti Moſaici nonniſi typica. Particulæ relativæ כי & ו· Arabs laudatur. 5. Maimonidis ϛοχασμὸς prudenter accipiendus. 6. Præceptum Moſaicum purè Ceremoniale fuiſſe probatur. Proſelythus domicilii fuit ·אוכל נבילות. 7. Poſitivum non idem quod Ceremoniale. Graduum conſanguinitatis, polygamiæ, divortiorum prohibitio non eſt à jure poſitivo. Grotius perſtringitur. Diſtinctio juris naturalis & poſitivi, ejuſdémque uſus contra Curcellæum aſſeritur. 8. Præceptum Noacho & Moſi datum diſtinctum non fuit. Præcepta de Sabbatho & ſanguine diſparata.

I.

AD tertiam temporis periodum, quæ à Moſe uſque ad Chriſtum extenditur, gradum promovemus. In qua agnoſcimus Judæis Divino oraculo per Moſen cautum eſſe, ne ſanguine veſcerentur. Servabimus autem eundem etiam hîc ordinem, quem ſuprà. Primò interdictum in medium adferemus & luce majori donabimus. Deinde cauſas interdicti carptim dicemus. Mox rationibus certis probatum dabimus, præceptum non morale, ſed Ceremoniale fuiſſe. Denique Curcellæi & Becmanni contrarias rationes ad libram veritatis appendemus. Ergo ad rem.

II. Primus locus occurrit Levit. III. 17. & repetitur Lev. VII. 26. כל דם לא תאכלו בכל מושבותכם לעוף ולבהמה : כל נפש אשר תאכל כל דם ונכרתה הנפש ההוה מעמיה; *Sanguinem non comedetis in ullis habitationibus veſtris, nullius volucris vel beſtiæ. Quiſquis homo comederit ullum ſanguinem, utique exſcindetur ille homo è populis ſuis.* Ubi ſimpliciter interdictum commemoratur, ſine additamento rationum. Et ſanguinem intelligit, ſive fuſum, ſive viſceribus adhuc contentum, ſive eduliis mixtum. Judæi tamen diſtinguunt inter דם הנפש *Sanguinem animæ, &* דם האיברים *Sanguinem membrorum.* Illum prohiberi ſub pœna *excidii:* hunc ſub pœna מלקות *flagellationis.* Rationem diſtinctæ pœnæ ſi deſideras, illam promit R. Levi Barcelonita: דם הנפש הוא בכרת שבמקום שבא בתורה הכרת בדם נאמר שם נפש

נפש שנ׳ כי נפש הבשר בדם הוא ומה [illegible] דם הנפש אלא דם האברים אין איסורו אלא בלאו שעליו נא׳ [illegible] וכל דם לא תאכלו: *Sanguis animæ prohibetur ſub pœna excidii, quia ſi in lege mentio fit excidii propter ſanguinem, animæ vox additur: quia anima in eo eſt. Qui verò non animæ ſed membrorum ſanguis eſt, nonniſi nuda negatione prohibetur: de hoc enim ſimpliciter dicitur: Nullum ſanguinem comedetis.* Ergo hominem dicunt reum fieri excidii propter ſanguinem, qui exit tempore mactationis, aut narium diſciſſionis, aut capitis amputationis, quamdiu in illo rubedo conſpicua fuerit. Eandem rationem eſſe ſanguinis congregati in medio cordis, ſanguinis in phlebotomia ebulliendo erumpentis. Flagellationem conciliare ſanguinem, qui in mactatione, poſtquam ſanguis naturalis effluxit, lentè exprimitur: Sanguinem item membrorum, ut lienis, renum teſticulorum, & qui ſe tempore mactationis ad cor aggregat. De qua re prolixè agitur Thalm. Maſſ. Kerith. cap. 5. Cæterùm illam diſtinctionem præter & contra legem Judæi invehunt, atque ſic impiè vincula legis Divinæ laxant. Apertus eſt Moſes in hoc loco, ubi ſancit, ut *exſcindatur anima potantis ſanguinem.* An tantùm potantis ſanguinem animæ? Atqui non meminit דם הנפש *Sanguinis animæ.* Sed in genere cujuslibet ſanguinis. Secundùm Rabbinorum mentem hoc loco Moſes, qui in genere de quolibet ſanguine loquitur; non pœnam כרת ſive *excidii*, ſed pœnam מלקות ſive *flagellationis* intonare debuit. Contrà autem factum videmus.

III. Ex Maimonide Curcellæus probat, piſcium ſanguinem hoc interdicto non contineri. Et ſanè illorum non fit hic mentio, ſed tantùm עוף & בהמה *Volucrium & beſtiarum.* Neque ritus mactationis piſcium in lege traduntur. Et piſcium collectio confertur cum mactatione ovium, & boum. Num. XI. 22. Piſcium igitur collectio ſufficere videbatur. His rationibus videntur niti Seldenus & Curcellæus. De locuſtis idem adfirmant. Obſtare tamen videtur 1. quod Geneſ. IX. 4. exceptio ſanguinis fit, non tantùm à carne beſtiarum & volucrium, ſed etiam *piſcium in aquis natantium,* v. 2. 4. Eadem igitur ratione prohibita videtur piſcium caro cum ſanguine eorum, qua caro cum ſanguine cæterorum animantium. 2. Quod diſcrimen munditiei & immunditiei etiam in piſcibus notatum, Levit. XI. 9. 10. *Hoc comedetis ex omnibus, quæ ſunt in aquis: Quod habet pinnas & ſquamas in aquis: tum per maria, tum in fluminibus illa comedetis. Quic-*

quid

quid verò non habet pinnas aut ſquamas tum per maria, tum in fluminibus, ex omni reptili aquatico, denique ex omni animante, quæ ſit in aquis, abominationi ſunt vobis. 3. Locuſtas quas vocaverint Moſes & Prophetæ, non planè certum nobis eſt. Quis enim diſſimulare poteſt tenebras & caliginem noſtram circa nomina animalium Hebræis uſitata? 4. Cùm locuſtæ, quocunque modo accipiantur, annumerari debeant animalibus commemoratis à Moſe Geneſ. IX. 2. 3. à quibus excipit ſanguinem verſ. 4. clarum eſt, æquè illorum ſanguinem illicitum, ſi modò ſanguinem verum habent. Jam Curcellæi & Seldeni rationes quod attinet, non eſt ad eas reſponſu difficile. Non erat, cur hoc loco Moſes piſcium mentionem faceret. Nam agit de ſanguine Sacrificiis deſtinato: & de notabili aliqua copia ſanguinis. Piſces autem neque ad aram veniebant, neque pollent notabili aliqua copia ſanguinis. Ritus quidem mactationis piſcium nullibi exprimitur: Sed convenienti aliqua ratione ſanguinem eximere potuerunt. Id quod ſine mactatione fieri potuiſſe quis non intelligit? Neque piſcium & locuſtarum אוסף *collectio* pro mactatione fuit. Certè loca allegata Num. XI. 22. Eſaj. XXXIII. 4. id non evincunt. In priori congregatio piſcium comparatur cum mactatione animalium. Sed in ipſa congregatio erat ſufficiens ad eſum præparatio, ut non accederet religioſa cura διακρίσεως inter mundos & immundos piſces, & illorum conveniens legi internecio? Alienum eſſe facilè cognoſcit, qui perpendit diligens examen Judæorum ſecundum pinnas & ſquamas piſcium. De quo vide R. Levi Barcel. ad præceptum CL. Poſterior locus Jeſajæ minùs ad rem facit. Comparat Deus prædam hoſtium Chriſti cum אוסף החסיל *Collecta bruchorum.* Jam hoc ipſum non caret dubitatione, utrum bruchi in lege mundi fuerint. Nam Rabbini octo ſpecies numerant חגב טהור locuſtarum, quæ mundæ ſunt, inter quas nulla ſpecies eſt חסיל bruchorum, quorum hic Jeſajas meminit. Et locuſtas non omnes mundas fuiſſe colligitur ex lege Levit. XI. 22. Deinde אוסף החסיל *Collecta bruchorum* dicitur non tam reſpectu eſus & præparationis ad illum, quàm quia turmatim volare ſolent, atque ita etiam capi & occidi. Sic etiam facturum ſe graſſanti hoſtium multitudini ſub N. T. minatur Deus. Plinius teſtis, Lib. XI. 29. *Propter fertilitatem hujus inſecti aliquando in Syria homines militari imperio coactos prodiiſſe ad necandas locuſtas, & in Cyrenaica regione legem eſſe ter anno eas debellandi, primùm ova obterendo, deinde*

fœtum,

Digitized by Google

fœtum, poſtremò adultas. Ex qua etiam noxia fertilitate factum, ut Principes Saxonici mandata typis excuſa promulgârint, quibus ſubditos certo anni tempore ad collectas faciendas locuſtarum obſtrinxerunt. Sed hæc levia ſunt. Dici tamen debuerunt, quia infirmis illis probationibus Judæorum, detorſionibus locorum Scripturæ, Curcellæus aures hoc loco ſubſtrinxiſſe videtur.

IV. Repetitur interdictum Levit. XVII. 10, 11, 12, 13, 14. איש אשר יאכל כל דם ונתתי פני בנפש האכלת את הדם והכרתי אתה מקרב עמה: כי נפש הבשר בדם הוא ואני נתתיו לכם על המזבח לכפר על נפשתיכם כי הדם הוא בנפש יכפר: *Vir, qui comederit ſanguinem, illi opponam iratam faciem meam, comedenti ſanguinem, & exſcindam illum è medio populi mei. Nam quia anima cujuſque carnis in ſanguine eſt, idcirco deſtinavi vobis eum in altari, ad faciendam expiationem pro animabus veſtris. Nam ſanguis is eſt, qui pro anima expiationem fecerit.* Ubi ſatis clara omnia. Explicatur etiam illud quod Geneſ. IX. 4. בשר בנפשו דמו Nam hic perſpicuè ponitur anima, id eſt, vita in ſanguine. Audiamus explicantem Auguſtinum lib. II. contra adv. Legis & Proph. cap. 6. *Sic*, inquit, *dictum eſt: Anima omnis carnis eſt ſanguis, quomodo dictum eſt: Petra erat Chriſtus, ſcilicet, non quia hoc erat, ſed quia hoc ſignificabatur. Non autem fruſtra lex voluit animam ſignificare per ſanguinem, rem ſcilicet inviſibilem per viſibilem: quia ſanguis per venas omnes ab ipſo corde diffuſus, in noſtro corpore plùs cæteris humoribus principatur: ita ut ubicunque fuerit vulnus inflictum, non humor alius, ſed ipſe procedat: ita quoque anima, quia omnibus, quibus conſtamus inviſibiliter prævalet.* Hinc vetus adagium: Αἷμα καὶ ψυχὴ. *Sanguis & anima*, de re impensè nobis grata & adamata. Quomodo Antiphanes Comicus, Ἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς *Argentum & anima & ſanguis eſt mortalibus.* Qua etiam ratione dicti ſanguine carere timidi & nullius animi. Et Empedocles: *Vim animi eſſe ſanguinem circa præcordia.* Eodem ferè modo interdictum hoc conceptum eſt Deut. XII. 16. 23. XV. 23.

V. Jam de ratione præcepti Moſaïci. Contendo autem, non aliam à Moſe exprimi, quàm typicam; nempe quia ſanguis animalium loco vitę in aram venire debuit ad faciendam expiationem, ideo illicitus fuit ejus eſus, videlicet ne Sacrificia profanarentur, & homines ſibi vindicarent, quod Deus ſibi eximium eſſe voluit ad ſignificandam obligationem hominum, & figurandam ſubſtitutionem Chriſti. Ubi illud magnam vim habet, quòd Levit. XVII. 11. occur-

Digitized by Google

rant particulæ relativæ כי & Vau, *quia anima carnis eſt in ſanguine, ideo dedi vobis illum in altari ad expiationem faciendam.* Ut ita particula Vau illativa ſit conſequentis ex antecedenti: quia nempe anima ſtabulatur in ſanguine & propitiatio animæ hîc requiritur, ideo ſanguis ſuper altare eo officio defungatur. Quem uſum habere aliquando in S. Scriptura illam particulam, notius eſt, quàm ut explicari debeat. Obſervavit hoc ſapienter & accuratè Arabicus Interpres, qui ita habet: לאן נפס אלבשריין גמיעהם אלדם מסכנהא ולדלך געלתה לכם עלי אלמדבח ליסתגפר בה ען נפוסכם: *Quoniam anima carneorum omnium domicilium ſanguis eſt, idcirco conſtitui illum vobis ſuper altare, ut venia petatur per ipſum pro animabus veſtris.* Quæ verſio perquam γνήσιον eſt. Apoſtolus typicam hanc rationem expreſſit Hebr. IX. 13. 14. *Nam ſi ſanguis taurorum & hircorum & cinis juvencæ aſpergens inquinatos, ſanctificat ad carnis puritatem: quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum æternum ſe obtulit inculpatum Deo, purificabit conſcientiam veſtram à mortuis operibus, ut ſerviatis Deo viventi.* Confer integrum illud caput nonum.

VI. Cæterùm Maimonidis στοχασμὸν, quem contra Nachmanidem defendit Abarbanel, ut memorare hoc loco, ita in medio relinquere volumus. *Scito,* inquit, More Nevoch. III. 46. *quòd licèt ſanguis impurus & immundus admodum fuerit in oculis Zabiorum tamen ab illis comeſtus fuit, eò quòd exiſtimarent, cibum hunc eſſe dæmonum: & quòd is, qui eum comedit, hac ratione communicationem aliquam cum dæmonibus acquirat, ita ut familiariter cum eo converſentur, & futura ei aperiant, prout vulgus iſta dæmonibus attribuere ſolet. Fuerunt tamen quidam inter illos, quibus valde durum & difficile videbatur ſanguinem comedere. Eſt enim res, à qua natura hominis abhorret. Hi mactantes beſtiam aliquam, ſanguinem ejus accipiebant, & in vaſe vel foſſula colligebant: carnem verò mactatam circa illum ſanguinem, in circulo ſedentes comedebant, imaginantes ſibi, in hoc opere, ipſis carnem comedentibus, Dæmones illum ſanguinem comedere: & hunc ipſorum eſſe cibum, hócque medio amicitiam & fraternitatem & familiaritatem inter ipſos contrahi, quia omnes in una menſa edunt, & uno conſeſſu accumbunt. Præterea opinabantur, Dæmones ſibi in ſomno apparere, futura indicare, plurimúmque prodeſſe. Idcirco venit Lex Divina, quæ perfectos reddit eos, qui nôrunt ipſam, ad auferendos iſtos inveteratos morbos, eſum ſanguinis prohibendo, & prohibitionem iſtam addita ſanctione, planè ut in præcepto de idololatria, confirmando. De comedente enim ſanguinem inquit Deus: Ponam faciem meam in comedentem ſanguinem eodem modo,*

Digitized by Google

modo, quo de illo, qui filium ſuum Molocho immolat, Lev.XX.3. Ponam faciem meam in virum illum. Neque occurrit hæc ratio loquendi in tertio aliquo præcepto, præter iſta duo, de idololatria & comeſtione ſanguinis: quia illius comeſtio ad ſpeciem aliquam idololatriæ, Dæmonum videlicet cultum, anſam & occaſionem præbebat. Hactenus Maimonides. Cujus quidem rationes præceptorum Ceremonialium, antiquitatis ceruſsâ incruſtatas, tantò à fide remotiores ducimus, quantò magis à Spirituali negotio τῆς ἐκτυπώσεως τῶν μελλόντων diſcedunt; id quod ſubinde fieri conſtat. Ut cautos nos eſſe oporteat, ne illorum inſidiis illaqueati à ſimplicitatis, & intentiónis divinæ tramite exorbitemus.

VII. Ex his, quæ ſecundo loco diximus, prono alveo fluit, præceptum Moſaïcum purè Ceremoniale, non morale eſſe. Non habet enim aliam omnino rationem, quàm typicam in cultu Iſraëlitico. Ergo numerandum inter δικαιώματα λατρείας, per quæ facta eſt ἀνάμνησις τῶν ἁμαρτιῶν Hebr.IX.1. cum X.3. Id fortiùs etiam ſic probatur. Si lex illa à Moſe dictata non Ceremonialis, ſed Moralis fuit, tum omnes homines in qualibet circumſtántia obligavit. Nam quæ Moralia ſunt, & hactenus ad unum aliquod ex Decalogi præceptis referuntur, illa omnibus hominibus lata eſſe, ſupra Curcellæus confeſſus eſt. Atqui in illa periodo non omnes homines in qualibet circumſtantia obligavit. Nam ab eſu morticini, in quo ſanguis fuit, ſolvit Legislator peregrinum in portis. Non comedes, inquit, morticinum, ſed dabis illud לגר אשר בשעריך peregrino in portis tuis, ut comedat illud, aut vendat peregrino, Deut.XIV.21. Quod tum Rabbini, tum Onkeloſus intelligunt de גר תושב Proſelytho domicilii, ſeu incircumciſo, quem propterea vocat אוכל נבילות in Gloſſa Thalmud. ad Tit. Erakim c.7. quòd nefas non eſſet illi morticina edere. Quin perſpicuè Seldenus illam ſententiam, qua ſanguinis eſus Noachidis permiſſus, ſeu qua הותר הוא הדם מן החי fas eſſe decernitur eis edere ſanguinem, etiam animalis viventis, plerumque fuiſſe apud Hebræos receptiſſimam. Nec frangit vim probationis noſtræ Curcellæus, qui ſuprà quaſi anticipaturus repoſuit, *licuiſſe peregrino morticinum edere ſanguine exempto & abſterſo.* Si hoc verum, non video rationem, ob quam non æquè potuerint Iſraelitæ morticinis probè abſterſis & elotis veſci. Nam Legislator propter ſanguinem in morticino permanentem illud prohibuit.

VIII. Hic in omnes partes ſe flectit Curcellæus, ut quoquo

Digitized by Google

modo ex labyrintho ſe explicet. Retexamus, quæ ſubtiliter ediſſeruit. Noverat, quoſdam diſtinguere inter præcepta Dei poſitiva & moralia. In illorum numero, non in horum eſſe præceptum præſens. Rectam enim rationem non docere abſtinentiam à ſanguine, ſed totum id pendere ex mera Dei prohibentis voluntate. Excipit 1. *Malè inter ſe confundi præceptum Poſitivum & Ceremoniale, cùm poſitivum latiùs pateat quàm ceremoniale. Omne ceremoniale eſſe poſitivum, ſed non vice verſa. Hoc animadverti poſſe in gradibus conſanguinitatis & affinitatis, qui conjugii impedimentum afferunt: item in polygamia & divortiis. aliiſque ejuſmodi rebus plurimis, quas Poſitivas eſſe conſtet, non ceremoniales. Ceremonias enim intelligi ſoles externos ritus ad cultum Dei pertinentes, quibus vel puritas Spiritualis, vel aliquid in Chriſto olim implendum adumbrabatur. p. 53.* Reſp. πολλά τι καλὰ, πολλά τι λυγρά. Bene illud, Poſitivum non eſſe idem quod Ceremoniale. Illud eſt quodlibet juſſum Dei, cujus τὸ διότι naturali ratione non cognoſcitur. Hoc eſt ſpecies poſitivi, quod σχέσιν habet vel ad ſignificationem, vel ad ordinem Eccleſiaſticum. Exempla utriuſque obvia ſatis & expoſita. Sed cur nobis hoc occinendum fuit? Non inde argumentamur, quia præceptum hoc ſimpliciter poſitivum, ſed quia poſitivum Ceremoniale primo modo, σημαντικὸν Chriſti. Sed illud ne micam ſobrietatis habet, quòd gradus conſanguinitatis, qui jure divino matrimoniis impedimentum afferunt, & legem prohibitivam divortii & polygamiæ à poſitivo Dei imperio derivat. De gradibus conſanguinitatis, conſentientes quidem habet Pontificios, quos operoſè inducunt Bell. l. de ſacr. matr. tom. III. cap. XXVII. 14. 15. Gregorius de Valentia tom. 4. diſp. 10. quæſt. 5. punct. 3. Ut jam Syncretiſmus Curcellæi cum illis in propatulo ſit. Atqui à naturali, non à poſitivo jure eſſe prohibitionem matrimoniorum in gradibus, argumento ſunt multa. Ac præcipuè illud, quòd Gentiles Cananæi præcepto illi obnoxii fuerunt, quos tamen non alterius legis quàm naturalis copiam habuiſſe, certum & exploratum eſt. Idcirco ob præceptorum illorum violationem Deo abominabiles fuerunt, Lev. XVIII. 24. 26. 27. *Ne polluamini in omnibus illis, quibus contaminatæ ſunt univerſæ gentes, quas ego ejiciam ante conſpectum veſtrum, & quibus polluta eſt terra, cujus ego ſcelera viſitabo.* Quibus verbis non tantùm graviora quatuor peccata, quorum mentio ibi facta, perſtringi, ut Bellarminus vellet; ſed etiam vio-

lationem graduum prohibitorum, patet evidenter ex Lev. XX. 11. 12. 17. 19. Neque audiendus Grotius, qui in eodem Curcellæi luto hærens, ex Maimonide reperiſſe ſibi duas cauſas harum rerum videtur: priorem naturalem quandam verecundiam, quæ non ſinat ortus auctores cum ſua ſobole, aut in ſe ipſis, aut etiam perſonas ſanguine, aut nuptiali ſanguinis commixtione proximè cohærentes, miſceri: alteram verò, ne quarundam perſonarum convictus nimis quotidianus atque inobſervatus, ſtupris & adulteriis occaſionem daret, ſi amores tales poſſent nuptiis conglutinari. Et iccirco aſſerit: *Communem illam exiſtimationem à neceſſario naturæ dictato originem non habuiſſe, ſed à veteri traditione*, de Jure Belli & Pacis II. v. 13. Si naturalis verecundia homines ab his gradibus abſtinet, numquid igitur non naturalì dictato reſtringuntur homines? Ipſe Grotius ſuprà l. 1. c. 1 1. monuit, legis moralis duplex indicium eſſe. Primum, ſi rationi conveniat, vel diſconveniat aliquis actus. Alterum, ſi omnes moratiores aliquid in uſu habeant. Si ob naturalem verecundiam gradus hi ſunt prohibiti, annon quia contrarius actus diſconvenit rationi? Et moratiores omnes gentes ab his gradibus abhorrent. Hinc Paulus de inceſto homine, qui ducebat uxorem Patris: *Talem inceſtum ne quidem inter gentiles nominari*, 1. Cor. V. 1. Et ſi ex veteri traditione habuerunt poſitivum præceptum, retro aliquot ſeculis promulgari debuit. Cujus promulgationis neque vola eſt, neque veſtigium. Eadem ratio polygamiæ & divortiorum. Nam naturalis ſenſus ſatis ea reſpicit: & abhorruerunt ſemper moratiores populi. Mallem igitur hìc Curcellæum ſe continuiſſe. Exempla multa alia in promtu erant. Sed ſic intererat, diſſenſum ſuum & Spiritum antilogiæ qualibet occaſione teſtari. 2. *Ubi agitur de obedientia*, inquit, *mandatis Dei exhibenda, neceſſe non eſt, ſcrupuloſè diſtinguere inter ea, quæ juris ſunt naturalis, & quæ ad poſitivum pertinent. Illud enim aliquando eſt difficillimum, propter magnam, quæ in quibusdam cauſis cernitur, inter utrumque jus differentiam. E. G. Utrùm conjugium inter fratrem & ſororem ſit ex jure naturali illicitum, an verò tantùm ex poſitivo. Nec tanti eſt momenti, ut aliqui putant, iſta diſtinctio. Sufficit enim, ut de voluntate Dei bene ſimus edocti: de qua, ubi nobis conſtat, cæcâ, ut ita dicam, obedientiâ, abſque hæſitatione parendum eſt*. pag. 54. Reſp. Diſcrimen eſſe inter leges naturales & poſitivas voluntarias agnoſcit Philoſophus, lib. V. Ethic.

Nicom.cap.1.& alibi ſæpius. Agnoſcunt etiam Juriſconſulti apud Grotium de Jure Belli & Pacis l.1.c.1.ſſ.13.14. Sed & Moſes perſpicuè illud tradidit,qui toties diſtinguit inter מצות jus conſtitutum naturæ,חקים ceremonias,& משפטים ſtatuta forenſia. De quo diſcrimine agit Maimonides More Nev.III.26. Sed ſummum diſtinctionis illius uſum , & parem neceſſitatem quis ignorare poteſt, paulò divini cultus & recti tenacior? Ejus neglectu factum ſæpius, ut Judæi præſentiſſimam & moleſtiſſimam Dei iram & indignationem provocârint. Quoties nempe ſupinè neglexerunt diſtinguere præcepta *non bona*,id eſt,non utilia & proficua ad juſtitiam,& *bona*.Ezech.XX.25.26,*Miſericordiam* & *ſacrificia*,Oſeæ VI.6.Matth. IX.13; inter circumciſionem *carnis* & *cordis*, Deuteron.X.16.inter res holocauſtorum & præceptum fœderis,Jeſaj.VII.22.23. Imò hac diſtinctione conſtat diſcrimen Judaiſmi & Chriſtianiſmi. Illi enim *ignorantes Dei juſtitiam & quærentes ſuam juſtitiam propriam*,intellige illa δικαιώματα σαρκὸς,Deo ſubſtituere.*Juſtitia Dei non obediverunt*, Rom.X.3.An igitur non convenit hîc πνευματικὴν illam διάκρισιν in conſilio habere? Diſparare præcepta fœderis τῆς διαθήκης à præceptis acceſſoriis τῆς παραθήκης? Quòd difficilis ſubinde eſt illa diſcretio,non icc irco diſcernenda non ſunt,quæ Deus diſcerni voluit,ſed calculus ſpiritualis diligenter in eo ponendus. Et qui de voluntate Dei bene edoctus eſt , illi non poteſt obſcurum eſſe,quid Deus maximè & validiſſimè fieri velit,quid debilitet noſtram cum Deo communionem, quid cum eadem cohærere poſſit. Hinc Apoſtolus conjungit τὴν γνῶσιν τοῦ θελήματος Θεοῦ,& τὴν δοκιμασίαν τῶν διαφερόντων. Rom.II.18.

IX. 3. *Præceptum Moſaicum,jam tempore Noachi latum morale tum fuiſſe,quia habuit additas duas rationes morales. Si igitur iſtud præceptum non erat Ceremoniale,cùm primò datum eſt,non evaſiſſe tale,cùm ſecundò repetitum fuit.* pag.55. Reſp. Suprà præceptum Ceremoniale fuiſſe abundè comprobatum. Simul oſtenſum,infirmam connexionem eſſe argumenti: Quod moralem habet rationem, illud morale eſt. Deinde unde nobis probat, Deum illa ratione, quia anima in ſanguine, dominium ſuum magis ſtabiliviſſe, quàm ſignificaviſſe vitam animalium ſibi devovendam in ſacrificiis & Sanctificationibus typicis? Hanc poſteriorem interpretationem ſatis vindicavimus. 4. *Acceſſiſſe huic præcepto aliquid ceremoniale, quale fuerit accurata & ſcrupuloſa carnis*

ab

Digitized by Google

ab omni ſanguine expurgatio, quæ Noacho non mandata. Exemplum eſſe in Saule 1.Sam.XIV.32.33. Quò pertineat multitudo regularum, quas poſteriores Judæorum magiſtri condiderunt. Secundò acceſſiſſe rationem novam, quia volebat Deus, ut ſanguine victimarum expiatio fieret ſuper altari pro ipſorum animabus. Sed aliam etiam rationem prohibitionis purè moralem ibi afferri, videlicet, quia anima in ſanguine eſt, v.11. & 14. Ergo eſſe hoc præceptum partim ceremoniale, partim morale, quemadmodum de Sabbatho & aliis quibusdam legalibus vulgò Theologi docent. pag. 56.57. Reſp. Utriuſque rei ceremonialis non eſt facta aliqua nova ſub lege acceſſio, ſed præceſſit in limine mundi regenerati ſanctio. In univerſum illis prohibetur eſus omnis ſanguinis. Igitur eo ipſo mandata accurata ſanguinis expurgatio à carne; eodem rigore præceptum Noacho latum, quo ſub Moſe repetitum. Par ratio alterius. Non etiam Noacho ideo prohibuit, quia debuit in altari expiationem facere. Non eſt veriſimile eum voluiſſe ejuſmodi obſervantiam Noacho injungere, & tamen eum celare rationem illam ἀναπτώσεως, quæ apud Noachum & quemlibet fidelem utramque paginam facere potuiſſet. Bonitatis ſuæ ſignificationem Deus in eo edidit, quòd iridem juſſit eſſe Symbolum mundi non ampliùs diluvio inundandi. Et Eccleſiæ, propter quam mundum conſervat, invidiſſet Symbolum aliquod, quo admonita in ſpem erigeretur, præcedentium hominum peccata Meſſiæ adventum non ſufflaminatura? Imo in his ipſis verbis ceremonialis ratio implicata: *quia vita in ſanguine ejus.* Quare ſuprà evolutam dedimus. Proinde quòd ſubjicit, moralem rationem etiam hîc contineri v. 11. & 14. nehilum proficit. Et præceptum hoc cum præcepto de Sabbatho nemo facilè comparabit, qui inter utrumque diſcrimen vel leviter animadvertit. In Sabbatho morale fuit, quòd Deo dicandus dies aliquis in ſeptimana. Ceremoniale quod dies præcisè ſeptimus. In præſenti mandato quid ſimile? *Morale,* inquit, *eſt, quâ moralem rationem habet: Ceremoniale, quâ ceremonialem.* Ineptum. Præcepta enim non ſunt determinanda ex addita ratione, ſed ex fundamento præcipientis vel cauſæ finalis. Sicut præceptum de Sabbatho ex altera parte ideo morale, quia ratio naturalis præcepit: & altera parte ceremoniale, quia Deus liberè mandavit hoc fine, ut ordini Eccleſiaſtico Iſraelitarum inſerviat.

CAP. VII.

Digitized by Google

CAPUT VII.

Ad Curcellæi & Becmanni rationes contrarias reſpondetur.

Breviarium.

Curcellæi & Becmanni objectiones ſolvuntur. Objectio prima ab addita promiſſione & comminatione præcepti. Pœna כרת *ſive excidii. Faciem ponere contra aliquem. Refellitur Maimonides. 1. Objectio ſecunda de peregrinis, qui prohibiti ſanguinem edere. Proſelythus juſtitiæ à Maimonide deſcriptus. Peregrini habitationis. Probatur, Moſen Levit. XVII. intellexiſſe proſelythos circumciſos. Frantzius & Grotius in ordinem redacti. 2. Probatur quinque rationibus, Sacrificia à proſelytho habitationis offerri non potuiſſe. 3. Abuſus diſtinctionis proſelythi juſtitiæ & domicilii tangitur.* גר *non ſemper notat proſelythum juſtitiæ. Locus Exod. XXII. 21. explicatus. Mercerus ad partes vocatus.* גר והגר *vocatus non niſi proſelythus juſtitiæ. Proſelythi* שכירים*. 4. Becmanni rationes ſolvuntur. 5.*

I.

Iam audiamus pro morali mandato operosè concertantes. Curcellæus duo argumenta habet. Celeberrimus Becmannus quatuor. Sigillatim ad libellam veritatis applicabimus. Curcellæus primò: *Præceptum hoc morale eſſe indicant, cùm ſingularis benedictio illud obſervantibus promiſſa: tum graviſſima pœna tranſgreſſoribus ejus denuntiata, quarum ſimiles præceptis ceremonialibus ſimul appoſitas non facilè invenies. De prima Deut. XII. 23. 24. 25. Hoc ſolùm cave ne comedas, &c. Ut bene ſit tibi & Filiis tuis poſt te, cùm feceris quod placet in conſpectu Domini. De ſecunda Lev. XVII. 10. Homo quilibet de domo Iſrael, & de advenis, qui peregrinantur inter vos, ſi comederit ſanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & diſperdam illum de populo ſuo. Hic Maimonidem annotare, quoad phraſin illam: firmabo faciem meam contra animam illius, illam non occurrere in tertio aliquo præcepto, præter illa duo, de idololatria & comeſtione ſanguinis. More Hannev. III. 46.*

III.46. *Prohibitionem autem idololatriæ ad cultum Dei moralem pertinere, omnes fateri.* pag.57.58. Eandem rationem urget Becmannus. Reſp. 1. Omnia præcepta Dei, tam Ceremonialia quàm Moralia, habent adjunctam promiſſionem benedictionis, ſi cuſtodiantur, comminationem maledictionis, ſi iis contraveniatur. Generalis benedictio, vel maledictio ſubalternatim præceptis Dei annexa, ſatis teſtatur ſerium Dei propoſitum. De fœdere typico patet ex Deut. XXVI. 17. 18. 19. *Hodie tibi præcipit Deus, ut facias* את החקים ואת המשפטים *ſtatuta Dei & judicia,* (quorum illud de ritibus, hoc de civilibus præceptis uſitatè in Scripturis accipitur) *& cuſtodias ea, vel facias ea ex toto corde. Juſſiſti Deum, & ab ipſo ſtipulatus es ſponſionem, fore tibi in Deum, &c.* Quæ eſt excellentior benedictionis promiſſio, quàm, eſſe in Deum populo ſervanti mandata? Quæ promiſſio ipſi Abrahamo in fœdere facta Geneſ. XVII. 7. Ipſa moralia Dei præcepta non ſemper explicitam promiſſionem vel comminationem adjunctam habent. Sufficiebat legislatori in genere pœnam violanti, & cuſtodienti mercedem comitem adjungere. *Qui faciet ea homo, vivet in eis,* Levit. XVIII. 5. *Maledictus, qui non ſervaverit verba legis hujus,* Deut. XXVII. Neque ſpecialiter hæ conditiones præceptis ſingulis applicantur. 2. Non deſunt præcepta purè ceremonialia, quæ Deus pari terrore munivit. Circumciſionem quanto Deus ſerio Abrahamidis injunxit? *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit,* Geneſ. XVII. 14. Præceptum de panibus fermentatis tempore Paſchatis, donec circumageretur ſeptem dierum orbis, non edendis, Deus graviſſima oratione ſanxit, Exod. XII. 15. *Qui fermentatos panes edit intra ſeptem dierum ſpatium, ejus anima exſcindetur.* Eadem gravitate Deus interdixit eſum adipis, quâ eſum ſanguinis, Levit. VII. 15. *Quisque comederit adipem ex iis jumentis, à quibus offert homo igne abſumendum, utique exſcindetur homo ille, qui comederit à populis ſuis.* Nulla gravior pœna fuit, quàm כרת ſive excidii. Per illam enim לא היה לעובר מיתה אבל אם מת בחטאו לו יהיה לו חלק לעולם הבא *non quidem tranſgreſſori mors infligebatur, ſed ſi peccato ſuo mortuus, non poterat particeps fieri futuri Seculi,* apud R. Moſen in tractatu de numero præceptorum ad fund. 14. Quin idem docet Præfat. in Miſchnajoth שכל דבר שחייבין על זדונו כרת חייבין על שגגתו חטאת *omnia, quæ fiant protervè & ſuperbè, mereri pœnam excidii: ſi per errorem fiant, obligationem incurrere offerendi ſacrificium pro peccato.* Quo reſpexit

ſpexit

ſpexit Apoſtolus Hebr. X. 26. 27. Hactenus igitur etiam præceptum de non comedenda adipe, & ſi quæ ſimilia, moralibus deputanda fuerint. 4. In phraſi, *faciem obfirmare, vel ponere contra aliquem*, agnoſco criſin Maimonidis. Sed ſoliditatem deſidero. Significat iram Dei inflammatiſſimam, quâ ſuccenſus Deus ad excidium impiorum procedit. Scripturæ phraſi illa utuntur non tantùm in deteſtatione idololatriæ & αἱματοφαγίας, ſed etiam in deteſtatione cujuslibet prævaricationis inſolentis. Hinc Deus Levit. XXVI. ubi ſeverè prohibet idololatriam, profanationem Sabbathi & Sanctuarii, & contra mandat obſervantiam omnium mandatorum, rituum ac ſtatutorum Dei, ſubjicit v. 14. 15. 16. *Quòd ſi non auſcultabitis mihi, neque facietis omnia mandata iſta, ſi inquam, ſtatuta mea ſpernatis, & judicia mea faſtidiet anima veſtra, ut non faciatis omnia mandata, & irritum faciatis fœdus meum* ונתתי פני בכם *opponam vobis faciem iratam, ut cadamini coram inimicis veſtris.* Et in genere David Pſalm. XXXIV. 17. פני יהוה בעשי רע להכרית מארץ זכרם *Facies Domini adverſus facientes malum, ad exſcindendum memoriam eorum è terra.* Sed eſto, competat iſta phraſis in ſolam idololatriam & αἱματοφαγίαν, an ideo parem neceſſitatem vel turpitudinem moralem habent? An Deus non poteſt eâdem formulâ imprecationis inceſſere ſcelera, quæ vehementer tamen diſparata? Ipſe Curcellæus nobis ſupra largitus eſt, Noachidas remotiores αἱματοφαγίας pœnam non incurriſſe, ſi ejus memoria ipſis integra non fuerit, quia naturali lumine hæc res cognoſci non potuerit. De idololatria idem dici poteſt. Agnoſcat igitur notorium diſcrimen.

II. Altera ipſi ratio: *Peregrinis inter Iſraelitas in terrâ Canaan verſantibus, prohibitum fuiſſe, ne ſanguine veſcerentur, Levit. XVII. 10. Quicunque è familia Iſraelis aut è peregrina gente, qua habitat inter eos, ſanguine veſcetur, &c. Hos enim ad ſolorum moralium præceptorum, aut quæ Noachi poſteris data ſunt, obſervationem obligatos fuiſſe: imò ceremonialia omnia iis cuſtodire non licuiſſe. Hinc de Paſchate Deus dicit: Omnis alienigena non comedet ex eo, Exod. XII. 43. & in Thalmude tit. Sanhedrim: Paganum qui obſervaverit legem, eſſe mortis reum. Ergo interdictum hoc morale, non ceremoniale fuiſſe.* p. 58. Reſp. Diſtinguendum inter peregrinos ſeu Proſelythos, qui origine Gentiles quocunque modo cum Iſraelitis coaluerant. Alii ita peregrini fuerunt apud Iſraelitas, ut tamen Iſraelitarum religionem ſuſciperent, quam auſpicabantur circumciſionis Sacramento, Baptiſmo &

Sacri-

Sacrificio. Ac propterea obligati fuerunt ad νόμον ἐντολῶν ἐν δόγμα-σι. Quomodo Apoſtolus dicit, Gal.V.3. *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt legis univerſæ faciendæ.* Audiamus R. Moſen in tractatu Iſure Biah: וכן לדורות כשירצה הגוי ליכנס לברית ולהסתופף תחת כנפי השכינה ויקבל עליו עול תורה צריך מילה וטבילה והוצאת קרבן ואם נקבה היא טבילה וקרבן כנאמר ככם כגר: *Sic perpetuò cùm Ethnicus vult cooptari in fœdus, & conquieſcere ſub alis Divinæ Majeſtatis, ſubmittendo ſe jugo legis, debet circumcidi, & baptizari, & offerre ſacrificium. Quòd ſi ſit fœmina, debet baptizari & offerre Sacrificium, juxta illud, Num.XV.15. Sicut vos, ſic proſelythus erit.* Hi vocati גרי צדק *peregrini juſtitiæ*, & גרי גרורים *peregrini ſpontanei*, qui ſponte & ſalutis ſuæ ac Gloriæ Dei ſtudio incitati religionem Judæorum adoptârunt. Alii fuerunt peregrini habitationis גרי תושב quibus conceſſa inter Judæos habitatio. Hi eatenus fidem Judaicam profitebantur, quatenus idololatriæ renuntiârunt, & ſe ad obſervantiam præceptorum Noë obſtrinxerunt. De cætero præputiati manſerunt. Vide Maimonidem in eod. tract. cap.14. ubi dicit, ejuſmodi Gentiles recipi כחסידי אומות עולם tanquam unum è piis Gentilibus mundi, & vocari inquilinum לפי שמותר לנו להושיבו בינינו בארץ ישראל *quia, inquit, licet nobis dare illi locum habitationis inter nos in terra Iſrael.* Jam anquiritur: Utros intellexerit Moſes, proſelythos per גרי בתוכם peregrinos in medio illorum? An peregrinos juſtitiæ, an habitationis? Circumciſos, an incircumciſos? Si incircumciſos, ſive proſelythos habitationis Moſes intellexit, causâ cecidimus. Contra autem pertendo: Moſen de proſelythis circumciſis, non præputiatis agere, 1. Quia proſelythi præputiati per legem non prohibiti ſunt edere morticina, Deut.XIV.21. Unde per periphraſin proſelythi illi incircumciſi Judæis dicti אוכלי נבילות edentes morticina. Morticina autem non ſunt ſine ſanguine, ſed propter ſanguinem non expurgatum Judæis illicita fuerunt. 2. Suadet phraſis in hoc loco adhibita גר הגר *peregrinus peregrinans*; quæ nuſpiam de præputiato occurrit. 3. De iiſdem peregrinis ſermo eſt Moſi verſu decimo, ubi ſanguinis eſum lege refrænat, de quibus agit verſu octavo & nono, ubi agit de holocauſto ad portam tentorii conventus adducendo. Nam utrinque eodem modo & iiſdem verbis legum de Sacrificio & eſu ſanguinis ſubjectum recipiens ſtatuuntur Iſrae-

litæ & peregrini in medio illorum. Atqui peregrini in medio Iſraelitarum, qui ritum ſacrificandi docentur, non ſunt peregrini præputiati ſed circumciſi. Hoc jam firmiſſimè probandum ſuſcipio, ut eâdem operâ demonſtrem errorem noxium Wolphgangi Frantzii & Hugonis Grotii. Quorum ille, paradoxo ſuo de univerſali vocatione velificatus, in Schola Sacrificiorum diſp. IX. Theſi 26.32. contendit, *peregrinos inter Iſraelitas peregrinantes & holocauſta offerentes Levit. XVII.8.9. & Num. XV.14.15.16. fuiſſe Gentiles præputiatos.* Hic affini amore de ſalvatis etiam extraneis jugum legis Moſaicæ non ſubeuntibus, ſtatuit: *extraneis, qui aliunde advenerant, & inſtitutis Hebraicis non ſubjiciebantur, in templo Hieroſolymitano victimas offerre licuiſſe.* de jure Belli & Pacis II.16.

III. Nimiùm ſanè illos ratio fugit. Nam 1. Gentiles decretorio Dei judicio ab Eccleſia rejectos & excommunicatos eſſe circa illud tempus, quo Iſraelitæ legitimâ Reipublicæ alicujus formâ conglutinati, jam ſuprà perſpicuè probavimus. Illa autem ἀσύγκλητα, à fœdere & pactis Dei excludi & arceri, & ſimul Sacrificiorum cultu defungi poſſe, cùm tamen in illa potiſſimùm lege Sacrificiorum, tanquam νόμῳ ἐντολῶν ἐν δόγμασι, conſtiterit inimicitia, quæ viguit tantiſper, donec Chriſtus eam in ſua carne aboleret, Eph. II. 14.15. Neque ulla potuit eſſe communio juſtitiæ & injuſtitiæ, lucis & tenebrarum, Chriſti & Belialis, fidelis & infidelis, vel conſenſio Templi Dei & Dæmoniorum, 2. Cor. VI. 14.15.16. Quomodo igitur Gentiles præputiati, alieni à fœdere Dei, & ambulantes ſecundum ſeculum hujus mundi in præcipua parte cultus, qui habuit typum futurorum bonorum, puta in altari cum Judæis convenire potuerunt? 2. Quia hic impetus Gentilium, Deo holocauſta parantium à Judæis retundi debuit. Quod ubi ipſorum ſupinitate & negligentia deſuper habitum, Deus illos graviſſimè punivit. Huc pertinet illa Dei expoſtulatio, & ſevera interminatio de non introducendis in Sanctuarium iis, qui incircumciſi eſſent carne. Ezech. XLIV. 9.10. &c. *Sic ait Dominus, Nullus alienigena præputiatus corde, & præputiatus carne, venito ad Sanctuarium meum: nullus, inquam, alienigena, qui ſit inter filios Iſraelis, &c.* 3. Maimonides, cujus ſuffragium hoc loco approbat Curcellæus, in tractatu de Regibus teſtatur, Gentilem præputiatum legi vacantem, reum eſſe mortis. Verba ſunt גוי שעסק בתורה חייב מיתה לא יעסוק אלא בשבע

בשבע מצות שלהן בלבד וגו׳: *Gentilis, qui legi vacat, reus eſt mortis: ne vacet, niſi ſeptem ſuis præceptis tantùm.* Et pergit. *Non tolerantur Gentiles novam legem introducere, ſibique ſuo ingenio præcepta ſtatuere. Verùm Proſelythi juſtitiæ fieri debent, & ad omnia præcepta ſe adſtringere, aut in lege ſua debent manere nihil addendo aut detrahendo.* 4. Moſes Num. XV. 15. hunc peregrinantem inter Iſraelitas cum ipſis Iſraelitis comparat: *Sicut vos, ſic proſelythus erit.* Quæ verba R. Moſe in Tractatu Iure Biah ſic explicat: *Quemadmodum vos circumciſi eſtis, & baptizati, et offertis ſacrificium, ſic Proſelythus ille, ſive peregrinus in medio veſtri debet circumcidi, baptizari & Sacrificium offerre.* 5. Sacrificio Paſchali non potuit veſci præputiatus. Sic enim Deus: *Quòd ſi peregrinabitur apud te peregrinus, qui facere voluerit Paſcha Jehovæ, circumciditur ei omnis mas, tunc demum accedito ad faciendum ipſum, & eſto ſicut ipſe indigena terræ: at nullus præputiatus veſcitur illo.* Ubi ſimul declaratam videmus formulam illam, *Erunt ſicut vos*, de neceſſitate circumciſionis ſuſcipiendæ. Eadem autem hactenus fuit cæterorum ſacrificiorum ratio, quæ paſchatis. Ex quibus rationibus ad liquidum perduco, Sacrificia à proſelytho habitationis offerri non potuiſſe. Fuerit igitur peregrinus ille, cui prohibetur eſus ſanguinis peregrinus juſtitiæ & circumciſus, æquè atque ille, cui ſacrificiorum offerendorum facultas negatur Levit. XVII. 8. 9. 10.

IV. Curcellæo animus præſagiverat, nodum, quem ſupra adſtringere laboravit, diſtinctione uſitata inter proſelythum circumciſum & incircumciſum incidi poſſe. Ergo reponit: *Quamvis diſtinctionem iſtam non illibenter admittam, quæ ad aliquorum Scripturæ locorum intelligentiam utilis eſt, dico tamen nihil eſſe in prohibitione Levit. XVII. facta, quod nos cogat eam potiùs de peregrino juſtitiæ, quàm de peregrino domicilii accipere,* pag. 59. Reſp. Bene, quòd uſum diſtinctionis agnoſcit. Modò ne in aliud utatur, obſecutus domeſticæ ſuæ hypotheſi de ſalvatis etiam præputiatis ſub Oeconomia veteri Moſaica, quaſi illi apud Iſraelitas domicilium metati חסידי עולם revera pii Gentiles fuerint, & propter illam pietatem ſuam habuerint חלק בעולם הבא *portionem in futuro ſeculo.* Quomodò revera extra Chriſtum, ad quem nulla fuit niſi in lege pædagogia, ſalvati fuiſſent. Nam illa ſeptem Noachidarum præcepta, quorum capiſtro pios illos Gentiles alligârunt, complectebantur vel legis

Digitized by Google

Dei Spiritualis catecheſin,quam flagitabat pædagogia ad Chriſtum, vel promiſſionem de Chriſto venturo. Quo errore Grotius, illius ſectæ familiaris,abreptus eſt,traducens Tryphonem & Judæos,qui exiſtimabant,etiam alienigenis,ſi ſalvi eſſe vellent,ſubeundum fuiſſe legis Hebraicæ jugum. Cui meritò negamus, illos nominari in Scripturis pios Gentiles præputiatos,qui,ex quo deſierunt eſſe catechumeni,in præputio manſerint. Sed hæc σχεζόμενος ἐν παρόδῳ. Cæterùm proſelythum juſtitiæ in loco controverſo intelligi,evidentibus argumentis jam modò firmavimus. 2. *Vocem* גר *non habere vim ſpeciem diſcriminandi , ſæpe etiam de peregrino domicilii dici.* 16. Reſp. Mercero quidem arridet גר plerumque in ſpecie ſumi pro Gentili,qui factus adoptione Judæus,& in eorum fœdus receptus,neque etiam aliter ſumi poteſt Deut.XXXV.15. Ubi diſtinguitur à תושב. Nolim tamen hac ratione uti,qui ſciam in Scripturis peregrinum in portis de proſelytho habitationis uſitatè dici. Loca ſunt Deut.XIV.21. Exod.XX.10. Deut.V.14. Exod.XXII.21. Ubi Deus גר לא תונה *advenam non contriſtabis*. Ubi bona pace Merceri,(nam Judæos recentiores non curo,qui haud dubiè odio Chriſtianorum impulſi explicant de proſelytho juſtitiæ) advenam interpretari conſultiùs ducimus de peregrino habitationis,quem alibi Moſes vocat advenam in portis. Græca verſio προσήλυτον παροικοῦντα,ut ita Iſraelitis commendetur hoſpitalitas,ratione hac addita, quia ipſi aliquando inter Ægyptios peregrini. Quæ ratio non ſtringit,ſi de proſelytho juſtitiæ explicemus. Nam Iſraelitæ in Ægypto ita peregrini fuerunt , ut tamen cum illis religionis ſocietate non cohæſerint. 3. *Neque majus robur eſſe in conjunctione duarum vocum* גר הגר *Nullum enim diſcrimen indicari inter peregrinantes,vel peregrinationis eorum cauſas,niſi fortè hoc,ſic appellatos fuiſſe illos, qui intra Iſraelitas peregrinari conſueverant: quod aliis de cauſis,quàm ob religionem fieri poterat*.pag.60.Reſp.Proſelythus domicilii nunquam hoc nomine inſignitur.Et LXX.Interpretatio vertit προσήλυτον προσκείμενον. Quaſi dicas Sacris Judæorum adhærentem.Et ſanè peregrinus habitationis non potuit commodè dici גר הגר *peregrinus peregrinans*. Nam hoc notat actum peregrinantis. Qui autem inter Iſraelitas habitabant,non peregrinabantur actu. At in proſelythos juſtitiæ optimè competit. Illi enim non cogebantur in Judæa habitare. Qui enim per circumciſionem in Rempublicam Iſrae-

litarum

Iſraelitarum cooptati fuerunt, habitare potuerunt, etiam in longinquis regionibus, quin apud antipodas ipſos. Non minùs quàm civitate Romana donari potuerunt, etiam qui extra Italiam habitabant. Et Judæi γνήσιοι fuerunt etiam illi, qui ἐν τῇ διασπορᾷ habitabant extra Judæam, inter Parthos, Medos, Elamitas, qui in Ponto, Aſia, Phrygia, Pamphilia, Ægypto, Act. II. 9. Ubi ex illis gentibus adfuiſſe dicuntur Judæi & Proſelythi. Non ignoro, Gentiles ob aliam cauſam, quàm religionis, inter Judæos peregrinari potuiſſe, quod dicit Curcellæus. Tales fuerunt Proſelythi שכירים *mercenarii*, puta mechanici, quos Judæi ab utriſque prioribus diſtinguunt. Tales etiam peregrini, qui tranſibant, vel negotii expediundi cauſa eò veniebant, mox reditum ad ſuos parantes. Ejuſmodi autem peregrinos hoc loco intelligi, nemo aſſeret, qui veritatem amat. Cur enim Deus his leges Iſraelitarum figeret? Imò cur his magis, quàm cæteris omnibus? An deſultoria illa in Terra Judææ peregrinatio ejuſmodi legum repagulis ſe obnoxiam reddidit?

V. Curcellæi rationibus expeditis, in promtu jam eſt, quo occurramus Becmanno. Is quatuor argumentis ſtatuminat præcepti hujus Moſaici moralitatem. 1. *Quia dictione & repetitione ſatis emphatica conceptum ſit.* 2. *Quia comminatio mortis violanti, et ſervanti promiſſio Benedictionis addita.* 3. *Quia lex illa in Nov. Teſt. nuſpiam abrogata legitur.* 4. *Quia ratio addita ſit moralis.* Exerc. XXVI. Rationes parùm ſolidæ, neque ſuſtinent veritatis radios. *Ad primam.* Quid vetat, quò minùs emphaticis ac gravibus verbis ediceret Deus, quòd vehementer cuſtodiri voluit μέχρι καιροῦ διορθώσεως? An præceptum aliquod ceremoniale non potuit maximo ſerio injungi? Circumciſionis præceptum, & adminiſtrationis Sacerdotii verbis non minùs efficacibus latum fuit. Ad *ſecundam* rationem reſpondimus theſi prima. Ad *tertiam.* Ubi abrogata eſt conceptis verbis lex de primogenitis Deo conſecrandis, de purificationibus legalibus, de veſtibus ex lino & lana non conficiendis, & innumeræ aliæ? Abundè dictum Apoſtolo: *Lex erat pædagogus ad Chriſtum. At poſtquam venit fides, non ampliùs ſub pædagogo eſtis*, Gal. III. 24. 25. *Dum dicit novum, antiquavit prius; quod autem antiquatum eſt et ſeneſcit, propè eſt, ut evaneſcat*, Heb. VIII. 13. cum. 8. *Ne quis vos judicet in cibo & potu, &c. quæ ſunt umbra futurorum, corpus autem Christi.*

Coloſſ.

Digitized by Google

Coloſſ.II.16.17. cum Hebr.VIII.5.X.1. Ad *quartam* ſuprà plus ſatis reſponſum. Receptui igitur canamus.

CAPUT VIII.

Probatur, in Novo Teſtamentô ſanguinis & ſuffocati eſum eſſe liberum.

Breviarium.

Tranſitur ad ultimam periodum ſub Nov. Teſt. 1. Probatur abrogatam eſſe legem de ſanguine. Argumentum primum ab antiquatione legum Ceremonialium, & libertate per Chriſtum parta. 2. Argumentum Secundum ex Matth. XV. 11. 17. Exceptio Curcellæi diſcutitur. An reus violatæ legis, qui, tempore Chriſti mortem antecedente, ceremonialem aliquam legem omiſiſſet? 3. Arg. 3. Rom. XIV. 14. 17. Curcellæi exceptiones. Sacrificia in V. Teſt. quomodo Deus noluerit? Nazireatus. 4. 5. Sicera. Nazireatus finis. Nizirei hæretici. Exceptio de Scandalo infirmis dato aliena. Scandali diviſio. Qui abſtinent à ſanguine, ſcandalo eſſe poſſunt. De ſcandalo Iudæorum. De Scandalo Chriſtianorum. 6. Chriſti baptiſmus. Iuſtitiam omnem implere. מלא אחרי יהוה *Tertulliani locus. 7. Arg. 4. ex 1. Cor. X. 25. 8. Curcellæi exceptio. Diſquiritur, quo tempore ſcripta prior ad Corinthios? Sententia Baronii, Calviſii, Vſſerii, Capelli. Alſtedius fallitur. Idolothytorum eſus conceſſus. 9. Arg. 5. ex Coloſſ. II. 16. 17. 20. 21. Epiſtola ad Coloſſenſes quo tempore ſcripta? 10. Curcellæi Exceptiones ad Col. II. Eſus humanarum carnium crudelis.* Θυέστεια δεῖπνα. *Quarela Chriſtianorum. Vnde nata Gentilium calumnia? 11. Quæſtio propoſita. An in caſu neceſſitatis liceat carnes hominum edere? Curcellæi criminatio contra Sancerranos. Scelus mulierum Samaritanarum & Hieroſolymitana. Annibalis filius laudatur. Thuani narratio. Sancerrani Magiſtratus defenſio. 12. Pythagoras an carnibus abſtinuerit?*

Digitized by Google

nutrit? 13. *Arg.6. ex Tit.I.15. Reſponſio Curcellæi. Cretenſium cum Iudæis communio. Taciti error. Cornelii à Lapide calumnia.* 14. *Arg.7. ex 1.Tim.IV.1.2.3.4. Peluſiotæ circa locum illum criſis. Curcellæi & Becmanni exceptiones expenduntur.* 15.16. *Arg.8. ex Act.X.10.11. Probatur, ibi etiam agi de eſu animalium.* 16. *Arg.9. ex Act.XV.10. Abſtinentia à ſanguine quomodo jugum dici poſſit? An ex hypotheſi ſententiæ Curcellæi in caſu neceſſitatis ſanguinem edere liceat? Curcellæus & Becmannus confundunt Medicam & Religioſam abſtinentiam. Sextii Pythagoræ ſententia de eſu animalium. Curcellæi prava Philoſophia.* 17.

I.

AD quartam periodum procedimus, in qua potiſſimùm quæſtionis cardo vertitur. Quæ enim huc uſque à Curcellæo deproperata ſunt, apparet huc in ſolidum collineare. Et ſanè non tam curandum nobis, quid Deus à Noachidis vel Judæis ſtricta lege requiſiverit, quàm quid nos facere jubeat, ad quælibet majora imperata ipſi obnoxios. Hoc igitur ante omnia negotii nobis dabimus, ut libertatem Novi Teſtamenti circa hoc caput Scripturis apertis demonſtratam in tuto collocemus.

II. Ergo poſt adventum Chriſti liber jam eſt eſus ſanguinis, quia lex præceptorum in dogmatis, cujus caput eſſe demonſtravimus interdictum ſanguinis, & quo conſtabat inimicitia, eſt antiquata Epheſ.II.15. Et Chirographum, quod nobis in dogmatis erat contrarium, è medio ſublatum, cruci affixum & expunctum ac cancellatum eſt, Col.II.14. *Quare*, inquit Apoſtolus, *dehinc neminem cognoſcimus ſecundum carnem* (in carnali ſtatu, quo vigebant δικαιώματα σαρκὸς) *Nam utut Chriſtum agnoverimus ſecundùm carnem*, (ſubjectum legi in infirmitate) *at nunc non ampliùs agnoſcimus. Quare ſi quis in Chriſto, nova creatura eſt*, 2.Cor.V.16.17. Adeò ut, qui ultrà hærent infirmis illis & egenis mundi fundamentis, dicantur *tentare Deum, imponentes jugum cervici, quod ne patres ferre potuerunt*, Act.XV.10. Proinde *ſtandum nobis eſſe in libertate, ne ampliùs jugo ſervitutis conſtringamur*, Gal.V.1. Argumentum omni jam exceptione majus, poſtquam ſemel nobis probatum firmiter, præceptum illud Noacho & Iſraelitis latum merè

ceremoniale fuiſſe. Excipient tamen Apoſtolos in Synodo Hieroſolymitana renovâſſe legem. Cui exceptioni in ſequentibus ſatisfaciemus.

III. Secundum argumentum, quia Chriſtus ipſe adverſus Phariſæos diſputans, non obſcurè libertatem circa cibum & potum in univerſum ſtabilit, Matth. XV. Phariſæi & Scribæ Hieroſolymitani haud dubiè à Collegio Phariſæorum, quos Chriſti fama urebat, ablegati, ipſi movent quæſtionem: *Cur diſcipuli ejus, tranſgreſſi traditionem majorum, non lavent manus, quum edunt panem?* v. 1. 2. Chriſtus primò retorquet criminationem, & graviori crimine eos arceſſit. v. 3. 4. &c. Secundò demonſtrat, obſervationem traditionum non eſſe cultum Dei, ſed vanam ac deteſtabilem hypocriſin. v. 7. 8. 9. Tertiò advocato populo diſcernit veram hominis pollutionem à ficta. v. 11. *Non quod intrat in os, polluit hominem, ſed quod egreditur ex ore, polluit hominem.* Quaſi diceret, cibum ore ſumtum, ſive lotis ſive illotis manibus, non reddere aliquem impurum, vel iræ Divinæ obnoxium. Ita enim ſe explicat Chriſtus, cùm in ſententia ejus diſcipuli hærerent. In qua, adnotante Grotio, ſupponit id, quod conſtabat inter Judæos, cor ſedem eſſe animi, ejus præſertim partis, quâ volumus, & ex qua culpa naſcitur. Unde ſequitur, ſi à cibo immunditia ad cor non pertingit, ne ad animum quidem pertingere. At cibus, dum adhuc permixtus ſuis fœcibus eſt, non pertingit ad cor, ſed εἰς κοιλίαν, in partem ventris depreſſiorem, in qua eſt ventriculus. Deinde purgatur cibus, & quicquid naturâ ſuâ immundum eſt, ac proinde homini alendo non idoneum, illud per alvum ejicitur. Apparet ergo, nec ante nec poſt purgationem immundum in cibo polluere hominem. Hactenus Grotius. Cæterùm ſententia Chriſti univerſalis eſt, quâ docetur ac inſinuatur haud obſcurè, ſublato per Chriſtum diſcrimine ciborum omnia jam munda eſſe, neque quidquam, quod ingreditur os, hominem polluere poſſe. Ergo etiam Sanguis, qui os ingreditur, nequaquam hominem polluere poteſt. Reſpondet Curcellæus: *Verba Chriſti non eſſe accipienda univerſaliter, ſed ad materiam ſubjectam reſtringenda. Non reſpicere Chriſtum ad cibos, quos lex declarat eſſe mundos vel immundos, nec ſibi propoſitum habuiſſe, docere, cibos, quos lex pro mundis ducit, non ampliùs pro immundis habendos. Sed hoc tantùm, hominem non inquinari, etiamſi illotis manibus manducaret cibum. Proculdubio peccaturum fuiſſe, ſi quis occaſione ex Chriſti reſponſo ſumta, licentiam porcina veſcendi tunc arripuiſ-*

arripuiſſet, propter rebellionem adverſus Dei mandatum. Nondum enim veniſſe tempus abrogandæ legis. pag. 168. 169. Reſp. Sic ſolent cum Curcellæo etiam Papiſtæ excipere. Ac nominatim Janſenius. Non dubitamus verba Chriſti hoc loco ad ſubjectam materiam reſtringenda. Sed eo modo quo univerſalis propoſitio ad demonſtrationem particularis quæſtionis reſtringi debet, cujus tamen latitudo in ſubjecta materia non exhauritur. Nempe Chriſtus à genere ad ſpeciem ſic procedit. Quicquid ingreditur in os, non polluit hominem. v. 11. Atqui cibus, quem illotis manibus manducant diſcipuli, ingreditur in os. v. 2. Ergo cibus, quem illotis manibus manducârunt diſcipuli, illos non polluit. Quis hic non intelligit, ſi propoſitio Major, adeóque ſententia Chriſti, non accipiatur univerſaliter, effici argumentationem in prima figura ex puris particularibus, adeóque meram *ἀδιαλεκτίαν*, Chriſto indignam? Quid? Ipſe Curcellæus ſibi diſcors ſubjicit: *Quanquam non negem, Chriſtum ita generatim loquendo innuiſſe, tempus illud eſſe præ foribus, cùm ubique gentium, abrogato ciborum diſcrimine, Deo ſerviendum eſſet in Spiritu & veritate.* Sententia Chriſti reſpicit illud ipſum tempus, quo lata fuit, non illud, quod ante fores erat. Ergo jam tum univerſalis fuit. 3. Si quis invitatus hac ſententia Chriſti, ex fide in Chriſtum Meſſiam, qui munda & immunda, hoc eſt, circumciſos & præputiatos, in ſua carne conciliare debuit, cibos in lege immundos ediſſet, pro legis tranſgreſſore non fuiſſet habitus, neque reus rebellionis adverſus mandatum Dei. Quamvis enim fœdus antiquum ſuam ςάσιν habuerit uſque ad tertium illum temporis articulum, quo Evangelium Chriſti exhibiti per Apoſtolorum prædicationem ἐβεβαιώθη, quatenus nempe ante illud tempus prædicatio Evangelii non eſt egreſſa extra populi Iſraelitici terram, & Chriſtus ipſe praxin publicam ſacrificandi non tantùm intactam reliquit, ſed etiam confirmavit mandato, Matth. VIII. 4. tamen jam libertas tanta Eccleſiæ affulſit, ut à peccato immunis eſſet, qui fide in Meſſiam præſentem ceremoniam aliquam legalem omiſiſſet. *Hinc lex & Prophetæ uſque ad Johannem*, Matth. XI. 13. Et jam adfuit illud πλήρωμα χρόνου, Gal. IV. 1, 2. Quò fortaſſe pertinet illa Chriſti ænigmatica locutio, Matth. IX. 14. 15. 16. &c. In quæſtione etiam de loco cultus Divini, Chriſtus mulieri Samaritanæ reſpondet: *Veniet hora, & jam eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Sed & pater tales quærit ipſum adorantes*, Joh. IV. 23. Ergo jam tum

Digitized by Google

Chriſto nondum mortuo erat illa hora, & quærebat Deus ipſe jam tum in Spiritu & veritate adorantes, non habito reſpectu ad locum, ſeu is Hieroſolyma eſſet, ſeu mons Garizim, ſeu quilibet alius. Quæ cauſa eſt non ineptæ diſtinctionis Theologorum noſtrorum inter ſtatum vigoris, languoris, mortis & ſepulturæ ceremoniarum legalium. Viguiſſe uſque ad adventum Chriſti, & functas pædagogi munere: langueſcere cœpiſſe nato Chriſto, & ad ἀφανισμὸν properâſſe: mortuas, cum Chriſto: ſepultas honeſtè ab Apoſtolis uſque ad excidium urbis Sanctæ, cum qua Synagoga etiam humum & cineres quæſitavit.

IV. Tertium argumentum ſuppeditat Apoſtolus Rom. XIV. 14. 17. *Novi & perſuaſus ſum in Domino Jeſu, nihil eſſe pollutum per ſe ipſum, niſi ei, qui exiſtimat, quid pollutum eſſe. Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia & gaudium & pax in Spiritu S.* Judæi converſi ad Chriſtum, quidam infirmiores adhuc, putabant abſtinendum eſſe à cibis lege vetitis. Cæteri provectiores jam ac præcipuè Gentiles contranitebantur, & Evangelicam libertatem opponebant. Hos conciliare conatur Paulus. Vetat, ne invicem ſe judicent. Imò hoc utrinque judicent, ne ponant ſcandalum fratri, v. 13. Et ſubjicit, ſe certò ſcire & perſuaſum eſſe, quòd per ſe nihil pollutum, ſed tantùm λογιζομένῳ ei, qui reputat aliquid pollutum. Pollutionem intelligit non naturalem, ſed religioſam. Hanc tamen ſcientiam moderatur lege charitatis, ne ſcandalo percellatur Frater. v. 15. Ac demum ſubjicit: *Regnum Dei non eſſe eſcam ac potum, ſed juſtitiam, & pacem, & gaudium in Spiritu S.* Atque ita ſe planiſſimè explicat. Ea videlicet jam tempora eſſe, quibus nihil penſi habendum, quid edas vel bibas. Hoc enim jam in religione & regno Dei momentum nullum habere. Declarat igitur eadem ratione, eſum ſanguinis non ampliùs prohibitum, neque pollutum niſi τῷ λογιζομένῳ, neque in illo ampliùs regnum Dei verti. Si Præcepti illius legalis nexus nondum ſolutus fuit, ſequitur, fuiſſe aliquid per ſe pollutum, & in eſu ac potu adhuc regnum Dei volvi.

V. Curcellæus multa excipiendo conatur pulverem oculis offundere. 1. *Nihil per ſe pollutum, niſi quod Deus prohibuit. Tunc enim uſurpare nos id non poſſe, quin polluamur.* pag. 170. Simili reſponſo fungitur Becmannus. *Cibus, inquit, & potus per ſe bona ſunt & munda, nec polluunt quemquam ſuâ naturâ. At interim χρηστῶς, & reſpectu*

ſeu Divinæ legis, cui præſtanda obedientia, meritò à quibuſdam eſcis olim Judæi, & Chriſtiani hodie abſtinent. Aliàs polluuntur, Exerc. XXVI. Reſp. Non ſunt fingendæ prohibitiones & σχέσεις ac relationes Divinarum legum noſtro lubitu. Nam ſolus Deus habet jus νομοθεσίας. Ille autem nuſpiam tulit legem univerſalem nullo tempore violabilem. Deinde Apoſtolus arbitri partes agit inter infirmiores & perfectiores Chriſtianos. In illorum favorem ſancit, fratres infirmos fide eſſe ſuſcipiendos, non ſcandalizandos temerè, imò cibis legaliter immundis, ad ædificandos illos & fovendos, abſtinendum eſſe. In horum gratiam, quòd recta ſit eorum ſcientia & perſuaſio, nihil omnino pollutum eſſe, & bene illos judicare de cibo & potu, in quibus nulla pars regni Dei. Quo ergo modo infirmiores negabant munditiem legalem cibi & potus, perfectiores impugnabant, eo modo Paulus utroſque informat de uſu cibi & potus. Judæi autem infirmiores negabant omnium ciborum & potus legaliter prohibitorum munditiem. Paulus approbat, neque quidquam excipit. Si quid fuiſſet exceptione dignum, & quod polluere poſſet, magnopere intererat illud monere. Sic enim infirmiores ex parte ſublevari potuiſſent, cæteri accuratiùs inſtrui. Annon conveniebat aliquo ſaltem indicio ſignificare exceptionem? Imò aliquatenus dici debuit regnum Dei conſiſtere in eſca & potu? 2. *Illa verba:* Non eſt regnum eſca, potus, *non ita univerſaliter eſſe accipienda, quaſi nullam exceptionem admittant. Alioquin ſequeretur, illum Dei regno nihil indignum committere, qui cibo & potu ſe ingurgitaret. Eodem jure concludi poſſe, non eſſe neceſſarium, ut Cœna Dominica, quæ in manducatione panis & potu vini conſiſtit, in Eccleſia Chriſti celebretur:* pag. 170. Reſp. Mutuatus eſt exceptionem à Salmerone Jeſuita & Bellarmino lib. 11. de jejun. cap. 8. Qui ſi ad animam revocâſſet, Apoſtolo ſermonem eſſe de univerſali legitimo uſu, non de damnato abuſu cibi & potus: mundis omnia munda eſſe: pollutis & infidelibus nihil mundum eſſe, abſtinuiſſet haud dubiè tam abſurda & jejuna reſponſione. Et cum ipſo Curcellæus. Nempe univerſalis uſus rei adiaphoræ etiam univerſalem abuſum habere poteſt. De Cœna Dominica quod obducit, nihil ad rem. Apoſtolus perſpicuè agit de eo cibo & potu, qui olim per legem immundus declaratus eſt. Hunc jam in univerſum negat polluere quemquam poſſe, niſi λογιζόμενον. Sed panis & vinum in Sacra Domini Cœna

ſymbolicè à Chriſto conſtituta ſunt in ſigna Sacramentalia, quæ in uſu eſſe voluit uſque ad tempus ſui adventus ad judicium, 1. Cor. XI. 24. Nullum autem tale præceptum de Sanguine, uſque ad Chriſti judicis adventum obligatorium occurrit. 3. *Paulum non loqui abſolutè ſed per comparationem, veluti cùm Deus dicit :* Miſericordiam volo, & non Sacrificium. ib. Reſp. Verſus 14. habet manifeſtè abſolutam negationem: Οὐδὲν κοινὸν δι' ἑαυτοῦ. Deus verò cùm dicit, *Miſericordiam volo, non Sacrificium*, Sacrificium interea reverà voluit, non quidem tanquam conditionem icti fœderis operum, cùm populus ex Ægypto educeretur, ſed tanquam κοσμικὴν λατρείαν, quæ in illo tempore eſſet pro umbra & elementaria inſtitutione, ut legem non obſervantibus ſolamini eſſent. An hoc modo etiam voluit in cibo & potu verti regnum Dei? Ergo manſit ſub Novo fœdere illa voluntas ſervandi Juſtificationes carnis. Si de ſanguine aſſeris, etiam de cæteris debes. Nam generatim negat in cibo & potu conſiſtere Regnum Dei. 4. *Deum olim voluiſſe, ut Iſraelita, & qui inter illos votum Naziraatus fecerat, à quibusdam potuum & ciborum generibus abſtinerent, non quòd in eo ſanctitas propriè conſiſterat, ſed quia eorum obedientiam in ejuſmodi corporalibus exercitiis ipſi explorare placuit.* ib. Reſp. Naziræatus fuit inſtitutum Veteris Teſtamenti. Ac quamdiu votum durabat, à tribus abſtinebant, à tonſura capillorum, & vino, & omnibus, quæ ex vitibus proveniunt, & à contactu rei immundæ. Angelus de Baptiſta: *Vinum & ſiceram non bibet.* Luc. I. 25. Idem de Samſone dictum. Sicera LXX. vertunt μέθυσμα. Lyra dicit: Eſſe omnem potum inebriativum. Jonathan יין eſſe vinum novum: שכר vinum vetus. Druſio non diſplicet, ut ſit potus factitius ex hordeo, qualis noſtra cereviſia: vel ex pomis. De his ſic Maimonides: *Naziraatus finis eſt, ut per prohibitionem ab omnibus è vite profectis potibus, homo ad excellentiorem dignitatem perveniat, & rebus neceſſariis contentus eſſe diſcat. Nam qui ſic à vino abſtinet, vocatur ſanctus, & collocatur in gradu Sacerdotis magni quoad ſanctitatem, dum non audet ſe polluere Patre & Matre ſua defunctis.* More Nev. III. 48. Non comperiuntur à certo ciborum genere ſibi temperâſſe, quod tamen Curcellæus ſcribit. Sed quid hoc ad rem? Naziræatus fuit à mandato Dei, Votum legale, & ἀσκητικὸν, ac viguit, quamdiu Ceremonialis legiſlatio, cum qua exſpiravit. Obedientia omnino Deo placuit, non abſtinentia. Si tamen in Novo Teſta-

Digitized by Google

Teſtamento Deus illud cuſtodiri voluiſſet, poteſtas fuiſſet ipſi præcipiendi. Nunc nihil tale fecit, ſed generali canone definivit, nullum jam diſcrimen cibi vel potûs attendi debere, nihil hominem polluere poſſe, omnia mundis munda eſſe. Non poteſt igitur in ejuſmodi ciborum vel potus diſcrimine locum habere obedientia, quippe quæ nititur mandato & promiſſione Dei. Exemplum & abſtinentiæ & inobedientiæ in Nazaræis eſt, qui Paulo olim, teſte Epiphanio, infenſiores, mordicus ceremonias legales propugnârunt, quibus proinde Paulum Epiſtolam ad Galatas oppoſuiſſe multi credunt.

VI. Jam etiam in nos conatur argumentum retorquere, & noſtro nos gladio confodere. Videamus ergo, quàm felix ſit περιτροπὴ τοῦ λόγου. *Paulus*, inquit, *reprehendit eos, qui cum Fratrum infirmorum ſcandalo veſcebantur cibis, per ſe quidem licitis, ſed quos nonnulli illicitos credebant, quia lex illos prohibuerat: ideóque ſic faciendo libertate ſua ad aliorum perniciem abutebantur. Quod facit contra illos, qui ſanguine veſcuntur; Poſito enim, iſtud eſſe indifferens, tamen quia multi ſunt inter Chriſtianos, qui inde tanquam mandati Apoſtolici vilipendio offenduntur, deberent potiùs; qui pietatis ſunt ſtudioſi, ab iſta eſca abſtinere, ne contrarientur Apoſtoli mandato, quod immediatè antecedit.* Si propter cibum Frater tuus contriſtatur, jam non ſecundùm charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. *Saltem qui ab eſca ſanguinis abſtinent, nemini offendiculo eſſe poſſunt, cùm is non ſit preceptus, ſed tantùm ad tempus prohibitus. Sed qui edunt, non habent cauſam levem metuendi, ne infirmos, qui credunt eſſe illicitum, libertate ſua offendant.* pag. 171. 172. Idem Becmannus urget. Qui etiam non Chriſtianis tantùm infirmioribus à ſcandalo timet, ſed & Judæis, qui ingenti copia juxta Chriſtianos in Germania, Gallia, Italia, Polonia, Bohemia habitant, & qui αἱματοφαγίᾳ noſtra offenſi magis à Chriſtianis abhorrent. Exercit. XXVI. pag. 536. Reſpond. Mutant Curcellæus & Becmannus inſtitutæ quæſtionis elenchum. Diſceptamus de *jure* ſanguinis edendi, & de libertate per Chriſtum parta. A *jure* libertatis diſtinctum eſt ejus *exercitium*. Nam *jus* ipſum in contrariam partem determinari nequit. Sed *exercitium* determinatur per fidem & charitatem. Per *fidem*, ne dubitante conſcientia quicquam agatur, ſed mens ſufficienter de uſu ciborum ſit firmata. Per *Charitatem*, ne indifferentium uſu offendantur infirmi. Ipſe Apoſtolus hoc loco diligenter

ligenter *jus* & *exercitium* libertatis diſtinguit. Primò *jus* libertatis aſſerit, cùm dicit: *Novi & perſuaſus ſum in Domino Jeſu, quòd nihil per ſe ipſum ſit pollutum, ſed tantùm ei, qui exiſtimat aliquid pollutum eſſe.* v. 14. Et verſ. 16. *Ne blaſphemetur veſtrum* τὸ ἀγαθόν. Et v. 20. *Omnia pura.* Sic aſſerit Chriſtianorum libertatem. Sed exercitium tamen limitat cancellis fidei & charitatis. *Fidei* v. 23. *Qui dubitat cùm edit, judicatus eſt, quia non facit ex fide. Quicquid autem ex fide non eſt, peccatum* eſt, Rom. XIV. 23. *Charitatis* v. 13. 15. 20. 21. *Ne alii alios judicemus. Hoc magis judicate, ne Fratri ſitis offendiculo. Si ob eſcam Frater tuus contriſtatur, non ambulas ſecundum charitatem, &c.* Nullius igitur momenti eſt exceptio, neque contra jus & libertatem edendi ſanguinem militat, ſed contra ſcandala in exercitio præpoſtero rei indifferentis. Deinde ſcandalum aliquando oritur ex illius vitio, cui ſcandalum objectum eſt, cùm qui offenditur, efficit, ut quod in ſe non eſt ſcandalum, ſibi tale fiat: aliquando ex illius culpa, qui ſcandalum objecit. Illud vocatur *acceptum*, hoc *datum*. Datur autem tribus modis. Primò ſi quis hortando induxit in errorem, cùm eſſet vel magna præditus auctoritate, vel magno ingenio, vel magnâ eloquentiâ. Secundò peccando in moribus & vita; nam exemplo ſuo minùs malos illexit in peccatum, improbos confirmavit. Tertiò, dum quis abutitur libertate ſua per Chriſtum. Quod faciunt, qui vel ſuperbè ſua libertate utuntur, vel inſultant infirmis & minùs peritis, vel ea negligenter utuntur, ut ſit lata culpa. Jam videamus, an ſcandali dati reatum contrahat, qui ſanguinem edit. De Judæis, qui Chriſtianis permixti vivunt, præcisè nego. Non datur enim ſcandalum, ſed accipitur ob propriam & ſonticam culpam. Negant præfractè Meſſiam veniſſe, & ſublato diſcrimine ciborum parietem intergerinum ſuſtuliſſe. Ipſe Chriſtus Judæis ſcandalum eſt, 1. Cor. I. 23. Et ſi eſu ſanguinis non ſunt offendendi Judæi, tum nec eſu cæterorum ciborum, qui in lege immundi fuerunt. Nam ad illorum uſum æquè tuſſiunt. Imò tum, cùm Judæi infirmi adhuc fuerunt, & quamvis Chriſti diſciplinam ſecuti, hoc tamen caput nondum capere potuerunt. Paulus reprehendit Petrum, & συνυπόκρισιν Barnabæ ac cæterorum Judæorum, quos negat ὀρθοποδεῖν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ Εὐαγγελίου, quia ſe à Gentilibus metu Judæorum propter communem convictum ſubduxerunt, Gal. II. 12. 13. 14. Quantò ſeveriori cenſura digni ſunt hodie illi, qui

Digitized by Google

in Judæorum gentis, tenebroſo velamine pectus circumtectæ, & Chriſtianorum univerſam diſciplinam peroſæ, gratiam nos volunt cogere Ἰουδαΐζειν, Gal.II.14. De Chriſtianis ſic ſentiendum. Qui non edit, quia opinatur præcepto morali contravenire ſanguinis eſum, is haud dubiè offendiculo eſt fratri, ſi non in abſtinentia, ſaltem in cauſa abſtinentiæ, nempe in perſuaſione hac, quòd contrarius actus ſit moraliter vitioſus. Imò tacitè judicat fratrem in cibo & potu, contra quàm Paulus jubet Rom.XIV.3. Coloſſ.II.16. Et tanquam vivens in mundo & egenis ejus elementis, ſic δογματίζει. Μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς, v.20.21. Atque ſic reus eſt ſcandali dati *primo modo*, quatenus quodammodo hortando, vel authoritate, vel exemplo in errorem ac pravam perſuaſionem libertati Chriſtianæ contrariam illicit. Deinde peccat, quia non abſtinet à ſanguine hac fide, quòd omnia munda ſint mundis. Quicquid autem ex fide non eſt, peccatum eſt, Rom.XIV.23. Qui edunt ex fide, neque judicant tamen non edentem, & maturo ac confirmato judicio id faciunt, ac ſequuntur etiam in eo obſervationem ac ſententiam totius Eccleſiæ, vel certè potiſſimæ in ea partis, & faciunt hoc tempore plenæ lucis, in qua nemo citra latæ culpæ reatum cæcutire poteſt, quemadmodum illi accuſari poſſunt ſcandali fratribus infirmis dati? Et aliam fuiſſe rationem infirmiorum fratrum tempore Apoſtoli, aliam tempore noſtro, liquidò conſtat. Illi enim ex Judaïſmo ad Chriſti diſciplinam ſe applicantes, præjudicio tamen hoc imbuti fuerunt de perpetuitate legis Ceremonialis, quæ μῆλον ἔριδος fuit. In iis igitur, quia manifeſta fuit ἀῤῥωστία τῆς διανοίας, prudentia Chriſtianorum medicabilis, συγκαταβάσει locus fuit. Abſque qua fuiſſet, haud dubiè anceps periculum imminebat, ne ad priſtinum vomitum redirent. Hodie Evangelii doctrina ubique radiante, & ceremonialis legis uſu & abrogatione omnibus æquè comperta, nullus eſt à tali periculo metus.

VII. Chriſti exemplum non nocet nobis, baptiſmum tanquam juſtitiæ opus ſuſcipientis, quia *decebat ipſum implere omnem juſtitiam*, Matth.III.15. Ubi phraſis illa πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην, eſt Hebraicæ illi, judice Doctiſſimo Camerone, affinis מלא אחרי יהוה, quæ de Calebo uſurpatur, Deut.I.36. Joſ.XIV.14. quâ denotatur plenum Deo exhibitum obſequium. Quaſi Chriſtus Johanni diceret: Oportet me defungi non modò legali Oeconomia, ſed

& Tuâ. Doctrina enim Johannis neque merè legalis fuit, neque merè Evangelica. Ergo ſub ipſo novus quidam Eccleſiæ ſtatus, quia mutatio doctrinæ mutat ſtatum Eccleſiæ, & doctrina indicat baptiſmum. Ergo Chriſtus voluit Johannis Baptiſmo baptizari, quia voluit defungi omni Oeconomia. Itaque voluit ſubjici legi Ceremoniali, & Politicis Judæorum legibus, & baptiſmati Johannis, ita ut nihil ſit, quod Chriſtus non præſtiterit, ut omnis generis peccatores conſolationem haberent, eóſque ſui conſortes faceret. Non indiguit igitur pro ſe baptiſmate Johannis Chriſtus. Indiguit tamen in hac Oeconomia conſtitutus, in qua Deo aures ipſi perfodienti obedientiam ſtipulatus eſt. Hic ergo oſtendat Curcellæus nobis τὸ πρέπον, neceſſarium in ſe, perpetuum & nunquam mutabile præceptum Dei, quo ſolo τὸ πρέπον noſtrum finitur. Hîc Rhodus, hîc ſaltus! Tertullianus non magis nos ferit. Ejus verba de Pœnit. c. 4. *Nos pro noſtris anguſtiis unum inculcamus, bonum atque optimum eſſe quod Deus præcepit. Audaciam exiſtimo de bono Divini præcepti diſputare: Neque enim quia noxium eſt, conſultare debemus, ſed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obſequii, prior eſt Majeſtas Divinæ poteſtatis, prior eſt auctoritas imperantis, quàm utilitas ſervientis.* Hoc præclarè dictum Tertulliano in alia cauſa. Nobis autem opponi non debuit, qui non agnoſcimus Univerſale præceptum, in qualibet differentia temporis obligatorium. Aliàs quanta improbitas foret, frenum mordere præceptorum Dei, & noſtræ cupiditati illud laxare? Ne modò tantam amentiam nobis imputet!

VIII. Quartum argumentum ſuppeditat idem Apoſtolus ad Corinthios ſcribens, 1. Cor. X. 25. *Quicquid in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conſcientiam. Domini enim eſt terra & plenitudo ejus.* Agit Apoſtolus de Idolothytis. Hactenus impugnavit Idolothyta quâ talia, formaliter dicta, *Fugite idololatriam.* v. 14. *Ne fiatis participes menſæ & calicis Dæmoniorum*, v. 20. puta, comedendo cibos idolis oblatos eo modo, & iis circumſtantiis, quibus cenſeamini eos quaſi ſacros, in honorem idoli comedere. Deinceps ſolvit quæſtionem à Corinthiis motam: An Idolothytum comedi poſſit ſaltem materialiter, quà cibus & caro eſt? Reſpond. Apoſtolus: *Omnia, quidem licere, ſed non omnia ædificare.* v. 23. 24. Sic rurſum diſtinguit *jus* ab *exercitio*, cui accidere poteſt, ut ſit malum. Ac ſubjicit conceſſionem generalem: *Omnia quæ in macello*

ſunt

ſunt, manducate, μηδὲν ἀνακρίνοντες, nihil diſcernentes, non hæſitantes propter conſcientiam. Vetat eos interrogare in macello, an carnes venum expoſitæ idolis fuerint ſacrificatæ, necne? Solebant enim Gentiles carnes idolis oblatas, poſt ſacrificium & epulum ſuperfluas, mittere ad macellum vendendas, quarum lucrum ad Sacerdotes derivabatur. In macello autem cenſebantur ad communem & profanum uſum redire. Ergo Apoſtolus declarat: Omnem jam cibum & potum indifferentem eſſe, & religionem ac conſcientiam nullum ampliùs diſcrimen agnoſcere, ſicut factum in Veteri Teſtamento. Quæ ſententia cùm generalis ſit, neceſſariò etiam ſanguinem complecti debet. Nam in macello botulos & farcimina ex ſanguine, uſitatiſſimum Gentilium cibum, vænum expoſita eſſe, cui vel levis dubitatio inceſſere poteſt?

IX. Curcellæus magno niſu conatur argumentum diſſipare. Summa exceptionis: *Paulum hanc Epiſtolam ſcripſiſſe altero anno poſt concilium Hieroſolymitanum: vel ſaltem exiguum admodum temporis ſpatium, inter utrumque, nempe Concilium & hujus Epiſtolæ ſcriptionem, interceſſiſſe. In hoc caſu convenire, ut generalis hæc ſententia ex particulari decreto Synodico exponatur. Cùm ergo Apoſtolus dicit:* Omne quod in macello vænit, manducate, &c. *res ipſa indicat, ita eſſe accipiendum, niſi aliquod ſit ſpeciale interdictum, quo id prohibeatur. Tale autem feciſſe paulò antè Apoſtolos, quorum decretis Paulus derogare nec volebat, nec poterat. Ab illo interdicto nos non habere ullam particularem relaxationem: ideóque non poſſe nos eſſe certos in conſcientia, licitum eſſe ſanguine veſci.* pag. 174. 175. Reſp. Circa tempus, quo Paulus præſentem Epiſtolam ſcripſit, in partes itur. In hoc conſenſus eſt, ſcriptam eſſe poſt Synodum Hieroſolymitanam. Hæc autem juxta Hieronymum & Baronium habita poſt Chriſtum quinquageſimo quarto; juxta Calviſium, quadrageſimo octavo; juxta Uſſerium Armachanum quinquageſimo primo. Epiſtola verò prior ad Corinthios juxta Baronium ſcripta eſt anno quinquageſimo ſeptimo; juxta Calviſium quinquageſimo quinto, initio Veris; juxta Uſſerium quinquageſimo nono. Sive igitur Baronii computo ſtemus, anni tres, ſive Calviſii, novem, ſive Uſſerii, anni ſeptem intercedunt. Qui poſtremus calculus rationibus temporum maximè convenire videtur. Scripſit enim ſuam Epiſtolam Epheſi, ubi ſe permanſurum uſque ad Pentecoſten ſcribit, 1. Cor. XVI. 5. 6. 7. 8.

Digitized by Google

Tranſmiſit Epheſo epiſtolam per Stephanum, Fortunatum & Achaicum. Inter Synodum autem Hieroſolymitanam, & ejus in Aſiam Lydiacam adventum, in qua per urbes Epheſo vicinas Evangelium prædicâſſe videtur, interjungendi anni minimùm ſex vel ſeptem, ut apparet ex diligenti examine τῶν πραχθέντων ab Apoſtolo à cap. XV. Actorum uſque ad caput decimum nonum, ubi Lucas mentionem agitat Paulini in Epheſum adventus, v. 1. Totidem annorum ſpatium agnoſcit Illuſtris Armachanus & Capellus, qui tamen ab Uſſerio diverſus in eo abit, quòd Synodum celebratam dicat anno quadrageſimo quinto: Epiſtolam priorem ad Corinthios ſcriptam quinquageſimo primo, poſteriorem ſequente, ut & Epiſtolam ad Romanos. Fefelliſſe igitur calculus & Alſtedium Chronologum & Curcellæum videtur. Ex quo etiam omnis Curcellæi diſputatio in ſpongiam incumbit. Si enim ſex ad minimum anni inter Synodum & ſcriptionem hujus epiſtolæ intercedunt, annon cenſeri poteſt, generali hac conceſſione ſpeciale interdictum de ſanguine & ſuffocato, olim in Synodo ad tempus ſancitum, abrogâſſe? Cùm enim Apoſtolus ipſe membrum Synodi fuerit, & optimè cognoverit illius interdicti ſenſum, planè conſentaneum erat, hoc loco exceptionem, ſi non accuratè, at certè vel levi brachio attingere? Nam Corinthii Gentiles, antehac ſanguinis eſui aſſueti, tam univerſali & latâ ſententiâ, nullo modo limitatâ, facilè potuiſſent in erroris hujus regionem induci; ſanguinem jam licitum eſſe. Imò quod attentione digniſſimum, Apoſtolus conceſſionem hanc opponit illis, qui caſum movebant: utrùm idolothyta ſaltem materialiter, quâ caro ſunt, ſine conſcientia idoli, concedi poſſint? Jam notorium eſt, Apoſtolos in Synodo juxta eſum ſanguinis & ſuffocati prohibuiſſe ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων, v. 20. id eſt εἰδωλόθυτα, v. 29. & tamen generali conceſſione interdictum illud hoc loco Apoſtolus relaxat. Si conceſſio illa juxta ſenſum Synodi, generale ex ſpeciali, exprimi debet, tum ſequitur, ne quidem eſum idolothyti Corinthiis integrum fuiſſe. Quomodo igitur ſatisfecit Apoſtolus quæſtioni Corinthiorum? Et cui bono univerſalem illam ſententiam ſubjunxit? Nam quòd Curcellæus in explicatione loci Act. XV. 20. innuit, Apoſtolos in Synodo idolothyta prohibuiſſe non materialiter, ſed formaliter, quatenus in idoléo comedebantur cum aliqua idoli reverentia, id infra ſuo loco non convenire per omnia veritati, demonſtrabimus.

X. Quin-

Digitized by Google

X. Quintum argumentum promimus ex Coloſſ. II. 16. 17. *Ne quis vos judicet in cibo & potu, quæ umbra futurorum, Corpus autem Chriſti.* Et v. 20. 21. *Quid adhuc, tanquam viventes in ſeculo, decretis illis tenemini? Ne tetigeris, ne guſtâris, ne contrectâris.* Perſtringit tum Gentiliſmum tum Judaïſmum, quorum ille decipere parabat per philoſophiam & inanem fallaciam, hic ſecundum traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi: uterque contra Chriſtum, *in quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, v. 8. 9. &c. Qui cùm chirographum, quod nobis contrarium erat, expunxerit, dedit libertatem iis, qui cum Chriſto convivificati, ne quiſquam eos in cibo vel potu judicet, neque conſtringat legalibus illis decretis, ne tangant, ne guſtent, ne contrectent. Unde argumentum irrefragabile nectimus pro libertate Chriſtianorum in eſu ſanguinis. Qui enim in eſu & potu non ſunt obnoxii ullius, ſive legis Divinæ, ſive hominis judicio; neque tenentur legalibus illis decretis, illis liberum eſt, ſanguinem tangere vel non tangere, guſtare vel non guſtare. Scripſit Paulus Epiſtolam ad Coloſſenſes ſatis longo tempore poſt Hieroſolymitanam Synodum. Miſit enim Româ per Tychicum & Oneſimum. Et in fine vinculorum ſuorum meminit cap. IV. 18. Atque adeò minimùm tredecim anni inter Synodum & ſcriptionem hujus epiſtolæ intercedunt, ut patet attendenti. In eo certè intervallo temporaria lex Hieroſolymis lata, Judæis converſis jam contra ſcandali metum obfirmatis, obſervari deſita eſt: vel, ſi non deſita, univerſali hac ſententiâ Apoſtoli abrogata, nec extra ſcandalum obligare pergat.

XI. Reſpondet Curcellæus. 1. *Hic nullam fieri mentionem ſanguinis, nec prohiberi, ne quis judicet edentem*, pag. 176. Reſp. Quod de genere & de omni vel nullo prædicatur, illud prædicari etiam convenit de ſpeciebus, ut docet ratio, & aſtipulantur Logicorum παῖδες. 2. *Niſi Apoſtoli verba limitentur, fore, ut multa abſurda ſequantur. Sic enim non debere judicari, ſi quis pravè ſe gerat circa cibum & potum.* Reſpond. Eſt vaniſſima argutatio. Quamcunque libertatem circa cibum & potum, ſive univerſalem ſive particularem ſtatuamus, ſemper hoc reponi poterit. Apoſtolus dicit, nos ad libertatem vocatos. Sed vetat tamen, *ne libertatem arripiamus, ut datam carni occaſionem*, Gal. V. 13. Univerſalis rei indifferentis uſus univerſalem abuſum habere poteſt. Nam eæ res, quæ natura neque

Digitized by Google

bonæ neque malæ ſunt, in alterutram partem determinantur ab animi affectu & concupiſcentia. Hinc Apoſtolus. *Nihil per ſe immundum: ſed* λογιζομένῳ. Et ſcitè Auguſtinus apud Poſidon. in ejus vita, cap. 22. *Non ego immunditiem obſonii, ſed immunditiem cupiditatis timeo.* 3. *Etiam illum fore damnabilem, & dignum à quo omnes abhorrerent, qui vellet carne humana veſci, ut feri Canibales faciunt.* pag. 166. Reſpond. Hoc per ſe intelligitur, naturâ ſuâ turpe eſſe, & homine nedum Chriſtiano indignum. Apoſtolus, explicans libertatem Chriſtianorum, reſpicit ad cibum & potum, qui in V. T. Legaliter immundus cenſebatur. Hujus jam uſum promiſcuum concedit. In V. T. autem non cenſebatur caro humana legaliter immunda, ſed naturaliter omnes ab anthropophagia abhorrebant. Hinc etiam Gentiles deteſtari piacularem hunc eſum. Martialis: *Divi prandia nec refert Thyeſta.* Et ut generis ſui conſortes Chriſtianorum odio imbuerent Gentiles, juxta alia dira ſcelera Θυέστεια δεῖπνα iis imputârunt. Athenagoras. Τρία ἐπιφημίζουσιν ἡμῖν ἐγκλήματα, ἀθεότητα, θυέστεια δεῖπνα, οἰδιποδείους μίξεις. *Trium igitur flagitiorum infamis rumor de nobis ſpargitur: impietas, quæ Deos tollat, Epula Thyeſtea & Oedipodii coitus.* Quæ crimina Chriſtianis objecta Athenagoras in poſtrema ejuſdem orationis parte refellit. Quin & Juſtinus, qui vocat ἀνθρωπείων σαρκῶν βορὰς, Tatianus, Tertullianus. Pii Martyres Galliæ, qui Viennam & Lugdunum Galliæ incolebant, in Epiſtola ad Fratres in Aſia & Phrygia ſcripta inter alia queruntur: *Quosdam Ethnicos, Chriſtianorum ſervos captos, cùm tormenta Chriſtianorum reformidarent, militibus Sathanæ illos ad hoc incitantibus, Thyeſtæas Cœnas, & inceſtus Oedipodis contra ſe commentos eſſe, & alia, quæ nec eloqui, nec cogitare fas ſit,* apud Euſeb. Hiſt. Eccleſ. V. 1. Quod minimè feciſſent, niſi hoc flagitium ἀνθρωποβορίας omnium judicâſſent atrociſſimum. Videtur dira & inſana criminatio illorum occaſionem captâſſe ex doctrina Chriſtianorum, de auguſto Cœnæ Dominicæ Sacramento, ad illos perperam ac malitioſè delata. Hinc Tertullianus: *Dicimur ſceleratiſſimi de Sacramento infanticidii & pabulo inde.* In Dialogo Minutii Felicis Cæcilius paganus objicit Octavio Chriſtiano: Infans farre contectus, ut decipiat incautos, apponitur.

XII. Curcellæus aliud agendo quærit: An ſaltem in caſu neceſſitatis & extremæ famis liceat latrantem ſtomachum ex diris huma-

Digitized by Google

humanarum carnium epulis compeſcere? Non alio animo quærit, quàm ut opportunitatem captet Reformatos criminandi. Nam in obſidione Sancerræ in Gallia, anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo, ſeptuageſimo, juxta Serrarium, Chytræum, Thuanum & Calviſium, Parentes duo, vel Vetulæ, vel diriſſimæ famis conſilio, mortuæ filiolę caput, jecur & ilia devorârunt. Quas horrēdas dapes ex Magiſtratus Sancerrani Reformati decreto mortis ſupplicio expiârunt. Hoc ſupplicium criminatur tanquam Regiè & crudeliter ab Anthropophagis illis expetitum. De re ipſa ut dicamus, haud dubiè etiam in caſu urgentis famis, deſperatis rebus, prę ſtat mortem magis prandere quàm humanas carnes. Eſt enim honeſta mors turpi vita potior, & incolumitas ac decus eodem loco ſita ſunt. Tacit. Agric. XXXIII. 11. Id quod pro vero etiam Curcellæus aſſeruit. Nunquam enim Chriſtiano turpe & horribile aliquid deſignare ad vitam lucrifaciendam licet. Neque verum eſt, honeſtam eſſe quamlibet rationem expediundæ ſalutis. Nobis enim unum hoc relictum; ut obſequio graſſemur. De vita noſtra faciet, quod è re noſtra eſt, ille vitæ & necis arbiter. Ipſe mille artes habet, quibus pro ſalute noſtra excubat, quando nobis res in anceps præcipitare videntur. In Samaritana obſidione videmus, cùm jam impiæ mulieres ferales illas dapes appetiiſſent, Regem Joramum triſti hoc experimento motum, ut de deditione conſilia animo volutaret. Quin & rebus in deliquii puncto hærentibus, exercitus Syriæ panico terrore copiarum Iſraeliticarum perculſus, ab obſidione diſceſſit, & tabernacula opum cibariorúmque reliquit. Sic opimâ prædâ Iſraelitæ potiti. Dei igitur bonitati in ejuſmodi caſu confidendum, qui non amat humani maleficii & fraudum ſuppetias. Contemplemur hiſtoriam calamitoſiſſimam, quæ in excidio Urbis Hieroſolymitanæ, furioſa fame invaleſcente, accidit, ſi fides eſt Joſepho de Bello Judaico lib. VII. cap. 8. Ea jam fames incrementa habuit, ut calceamenta, coria ſcutis detracta, vetúſque fœnum cibus eſſet. Matrem furiæ agitaverant, ut filium raperet, quem lactantem habuit, & tragicâ ad ipſum oratione habitâ, eum occideret coctúmque medium comederet, adopertum verò reliquum ſervaret. Aderant contaminatiſſimi nidoris odore capti, qui cogerent oſtendere, quod parabat. Ergo filii reliquias protulit. Illos horror cepit atque dementia, viſúque ipſo diriguerunt. Mox repleta eo ſcelere tota civitas. Ab

omnibus

Digitized by Google

omnibus autem, quos fames urgebat, properabatur ad mortem, & beati appellabantur, qui priùs, quàm id paterentur, interiiſſent. Citò etiam Romanis nuntiata calamitas. Eorum alii non credebant: alii miſerabantur: multos vehementius ejus gentis odium capiebat. Cæſar autem Ethnicus adeò facinore hoc commotus, ut minaretur, ſcelus hujus nefarii victus ſeſe patriæ ruinâ operturum, neque relicturum in orbe terræ, ut Sol inſpiciat civitatem, in qua matres ſic veſcerentur. Prædixerant tantam calamitatem Paulus & Petrus, teſte Lactantio lib. 4. cap. 21. Fore nimirum, ut corporibus ſuorum veſcerentur, & conſumerent ſe invicem &c. *Eò quòd exultaverant ſuper amantiſſimum & probatiſſimum Filium Dei.* Prodigioſæ crudelitatis exemplum meritò & cives, & Romanos, ac cum primis Imperatorem ſtupore perculit. Quantò rectiùs Annibalis filius in Italiam proficiſcens conſilium ſibi datum, ut exercitum carnibus humanis edendis aſſuefaceret, ut hac ratione nunquam commeatu indigeret, detrectavit. Jam de Sancerrano Magiſtratu paucis Illuſtris Hiſtoricus Aug. Thuanus Hiſt. Lib. LV. poſtquam commemoravit famem prodigioſam, quam perpetiebantur Sancerrani, ſubjicit pag. 1055. *Et ne quid ad extrema neceſſitatis exemplum deeſſet, puella triennis ex fame mortua & jam elata, de conſilio Vetulæ refoſſa, ipſis parentibus cibo fuit, qui tamen re comperta Magiſtratus ſententia ad ignem damnati ſunt: ut hac obſidio Samaritana famis in Sacris libris memorata, Hieroſolymitana à Flavio Joſepho deſcripta, & Numantia hiſtoriis Romanis celebrata, quæ vix à multis creditur, fidem adſtruat.* Hîc decretorium ſtylum Curcellæus ſtringit, & tantùm non Draconis leges objicit, *quàmvis qui in hac parte peccabat, duriùs cenſeam capite plectere, ut inter Reformatos factum in Sancerra obſidione.* Atqui quis dubitet Magiſtratui graves conſtitiſſe decreti ſui rationes, quas & Serrarius & Thuanus ſilentii ſupparo involverunt? Ipſum ſcelus ejuſmodi, ut crudelitatem impietatémque in corpus humanum, in quo vivente imago Dei eluxerat, & quod jam quieti publico ritu deſtinabatur: denique horribile facinus, in filiam, quam editam in hanc lucem deglutiit, atque ſic ſua viſcera in ſuis viſceribus condidit, involvit. Acceſſit & hoc, quòd fame maleſuada, & moleſto interpellatore obſeſſos urgente, periculi metus inceſſebat, ne, ſi impunitate donarentur parentes, deteſtabili exemplo excitarentur

rentur alii, ac tandem impetus in viventium corpora verteretur. Exemplo igitur unus fuit. Terror ad cæteros redire debuit.

XIII. Nondum ſat tenebrarum textui Apoſtolico offuſum. Excipit igitur ad extremum: *Ut antecedentia ſuadent:* Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam &c. *veriſimile eſſe, Apoſtolum potiùs reſpexiſſe ad dogmata Pythagoreorum, qui eſum carnium in univerſum damnabant, quàm ad ſolam legem Moſis, qua tantùm aliqua animalium ſpecies prohibebantur, ita ut libertatem ſanguine veſcendi non indulgeat, cujus nullam planè mentionem fecit: non magis quàm carne humana, à qua ſemper paulò humaniores abhorruerunt.* pag. 178. Reſpond. 1. Pythagoreos tangi non dubito. Tametſi de ipſo Pythagora non omnino verè dicunt, carnibus ipſum abſtinuiſſe. Agellii de ipſo verba ſunt lib. IV. c. 11. *Opinio vetus falſa occupavit & convaluit, Pythagoram Philoſophum non eſitaviſſe ex animalibus. Idem abſtinuiſſe fabulâ, quem Græci κύαμον appellant. Sed Ariſtoxenus Muſicus, nullo ſæpius legumento Pythagoram dicit uſum quàm fabis: porculis quoque minuſculis & hædis tenerioribus victitâſſe, idem Ariſtoxenus refert.* De hoc quicquid fiat, Philoſophos ipſum ſecutos, ac Ægyptios, quorum diſciplina imbutus eſt, σαρκοφαγίαν damnâſſe certum eſt. De quo vide Plutarchum, in peculiari de hac re libello. Hos igitur Apoſtolus haud dubiè pulſavit illis verbis: *Ne quis vos decipiat per inanem Philoſophiam,* &c. Qua cautione nos dehortatus eſt ab omnium Philoſophorum Gentilium erroribus, quorum pigmenta ſunt: ratio Sapientiæ, cultus voluntarius, ſummiſſio animi, ne parcatur corpori &c. 2. Judæos tamen haud obſcurè juxta Philoſophos Gentiles pulſat, ad quos pertinent hæc indicia. *Decipere ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum: dogmata & decreta ſua commendare de non tangendo, guſtando, contrectando: judicare in cibo, potu, in parte diei feſti, neomeniæ, aut Sabbathorum, quæ ſunt umbra futurorum, corpus autem Chriſti.* 16. 17. Scripta enim eſt Epiſtola, ex communi ſenſu contra Simonem Magum, & peſtilentis illius hæreſis aſſeclas, qui teſte Chryſoſtomo & Ambroſio, Angelos ceu mediatores noſtros divino cultu mactârunt, & dogmati huic, monente Theophylacto, multas obſervationes Judaïcas & Gentilitias addiderunt. Legem igitur Moſis reſpexit. Imò magis quàm Epicuræos philoſophos, uti apparet ex v. 16. 17. 3. Cùm igitur ſub lege ceremoniali

Digitized by Google

Moſis contineatur interdictum de ſanguine, illud hac declaratione antiquavit. Legem naturalem de non vorandis humanis carnibus, quippe de qua nihil dixit Moſes ad populum exſertè, neque reſpexit, neque antiquare potuit. Atque ſic manet adamantinis loris adſtricta noſtra demonſtratio.

XIV. Sextum argumentum ſequitur ex Tit. I. 15. *Omnia ſunt munda mundis: Pollutis autem & infidelibus nihil mundum, ſed polluta eſt illorum mens & conſcientia.* Perſtringit Apoſtolus Cretenſes, quorum deſcribit mores, v. 12. 13. Jubet nos redarguere, v. 13. 14. 16. ac curat in iis vitæ & doctrinæ morbum. Vitæ morbum in verbis: *Omnia munda ſunt mundis* &c. Morbus fuit Judaizantium, Judaicas fabulas & traditiones hominum complectentium, v. 14. *Quales fabulæ potiſſimùm erant,* inquit Cornelius à Lapide ex Hieronymo & Chryſoſtomo, *de ſervandis legis Ceremoniis, præſertim de ſervando ciborum delectu.* Ergo hac ſententia generali munditiem etiam ſanguinis Apoſtolus declaravit. Curcellæus reſpondet. 1. *Non conſtare, iſtud de cibis particulariter intelligendum eſſe, qui non nominantur*, pag. 179. Reſpond. De cibis interpretantur Chryſoſtomus, Hieronymus, Theodoretus, Ambroſius, Vatablus, Eraſmus, alii. Et patet ex rebus ipſis. Perſtringit enim Judaizantes, qui dogmatizabant, in potu, cibo, feſtis, Sabbatho. Deinde ita interpretatur Apoſtolus, 1. Tim IV. 3. 4. Neque mirum erat, Cretenſes Judaica hæc deliria adoptâſſe, quia magna fuit per maris viciniam communio Judæorum cum Cretenſibus, adeóque Judæi nobiles in Creta habitare ſoliti, teſte Joſepho, in ſua vita, ubi hac de cauſa uxorem ſe ex Creta accepiſſe narrat. Quin & hinc natus videtur Cornelii Taciti error, qui Judæos è Creta aſcendiſſe aſſeverat, & Judæos dictos quaſi Idæos ab Ida monte, qui eſt in Creta, Hiſtor. V. 2. 1. 2. Non erat, cur cibos nominaret. Hoc enim ex ſe conſtabat, cùm de munditie & immunditie ciborum Judaizantes diſceptârint. 2. *Hæc adeò generalia eſſe, ut, niſi prudenter ex Apoſtoli mente limitentur, inde colligi queat, etiam furta, homicidia, adulteria Chriſtianis eſſe licita, nihílque pro peccato habendum, niſi quod repugnante conſcientia committitur. ib. Reſp.* Exceptiones malarum rerum in omni præcepto vel imperii vel indulgentiæ præſupponuntur. Deus enim peccatum odit, neque eſt ἀκαταστασίας Spiritus. Utrum autem malus ſit eſus ſanguinis, quæritur & ſub judice lis eſt. Impudentiſſimus Jeſuita

Jeſuita quidem Cornelius à Lapide non verecundatur Luthero impiam hanc conſequentiam impingere: *Si omnia munda mundis, ergo fornicatio quoque eſt munda mundis, puta fidelibus. Sicut enim, inquit, nihil juſtificat niſi fides, ita nihil coinquinat niſi infidelitas.* Comm. ad h. l. Sed heus, Jeſuita, fruſtra Herculi! Fumus eſt è ficubus. Fidelibus omnia munda eſſe rectè Lutherus dixit, quatenus nihil immundum, quod ſincera fide erga Chriſtum geritur. An verò etiam ſcelera ex fide in Chriſtum patrantur? Apage dementiam. Et tamen hi Sycophantæ Evangelicam & ſalutarem de fide doctrinam jocularibus his convitiis quotidie mactant.

XV. Septimum argumentum ſtringimus ex graviſſima θπιϛολῆξει Apoſtoli, 1. Tim. IV. 1. 2. 3. 4. *Spiritus diſertè dicit, quòd poſtremis temporibus deflexuri ſint quidam à fide, attendentes Spiritibus erroneis & doctrinis dæmoniorum, prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus condidit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & iis, qui cognoverunt veritatem. Quia omnis Dei creatura bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione recipitur.* Ubi vili pendo Peluſiotæ virgulam criticam, qui pro ἀπέχεσθαι judicavit legi debere ἀντέχεσθαι lib. IV. Epiſt. 122. Atqui & Latinis uſitatum, ut alteri tantùm è nominibus reſpondeat verbum, quale eſt; *Judicium & pœnas exercere:* cùm judicium exerceatur, pœnæ ſumantur. Apud Tacitum Germ. VII. 4. *Mulieres cibos & hortamina pugnantibus geſtare dicuntur:* cùm cibi geſtentur, non hortamina. Ita hic κωλυόντων reſpondet duntaxat τῷ γαμεῖν. Jam de re Apoſtolus dæmoniorum doctrinam vocat, mandare abſtinentiam à cibo. Et rationem reddit: *quòd omnis creatura Dei bona ſit, & nihil rejiciendum, cum gratiarũ actione ſuſceptum.* Ubi altiùs aſcendit Apoſtolus ad creationis hiſtoriam, poſtquam Deus omnia, quæ creavit, valde bona eſſe declaravit. Reſpondet Curcellæus. *1. Niſi reſtrictio aliqua commoda hìc fiat, ſequi etiam Apoſtolos Dæmoniorum doctrinam propoſuiſſe, ſi non in perpetuum, ſaltem ad tempus, quo ipſorum conſtitutio vigere debuit.* pag. 179. Reſp. Inter Synodum & ſcriptam hanc Epiſtolam intercedebant anni præterpropter quatuordecim. In eo intervallo notoria mutatio potuit accidere. Sed demus, illo tempore nondum legis illius frænum laxatum fuiſſe, an ideo Apoſtoli etiam ſtante generali illa ſententia in Concilio dæmoniorum doctrinam propoſuerunt? Abſit blaſphemiæ accuſemus viros θεοφορουμένους.

Tulerunt quidem legem de ſanguine, ſed non tam jus ſanguinis ſi. mitârunt, quàm exercitium illius cibi in præſenti caſu ſcandali. Unde qui dicto audientes fuerunt, non tam cenſendi cuſtodiviſſe præceptum aliquod de cibo, quàm præceptum de charitate, cui repugnat ſcandalum datum. Idolothytorum eſus, ſi religioſo imperio mandatur, haud dubiè doctrina Dæmoniorum eſt. Apoſtolus enim diſertè conceſſit 1.Cor.X. Et tamen Apoſtoli cum ſanguine conjunxerunt. 2. *Paulus videtur ad illos hæreticos reſpexiſſe, qui exiſtimabant cibos aliquos naturâ eſſe malos, à quibus veſcentes inquinarentur.* Reſpond. Eodem frigido ſchemate in alia, ſimili tamen cauſa, elabi conantur Bellarminus & Baronius. Jam reſpexerit Paulus ad hæreticos tales, puta Marcionitas, Encratitas, Manichæos. An igitur non reſpexit Tertullianum, & qui ſupra ſuſtinuit affirmare, carnium conceſſionem propter σκληροκαρδίαν hominum factam? Annon omnes eos, qui ſaltem hoc commune habent, ut prohibeant cibos? Maximè cùm Apoſtolus ne verbo quidem attigerit cauſam prohibitionis, ſed tantùm prohibitionem expreſſerit. Sæpe ejuſdem facti diverſæ ſunt cauſæ. Damnat Scriptura eos, qui ſolvunt Jeſum. Solverunt autem aliter atque aliter Arius & Neſtorius. An propterea non æquè uterque damnatus? Eadem hîc ratio. Cùm conſtat liberum permiſſum à Chriſto omnium ciborum uſum, conſcientiæ quidem causâ, quicunque conſcientiæ causâ illam libertatem infringit, ſive prohibeat cibum, quia naturâ malus, ſive alio modo quolibet, Dæmoniorum doctrinam propugnat. Neque pingi poteſt illorum cauſa hoc colore: *Cauſam prohibitionis in textu allegari his verbis*: Omne, quod Deus creavit, bonum eſt, neque quicquam rejectaneum, *quaſi diceret: Diabolos illos Doctores prohibere cibos quoſdam tanquam malos, cùm tamen omnes cibi ſint boni, puri, nulli rejectanei.* Non ideo ad eos ſolos reſtringi debet. Sic Chriſtus Matth. XIX. 14. diſcipulos Chriſto infantes ſubducturos compellat: *Ne prohibete eos.* Rationem addit: *Eorum enim eſt Regnum cœlorum.* Diſcipuli propter hanc cauſam non ſubduxerant. Et hanc cauſam allegat Chriſtus. Ita hoc loco Spiritus S. damnat omnes, qui prohibent cibos religionis gratiâ, quia omnes cibi boni. Hanc tamen rationem non neceſſariò negare debuerunt, quotquot prohibuerunt. Ut, qui αἱματοφαγίαν conſcientiæ gratiâ prohibent, ab hoc reatu eximi nullo pacto poſſint.

XVI.

Digitized by Google

XVI. Becmannus eadem ratione uſus. Sed & alio reſponſo defungitur. *Regulam communem non includere in ſe exceptionem notabilem. Multas regulas legéſque videri eſſe καθόλου, ſed juxta ab illis nonnulla eximi exempla. Præceptum hoc γενικῶς ſonare:* Ne occidas. *Et tamen Magiſtratum eo non obſtringi. Per initium videri* τοῦ *παντὸς monitum Paulinum:* Mundis omnia munda. *Et tamen excipi cibum potúmque, qui aggravat corpus,* Luc. XXI. 34. 1. Cor. VI. 10. *Sic regulam Synodicam Apoſtolorum excipere εἰδικωτάτως morticinum & ſanguinem.* Exerc. XXVI. Reſpond. Verum, regulam communem non ſemper includere exceptionem notabilem. Sed nec exempla, quæ adfert, ſunt ſolida, nec applicatio ad præſens negotium. Non exempla. Regula eſt: *Non occides.* Nempe, privata libidine, ultionis exequendæ causâ. Hæc regula ſenſu legislatoris accepta non patitur exceptionem. Nemini occidere licet, impetu animi ad privatam vindictam procurrentis. Cùm Magiſtratus occidit, non exercet privatam vindictam. Sed Deus virgarum ac ſecuris terrore armavit, ut eſſet ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι, Rom. XIII. 1. 4. Non eſt igitur exceptio à ſenſu regulæ, ſed à ſolis verbis regulæ. Regula univerſalis eſt: *Non occides,* intellige, non jubente Deo, privata ultione inflammatus. Si exceptio eſt, debet contradicere regulæ per formam enuntiati particularis affirmantis. Aliquem occidere licet privata authoritate, quæ exceptio adverſatur Scripturæ. Eadem ratio alterius loci: *Mundis omnia munda.* Quando autem Chriſtus dehortatur à ſaburra ciborum ac potu, hæc non eſt exceptio à regula. Non fit enim oppoſitio manente ſubjecto. Qui cibis cor aggravârunt, non mundi ſunt, ſed immundi. Immundis autem, pollutis & infidelibus nihil mundum eſt, ſed polluta eſt eorum mens & conſcientia, Tit. I. 15. Neque applicatio felicior eſt. Regula eſt: *Omnis creatura Dei bona eſt, neque rejectanea, ſi cum gratiarum actione ſumatur.* Hæc regula καθόλου eſt, neq; patitur inſtantiam. Nam τὸ ἀπέχεσθαι τοῦ αἵματος καὶ πνικτοῦ non eſt inſtantia, ſed pertinet ad aliud genus præcepti de charitate, oppoſita ſcandalis. Qui enim creatura Dei in ſe bona quidem veſcitur cum ſcandalo fratris, non ſumit cibum cum gratiarum actione: quia non ex fide, ſeu ad gloriam Dei, ſine quibus eſt, omnis noſtra actio mali labem traxit.

XVI. Sunt qui in hoc negotio urgeant locum Act. X. 10. 11. &c. Ubi commemoratur viſio cœleſtis, quam Petrus habuit, prius

quam ad Cornelium accederet. Et faciunt illud non ſine ratione. In vaſe cœlitus deſcendente erant omnia quadrupedia, reptilia terræ & volatilia cœli. Et facta vox ad Petrum: *Surge Petre, occide & manduca. Quod Deus purificavit, tu ne commune ducito.* Curcellæus levi brachio ſe expediens, dicit, *apparere, per animalia immunda ſignificatos Gentiles incircumciſos, qualis erat Cornelius cum ſuis, non bruta.* Reſpond. Animalia immunda ſymbola fuerunt Gentilium: munda Judæorum, juxta Hieronymum & Origenem. Probabiliùs tamen Juſtinus, ſive quiſquis author libri, quæſt. 89. ad Orthod. in vaſe cœleſti concluſa fuiſſe nonniſi animalia immunda. A mundis enim Petrus non abhorruiſſet, ſed ea relictis immundis ad cibum ſumſiſſet. Fuerunt autem immunda ſymbola Gentilium. Qui autem dat rem ſub ſymbolo, is etiam ſymbolum dat, & ejus poteſtatem facit. Sicut qui annulum dat, quo fidem conjugalem obſtringit, dat poteſtatem æquè in ſymbolum, annulum, atque in rem ſymbolo ſignificatam. Non igitur nocet generali conceſſioni omnium animalium Petro declaratæ, quòd animalia in vaſe non fuerint vera & viva, ſed quaſi depicta & effigiata, ut vocat Cyrillus lib. 9. contra Julian. Suâ enim naturâ Symbolum & res diſparata eſſe debent. Huc accedit, quòd ſub lege immundities quorundam animalium declarata à Deo fuit Sacramentum conſtans rejectionis Gentium, quas animalibus immundis Deus ſub lege comparavit. Ceſſante autem πωρώσει, & maledictione Gentium adeóque illis in fœdus Eccleſiæ coëuntibus, conveniens etiam fuit diſcrimen ciborum, quo inimicitia à Chriſto abolita, è medio tolli. Reliqua Curcellæi ad hunc locum meram petitionem principii ſapiunt.

XVII. Meritò etiam inde premi ſolet contraria ſententia, quòd præceptum illud de ſanguine ſit pars jugi illius, quo Patres noſtri ante Chriſtum illigati fuerunt. Et nos ſupra cùm de libertate egimus, in cujus poſſeſſionem à Chriſto ſumus inducti, hoc urſimus, ex Act. XV. 20. Curcellæus omnì rudente explicato rationem noſtram infringit. 1. *Mirari ſe, quòd abſtinentia tam levis jugum & onus vocetur. Quaſi deceat Chriſtianos adeò gulæ eſſe deditos, ut, niſi omnia, quæ nanciſci poſſunt, abſorbere liceat, conquerendi materiam habeant*, pag. 183. Reſpond. Jugum grave vocavit Petrus omnia dogmata carnalia V. T. Tale dogma eſt etiam ſanguinis interdictum. Jugum autem & onus eſt, vel reſpectu difficilis obſervantiæ, vel

quia pugnat cum Chriſtiana libertate, quæ ejuſmodi decretis legalibus non obſcurè præumbratur. Interdictum ſanguinis eſt jugum, ſi non priori, at certè poſteriori modo. Nam imponitur Chriſtianis, ut inde judicandis. Intolerabile enim eſt ſervituti ſubjici liberum, ut putet ſe offendiſſe Deum, ſi ſobriè uſus fuerit donis Dei. Intolerabile jugum ſuperſtitio. Neque libertatem hic ſollicitè adeò defendimus, ut Sybariticas menſas muniamus, & doceamus obſonare pollucibiliter, ut ita cum Comico loquar. Fabulas Mileſias relinquimus, quibus vacat, & qui amant. Nobis hoc inſtitutum, ut cognoſci poſſit, in qua ſimus libertate poſiti, & in quo conſiſtat Regnum Dei, an in cibo & potu, an in juſtitia, ſanctitate, miſericordia? Et redarguuntur irreptitii, ψευδάδελφοι, qui intrant κατασκοπῆσαι τὴν ἐλευθερίαν, ad explorandam libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto. 2. *Si quis diceret: præſtare in gravi fame ſanguine veſci, quàm ſinere ſe ab ea enecari, diſpiciendum eſſet, an probibitio Apoſtolica eouſque nos obligaret. Et putarem idem de ſanguine poſſe judicari, atque David & Abimelech fecerunt olim de panibus Propoſitionis, nempe in tali caſu mandatum Dei non obligare.* ib. Reſpond. Hoc ex Curcellæi hypotheſi, ſtatuentis hîc morale præceptum, incidit in hanc quæſtionem: An liceat mala facere, ut eveniant bona? Scripturæ autem in univerſum negant. Incolumitatem vitæ & decus pari libra eſſe, ſupra in ſimili quæſtione vidimus. Eſum ſanguinis comparavit cum graviſſimo ſcelere, idololatria Curcellæus. Allegavit diras, quas Deus intonat in αἱματοφάγον. *Ponam faciem meam contra illum.* Eſſe in eorum genere eſum ſanguinis, quæ ſunt αἰσχρὰ, turpia & inhoneſta. Et liceret homini Chriſtiano ad vitandum malum triſte, committere malum turpe? Ac malum tale, quod pari cum idololatria paſſu ambulat? Abſit, hac diſciplina Chriſtianos imbui debere. Præceptum de panibus propoſitionis non fuit de re in ſe bona, ſed de re, quæ ad externum cultum attinet, adeóque ceremoniale. Tale eſſe interdictum de non comedendo ſanguine, Curcellæus negat. Ergo diſpar ratio. 3. *Tantùm abeſt, ut jugum ſit hac abſtinentia, ut contra Deus optimè conſuluerit nobis, cùm veſci ſanguine prohibuit, qui valetudini tum animæ tum corporis noxius eſt; adeò, ut quicunque iſtud nôrunt, ab eo ſponte abſtinere debeant, etiamſi nulla lege vetentur. De valetudine animæ id probatur, quia omnia animalia, quibus veſcimur, ſtupida ſunt, & gulæ, libidini, iræ, aliiſque id*

genus

Digitized by Google

genus vitiis obnoxia. In ſanguine autem uniuſcujuſque peculiaris indoles eſt ingreſſa, ut Medicorum filii docent: Unde ſequitur, ut qui eum cibum uſurpant, mores iſtis animantibus ſimiles paulatim & inſenſibiliter induant. Converti enim nequit in corporis nutriti ſubſtantiam, quia ipſam ſibi quodammodo aſſimilat. Nam hæc eſt omnis patientis natura, ut patiendo reagat in agens, quemadmodum accidit, cùm manus mea calore alteram frigidam calefacere volo, ut ea frigore ſuo mea calorem imminuat. De corporis valetudine non minùs evidens eſſe; Sanguinis eſum nocere. Omnis enim ſanguis pravum ſuppeditat alimentum, difficilis concoctu, ideóque obſtructiones parit, quæ maxima partis morborum ſunt cauſa. Quare qui conqueruntur libertatem ſuam circumſcribi per interdictum edendi ſanguinem, idem facere videntur, ac ſi quis gravatè ferret, ſe ab eſu bufonum & colubrorum arceri. p. 183. 184. 185. 186. Reſp. Hæc Philoſophia etiam Becmanno blanditur. In quo tamen uterque à lineis excidit. Quærimus enim de religioſa abſtinentia, quam negamus. Medicæ abſtinentiæ judicatio hujus ſubſellii non eſt. Deus enim in Novo Teſtamento carnes hominibus nullo diſcrimine permiſit. Et tamen alias noxias eſſe valetudini: alias temperamentum hominis ad mores indignos naturaliter inclinare, ſi mens divino munere habilis non eſt concupiſcentiis ſuis frænandis, in promtu eſt omnibus. Bufones, Serpentes, Dracones, Veſpertiliones, Noctuas, quis ignoret in eo genere eſſe? Propterea Deus in Vet. Teſt. immunda declaravit, ut ſignificarent immunditiem Gentilium & peccatorum, quod ſupra ex Epiſtola Barnabæ nobis expoſitum. Et tamen non obſtante hac eorum indole in Novo Teſtamento Apoſtoli omnia munda declarârunt, & nihil jam pollutum eſſe propter conſcientiam. Apud Senecam Sextius eandem ob cauſam ab animalibus abſtinuiſſe dicitur: *Sextius homini ſatis alimentorum citra ſanguinem eſſe credebat, & crudelitatis conſuetudinem fieri, ubi in voluptatem adducta eſſet laceratio. Adjiciebat: contrahendam materiam eſſe luxuriæ: colligebat, bonæ valetudini eſſe contraria alimenta varia, & noſtris aliena corporibus. At Pythagoras omnium inter omnia cognationem eſſe dicebat, & aliorum commercium in alias atque alias formas tranſeuntium.* Ad quæ Sotioni reſpondet Seneca: *Si vera ſunt iſta, abſtinuiſſe animalibus innocentia eſt, ſi falſa, frugalitas eſt.* Epiſt. 108. Scilicet hæc eſt illa Philoſophia, quæ *verbotenus habet ſpeciem ſapientiæ, per ſuperſtitionem*

ſitionem ac humilitatem animi, & leſionem corporis, Coloſſ.II.v.23. A qua culpa μετενσωματωσίας vix liberari poteſt Curcellæus, cùm dicit, eos, qui ſanguinem animalium bibunt, iſtorum animalium mores ſimiles paulatim & inſenſibiliter induere. Quaſi μετεμψυχώσει aliquâ Pythagoricâ animæ brutorum, in ſanguine hoſpitantes, in hominem transfunderentur. Quod ingreditur in os, Curcellæe, non polluit hominem, quia in ventrem abit, & in ſeceſſum ejicitur, Matth. XVII.17. Et, qui mundus eſt, ei hæc omnia munda: Immundis autem & infidelibus omnia polluta, mens & conſcientia. Tit.I.15. Si qua feritate, gulâ, libidine, irâ, ſtupore bruta laborant, quemadmodum hæc vita ac Spiritu ſpoliata, in ſanguine jam ſeparato, rudi, craſſo & motus experte in animam noſtram, mentem liberam, ac Deo cognatam, vim & pollentiam minimam habere cenſenda?

CAPUT IX.

Objectio palmaria ex Act. XV. producitur, & ea occaſione Paraſceve Concilii Hieroſolymitani explicatur.

Breviarium.

Objectio Curcellæi palmaria ex Act. XV. 20. 28. 29. producitur. Hac occaſione texitur Commentarius in Concilium Hieroſolymitanum. Concilium inſtitutum contra Cerinthum & Ebionem. Nazaræi. παρείσακτος. Emiſſarii. Errores inteſtini Eccleſiæ nocentiſſimi. Circumciſio compendium Iudaiſmi. Circumciſio definitur. Ejus miniſter Sacerdos. Mulieres habuiſſe Sacramentum analogum. Circumciſionis ſignificatio. Papatus Iudaiſmum incruſtat. Adiaphoriſtæ pulſantur. Eccleſiæ circumciſæ duplex periodus diſtinguitur. Non excluſi fœdere præputiati uſque ad Moſen. Idumæi, Ægyptii, Æthiopes, Colchi, circumciſi. Locus Ierem. IX. 29. Cathedra Moſis. Cathedram Petri falsò jactant Pontificii. Circumciſio non habuit neceſſitatem medii. Curcellæus perſtringitur, docens, incircumciſos ante Chriſtum ſervari

P *potuiſſe.*

potuiſſe. Hiſtoria Izatæ Adiabenorum Regis examinatur. Tryphon & Manaſſe Ben-Iſrael immeritò allegati. Στάσις. *Locus Gal.II.5.* ὥρᾳ. *Eraſmus & Ambroſius cenſentur. Paulus cur provocârit ad Concilium Apoſtolorum? Romani Pontifices non patiuntur in Concilio cauſam ſuam examinari. Carolus V. à Paulo III. iniquè habitus. Enanthiophanes expeditur. Clementis Conſtitutiones taxantur. Apollonii erronea traditio. Quæſtio: An Apoſtoli inter ſe orbem terrarum diviſerint? Qui Apoſtoli Concilio interfuerint? Locus Gal.II.9. Columnæ.* δοκοῦντες. *Presbyter. Presbyteri docentes ab Epiſcopis tempore Apoſtolico non diſtincti.* πρεσβυτέριον *notat Collegium, non officium. Cur Hieroſolymæ ad Concilium delectæ? Quæſtio in Concilio ventilanda.* περιτέμνειν. *Eccleſia. Bellarminus notatur. Excipiendi ritus. Diſcutitur, an verba verſus quinti ſint Lucæ, an Pauli? Cornelii à Lapide rationes ſolvuntur.* Αἵρεσις *vox media. Cur adverſati Paulo Phariſæi? An Phariſæi credentes in ſecta manſerint?* τηρεῖν νόμον.

I.

SEquitur objectio ex Act.XV.28.29. in qua jam Sacra commovet, & certam ſibi palmam ſpondet Curcellæus. Sed & Græci, & quotquot in hoc negotio nobiſcum remum ducere detrectant, hoc loco pugnant tanquam cum haſta, cum ſcuto. Et ſanè non diffiteor, controverſiæ hujus deciſionem inde repetendam. Synodi verba ſunt: ἔδοξε τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν, μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος, πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων. Ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων, καὶ αἵματος, καὶ πνικτοῦ, καὶ πορνείας. Ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς, εὖ πράξετε. *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, ne quid ampliùs imponeremus vobis oneris, quàm neceſſaria hæc, videlicet ut abſtineatis ab idolothytis, & ſanguine, & ſuffocato & ſcortatione, à quibus ſi conſervaveritis vos ipſos, benefacietis.* Agè, benevole & philalethes lector, patere, quæſo, princeps hoc Novi Teſtamenti Concilium, & ejus acta paulò curatiori noſtra commentatione oculis tuis repræſentari, priuſquam ad τὸ συνέχον & ipſum controverſiæ cardinem veniamus. Nam & utilem ac neceſſariam cognitionem ad ἀκμὴν quæſtionis noſtræ habebit, & dignum eſt illuſtre Concilium, quod penitiori

nitiori indagine, occaſione ita ſe aptante, veſtigetur. Deſcribit nobis Concilium Lucas Act. XV. ab initio capitis ad verſum uſque triceſimum. Periochæ tres ſunt. Primâ deſcribit Lucas παρασκευὴν Concilii, ſive res ante Concilium geſtas. Secunda Concilium ipſum, & orationem tum Petri tum Jacobi. Tertia Conciliarem ſententiam literis mandatam. Paraſceven complectuntur verſus quinque primi, quorum hæc ſeries.

1. Καί τινες κατελθόντες ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας ἐδίδασκον τοὺς ἀδελφούς. Ὅτι ἐὰν μὴ περιτέμνησθε τῷ ἔθει Μωυσέως, οὐ δύνασθε σωθῆναι.

2. Γενομένης οὖν στάσεως καὶ συζητήσεως οὐκ ὀλίγης τῷ Παύλῳ καὶ τῷ Βαρνάβᾳ πρὸς αὐτοὺς, ἔταξαν ἀναβαίνειν Παῦλον καὶ Βαρνάβαν, καί τινας ἄλλους ἐξ αὐτῶν πρὸς τοὺς Ἀποστόλους καὶ πρεσβυτέρους εἰς Ἱερουσαλὴμ, περὶ τοῦ ζητήματος τούτου.

3. Οἱ μὲν οὖν προπεμφθέντες ὑπὸ τῆς Ἐκκλησίας, διήρχοντο τὴν Φοινίκην καὶ Σαμάρειαν, ἐκδιηγούμενοι τὴν ἐπιστροφὴν τῶν ἐθνῶν. Καὶ ἐποίουν χαρὰν μεγάλην πᾶσι τοῖς ἀδελφοῖς.

4. Παραγενόμενοι δὲ εἰς Ἱερουσαλὴμ, ἀπεδέχθησαν ὑπὸ τῆς Ἐκκλησίας, καὶ τῶν Ἀποστόλων, καὶ τῶν πρεσβυτέρων, ἀνήγγειλάν τε ὅσα ὁ Θεὸς ἐποίησε μετ' αὐτῶν.

5. Ἐξανέστησαν δέ τινες τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων πεπιστευκότες, λέγοντες. Ὅτι δεῖ περιτέμνειν αὐτοὺς, παραγγέλλειν τε τηρεῖν τὸν νόμον Μωυσέως.

1. Et quidam, qui deſcenderunt à Judea, docebant Fratres: Niſi circumcidamini ſecundũ morem Moſis, non poteſtis ſalutem conſequi.

2. Cùm ergo ſeditio & diſceptatio eſſet Paulo non exigua & Barnaba adverſus illos, ſtatuerunt, ut aſcenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex illis, ad Apoſtolos & Presbyteros Hieroſolymam, ſuper hac quaſtione.

3. Illi ergo deducti ab Eccleſia pertranſibant Phœnicen & Samariam, narrantes converſionem Gentilium, & afferebant gaudium magnum omnibus Fratribus.

4. Cùm autem veniſſent Hieroſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia, & ab Apoſtolis ac Presbyteris, annuntiaruntque quæcunque geſſiſſent, Deo juvante eos.

5. Exorti ſunt autem quidam è ſecta Phariſæorum, dicentes, quòd oporteret circumcidere eos ac præcipere, ut ſervarent legem Moſis.

Verſus I. ET QUIDAM) Epiphanius hæreſ. 28. nominat Cerinthum. *Hic*, inquit, *ſub Apoſtolis quaſtionem ſeditionis commovit, dicens, debere circumcidi homines. Cujus causâ contra ipſum, & hæreſin ejus, decreverunt de ſuis Actibus Apoſtoli ſententiam, non debere jam*

hominum Judaïſmo, id eſt, circumciſioni, aliiſque talibus ſuperſtitionis vana parere carnalibus, qui de Gentibus venientes credebant in Chriſtum Dominum noſtrum Salvatorem. Eundem nominat Philaſtrius l. de hæret. 8. Aug. in Catal. hæreſ. Hieronymus Epiſt. 89. Epiphanius docet, eum etiam ſupra cap. X. Petro moleſtias concitâſſe, quòd Cornelii domum eſſet ingreſſus, & infra, Paulo etiam perſecutionem & turbas dediſſe. Cerinthi Achates fuit Ebion, iratiſſimus etiam Pauli hoſtis. Quippe mentiebatur, Paulum gentilem, Proſelythum tamen factum, ut Hieroſolymis filiam Sacerdotis, quam deperibat, in naſſam ſuam illiceret. Uterque & Cerinthus & Ebion vel anteſignanos ſe, vel ſectatores geſſerunt Nazaræorum, quos & Ceremonias legales mordicus propugnâſſe, & circumciſionem cum Baptiſmo retinuiſſe, & Paulo Apoſtolo ſupra modum infenſos fuiſſe conſtat. Non placet aliis, ut Cerinthus & Ebion per *quoſdam* intelligantur. Malunt igitur, Phariſæos notari, quorum mentio agitata verſu quinto. Quaſi verſus ille non Lucæ eſſet, ſed Pauli, pergentis narrare & exprimere illos, quos adverſari ſibi expertus eſt. Sic Eruditiſſimus Interpres Theodorus Beza ſentire videtur, qui proinde v. 5. ſupplet: *Sed,* ajebant, *quidam Phariſæi, &c.* Qui tamen aſſenſum hactenus non impetrat, ob rationes, quas infrà promemus. Sive igitur Cerinthus & Ebion adverſarii illi, quod probabile, fuerunt, ſive alii, quos nullis coloribus novimus, parùm agnoſcere noſtrâ intereſt.

QUI DESCENDERUNT à JUDÆA) Antiochiam videlicet. Paulus vocat falſos Fratres παρεισάκτους, qui ſubingreſſi ſunt, Gal. II. 4. Subinductitios Tertullianus nominat lib. 5. contra Marcionitas. Beza ſcitè emiſſarios, qui clanculum ſubmiſſi. Quorum imaginem in hodiernis agyrthis liquidò cernas, qui Miſſionariorum nomen ſibi induerunt. Fuit ergo hic error in ipſa Eccleſia natus. Quales ſunt omnium peſtilentiſſimi & nocentiſſimi. Illi enim, qui θύραθεν Eccleſiam Dei vexant, mitiùs feriunt, quia prævisi. Qui verò in viſceribus hærent, perſonam mentiti fallacias machinantur, & incautos nec opinantes in errorum regionem inducunt. Ut non fruſtra Chriſtus ſuos à fermento Phariſæorum dehortatus fuerit Matth. XVI. 6.

NISI CIRCUMCIDAMINI) Hæc ſumma doctrinæ. Circumciſionem urgebant & legem Moſaïcam. In circumciſione Spiri-

Spiritum olim duxit Judaiſmus. Hinc Paulus: *Teſtor omni homini circumciſo, quòd debitor ſit totius legis ſervandæ*, Gal.V.3. Et hoc Sacramento apud Judæos Proſelythos juſtitiæ initiatos & in fœdus adoptatos הזהירה תורה על ענין המצות *obligavit lex ad ſervanda omnia præcepta*, ut loquitur R. David Kimchi in lib. Schoraſchim Rad. גר. Fuit autem circumciſio Veteris Teſtamenti Sacramentum, quo Sacerdos ex mandato Dei circumcidebat cultro præputium, atque ſic illos ſegregabat in populum Deo peculiarem. Pluſcula tamen ſunt, quæ evincant Sacerdotes fuiſſe ordinarios hujus Sacramenti Miniſtros. Hinc Mathias Sacerdos liberos eorum, qui ad Ethnicas ſuperſtitiones defecerant, circumcidit, 1. Machab.II.46. Veriſimile, analogum Sacramentum etiam mulieres habuiſſe. Auctor Ni Zachon nominat Sacrificium partus. מצות מילת אינה שייכת בנשים ובמו כן יש להן מצות קרבן לידה שאינו שייך באנשים: *Præceptum Circumciſionis non pertinet ad fœminas: ideóque traditum est illis Sacrificii partus præceptum: Sed* לך לך. ſſ. 21. Cæterùm, antiquo fœdere στάσιν ſuam adhuc habente, habuit hic ritus ex divina inſtitutione ſignificationem & obſignationem gratiæ tum *juſtificantis*, quatenus erat σφραγὶς δικαιοσύνης πίστεως, Rom.IV.11. tum *ſanctificantis*, ut admonerentur *circumcidere Jehova Deo cor ſuum, & cor ſeminis ſui ad diligendum Jehovam Deum ex toto corde, ex tota anima & propter vitam*, Deut.XXX.6. cum Rom.II.29. Quam ſignificationem habuit cum hac modificatione, ut Eccleſiæ circumciſæ vindicaretur, non tantùm communis ſalus per fidem in Chriſtum, verùm etiam τῆς διαθήκης προσθήκη ſeu fœderis principalis gratiæ hæc mantiſſa, ex Patribus circumciſis, non ex præputiatis gentibus Chriſtum naſciturum. Unde jam manifeſtum, Pſeudapoſtolos circumciſione tam rigidè exacta totum Chriſtianiſmum impetiiſſe, paulatim eum ſepulturos, ſi bene conatus verteret. Horum indolis & ingenii non pœnitet hodie Papatum, qui uſu ſacrificii incruenti & Ceremoniarum legalium, in quibus non eſt tamen exercitium veræ religionis *ſaturam addunt ſitienti*, hoc eſt; Eccleſiam promiſſionis exhibitione ſatiatam, & quoad conſcientiam conſummatam, redigunt in ordinem Eccleſiæ ſitientis, in ſervitutem elementorum mundi, Deut.XXIX.6. Quod enorme peccatum eſt, quia importat ignorationem *ſermonis juſtitiæ*, Hebr.V.13. & diſcriminis Veteris ac Novi Teſtamenti & beneficiorum Chriſti. Notabilis locus Jerem. cap.

Digitized by Google

XI. 15. *Quid dilecto meo in domo mea?* Quid videt Filius meus in Templo meo, quod ipſi placere poſſit? *Facere illam nequitiam, maximos illos & plurimos? Etiam carnes Sacra tranſibunt à Te.* Sacrificia non ampliùs offerentur. Strenuè etiam imitantur Pſeudapoſtolos illi hodie hypocritæ, qui laborant in Religione ἀσύγκλωστα συγκλώθειν, qui ſpinoſum ponunt in prato, miſcent ſacra prophanis, obtentu Pacis Eccleſiaſticæ confundunt fas & nefas, Chriſtum & Belialem, lucem & tenebras, menſam Chriſti & dæmoniorum. Quid hoc aliud, quàm emancipare homines à ſervitute Dei, & mancipare Diabolo, ac atheiſmo tandem decumanam portam aperire?

SECUNDUM MOREM MOSIS) id eſt, diſciplinam ac legislationem Moſis. Syrus appoſitè habet: בעידה דנמוסא *ritu legis.* Eccleſiæ circumciſæ V. T. duas periodos fecit Chriſtus, Joh. VII. 22. *Moſes dedit vobis circumciſionem. Non quòd ex Moſe ſit, ſed ex Patribus.* Prior igitur periodus, qua viguit τὸ ἔθος τῆς περιτομῆς, fuit ab Abrahamo uſque ad Moſen, in qua fuêre Eccleſiæ Iſraeliticæ incunabula. Ergo Abrahamus anno ætatis nonageſimo nono, & Iſmael anno ætatis decimo tertio divino mandato circumciſi ſunt, & omnes Viri domûs illius, tam vernaculi, quàm emtitii & alienigenæ, Geneſ. XVII. Mandatum fuit Abrahamidis ad ampliorem κύρωσιν, ſeu confirmationem fœderis gratiæ, quod Sacramentis ſacrificialibus jam antè in præputio ipſi confirmatum fuit. Jam hoc etiam Sacramento Abrahami poſteri intellexerunt, ſe cum Gentibus cæteris haud temerè permiſceri debere, ut ita continua & ordinata ſerie noſci poſſet ſemen illud, in quo benedicendæ veniebant omnes Gentes, eſſe illud ipſum benedictum ſemen, quod Deus Abrahamo in fœdere promiſit. Cenſemus autem jure, per imperatam Abrahamidis circumciſionem reliquos Noachidas, qui in præputio habuerunt jus ſacerdotii, & ad idololatriam Gentilium non defecerunt, fœdere in Chriſtum confirmato non excidiſſe. Tametſi Idumæus frater uſque ad devotionem & apoſtaſiam ad Gentiliſmum, quæ pauló ſeriùs contigit, circumciſus fuit, & ſi quando ad Gentiliſmum defecit, potuit à Judæis ad circumciſionem cogi, id quod hiſtoriis Græcorum & Hebræorum traditum invenimus. Fuerunt quidem aliæ etiam Gentes Orientales, quæ Circumciſionis ritum ſuſceperunt. Quarum quia obſcura origo fuit, etiam accuratiſſimi ſcriptores in errorem impulſi ſunt. Herodotus ait, ſolos omnium Mortalium,

Digitized by Google

taſium, Ægyptios, Colchos, & Æthiopes id feciſſe. Syros verò, qui in Palæſtina ſunt, ab Ægyptiis ſuſcepiſſe. Sed eſt danda errori venia, quia initia rerum obſcura ſunt, niſi indubitato authore cognita. Minatur Deus apud Prophetam Jeremiam cap. IX. 29. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & viſitabo omne circumciſum in præputio.* Unde quibuſdam Hebræis opinio inceſſit, circumciſas illas Gentes arte præputium retraxiſſe. Sic author libri Aruch. *Tales autem*, inquit, *erant Ægyptii, quia circumciſi quidem erant, quo tempore vivebat Joſeph: at illo mortuo, adduxerunt ſibi præputium.* Cujus ſententia haud dubiè falſa eſt: quàmvis Johannes Druſius illi ſecundas faciat. Nam Ægyptios priſco more recutitos fuiſſe, ſuo adhuc tempore, docere nos poſſunt Herodotus, Strabo, Hieronymus, Ambroſius. Vide Doctiſſimum Cunæum de Rep. Hebr. III. 5. Ipſe ſenſus Prophetæ perſpicuus & explicatus eſt. Nam diſtribuit περιτομὴν, cirmcumciſos carne non animo, quales Judæi & Cacozeli, & ἀκροβυστίαν, præputiatos Gentiles. Altera Periodus circumciſæ Eccleſiæ Vet. Teſt. fuit à Moſe ad Chriſtum. Quam periodum hoc loco tangunt Pſeudapoſtoli. Atque ſic Moſis, quem quo loco habuerint Judæi, non attinet dicere, authoritate & claritudine Antiochenorum fidelium oculos præſtringunt. Sic Patrem ſuum Abrahamum & Familiarem illum Deo amicum Moſen in ore ſemper habuerunt, ſecuri de voluntate Dei, quam ſpirituali συγκρίσει non diſcreverunt. Quantò hodie etiam deteriores, qui non ad veram & divinam cathedram Moſis, ſed ad inductam & fictitiam quandam cathedram Petri, in qua tamen collocant homines, qui non habent ſermonem Dei in ſe permanentem, ſed qui doctores ſunt mendacii, & clavem cognitionis occultant, & à Chriſti fideliúmq; Spiritu deficiunt, provocant, atque ſic ſimplicioribus fucum faciunt? Nos nullam in N. T. novimus cathedram infallibilem niſi Dei & Chriſti, quippe in ſolius Dei regno ſumus. Moſis certè cathedra ſublata eſt, ſimul cum præſidentia מחוקקים legisperitorum & Phariſæorum, Geneſ. XLIX. 10. Viderint ergo, ne cathedra, ad quam provocant, ſit *cathedra irriſorum*, qui torquent ſcripturas, ne pareant illis. Pſal. I. 1. *cathedra nequitiæ, quæ fingit ærumnam ſupra ſtatutum*, cui nihil addi vel demi poteſt, *& cum Deo ſociari non poteſt*, Pſal. LXXXIV. 20.

NON POTESTIS SALVARI.) Non ſimpliciter circumciſionem urgent, ſed ut neceſſariam ad ſalutem. Jam Chriſto

non-

nondum nato habuit neceſſitatem mandati. Nato autem & mortuo neceſſitas exſpirabat. Videntur autem Pſeudapoſtoli juxta neceſſitatem mandati etiam neceſſitatem medii docuiſſe. In quo quantopere falſi ſint, apparet. In circumciſione enim tanquam principali parte fœdus ſpirituale cum Abrahamo non eſſe ſancitum, diſcere poterat ex eo, quòd circumciſionis mandatum ipſi datum in præputio: quòd neglectum in deſerto per quadraginta annos: quòd continuerit myſticam quandam & excellentiorem ſignificationem, quam toties urgent Prophetæ, ingeminantes, ut cor circumcidatur, non caro, Deut. X. 16. XXX. 6. Jerem. IV. 4. quòd umbras deſtinati operis auferri conveniat, opere impleto. Jam duo accedunt, quibus omnium validiſſimè, ne fideles ob neglectum inſectarentur, reprimi poterant. Primum, quòd in circumciſione fuerit ſignificatio futuri temporis, cum illorum tempore minimè conciliabilis, nempe illa: multiplicandum ex benedictione Divina ſemen Abrahami propter naſciturum ex illo ſemine Chriſtum. Alterum, quòd diſcriminare debuit Peculiarem Deo populum murali velut ſepimento, à Gentibus, donec & illæ in plenitudine temporum in tentoria Semi allicerentur, & imitarentur illam adeò memoratam Abrahami fiduciam, qua præſente inimicitias in hac lege validas exoleſcere decebat. Præclarè Irenæus lib. IV. cap. 30. *Quòd autem circumciſionem non quaſi conſummatricem juſtitiæ, ſed in ſigno eam dedit Deus, ut cognoſcibile perſeveret genus Abrahæ, ex ipſa Scriptura diſcimus. Dixit enim, inquit, Deus ad Abraham:* Circumcidetur omne maſculinum veſtrum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, & erit in ſignum Teſtamenti inter me & Vos. Hæc omnia in Chriſto impleta videre poterant, mens nî læva fuiſſet. Has rationes iſtis Zelotis etiam Curcellæus objicere poterat. Sed aliam inſiſtit viam. In qua nobis rurſus cum eo certamen cernendum. Adeò ubique ſcorias ſuas admiſcet. *Mirari ſe dicit, quòd adeò duri fuerint Pſeudapoſtoli in eo negotio, cùm tamen omnium Judæorum non eadem eſſet ſententia*, pag. 91. Ac deinde induit exemplum Izatæ Adiabenorum Regis, qui in Religione Judæorum à quodam Anania inſtitutus exiſtimabat, ſe non perfectum eſſe Judæum poſſe, niſi circumcideretur. Id illi Ananiam diſſuaſiſſe hac oratione: Δυνάμενον αὐτὸν, ἔφη, καὶ χωρὶς περιτομῆς τὸ θεῖον σέβειν, εἴγε πάντως κέκρικε ζηλοῦν τὰ πάτρια τῶν Ἰουδαίων. Τοῦτο εἶναι κυριώτερον τοῦ περιτέμνεσθαι. *Licere ei, dixit,*

dixit, etiam abſque circumciſione Deum colere, ſi Judæorum inſtituta placeant. In hoc enim magis ſitam religionem, quàm in circumciſione, Antiq Jud. XX. 2. Allegat ὁμοψήφως Tryphonem apud Juſtinum Martyrem, & Menaſſe Ben Jſraël de reſurrectione mortuorum. Quæ haud dubiè ad id ſunt comparata, ut doceat, in Veteri Teſtamento Gentilibus viam ad ſalutem extra Moſen munitam fuiſſe. Quam ſententiam fractis verecundiæ repagulis aperto pectore defenſum ivit in Scripto Gallico Amſtelodami edito cap. 13. Cujús argumenta ibi allata Celeb. Theologus, Doctor Mareſius ad partes vocavit Anti-Tirin. Tom. II. pag. 281. &c. Quem hoc ipſo tempore in alio Curcellæi ſcripto expumicando eruditam & exactam, pro more, operam ſumere accepimus. Sed fœnum eſſe oporteat, qui levibus Curcellæi, quas hîc attulit, vel ratiunculis, vel exemplis Pſeudapoſtolos in ordinem redigere ſuſtineret. Altioris indaginis res eſt. Probari conveniebat Scripturis, in Veteri Teſtamento poſt νομοθεσίαν Moſaïcam Eccleſiæ præputiatæ ſalutem promiſſam. Evidens eſt expoſtulatio Dei de poteſtate clavium neglecta contra incircumciſos carne Ezech. XLIV. 6. 7. 8. 9. Et Apoſtolus legem circumciſionis unà cum reliquis cultûs Ceremonialis mandatis divinis vocat inimicitias, quibus non ante mortem Chriſti peremptis Gentes Deo conciliatæ fuerunt, Eph. I. 15. 16. Hanc etiam conſtantem Rabbinorum doctrinam, Præputiatis olim Templi fores clauſas, & Sacra prohibita fuiſſe, ſupra docuimus. Quibus Ananias illa præpoſtera ſua inſtitutione leges dicere minimè debet. Quàm nefariis interpretamentis legem Dei paulò ante Chriſtum Sacerdotes & Phariſæi depravârint & collutulârint, nemini clam eſt, qui correctionem Chriſti Matth. V. XV. XXIII. ad animum revocat. Sed alia in promptu ſunt, quibus ab hoc præſidio depellatur. Izates ille, quem Ezaten Tacitus A. XII. 14. 2. vocat, proinde hoc loco, cùm aliis in exemplaribus etiam *Juliates* & *Hyliates* reperias, ab Incomparabili & Deſideratiſſimo noſtro Frenſhemio emaculatus; defuncto Parente Monobazo, Helenæ Matris rogatu, & Magnatibus ac Satrapis Regni in vota miſſis, Adiabenorum Rex creatus eſt. Mater Helena Judæorum diſciplinæ multò ante addicta. Ad eandem animum applicat, duce Anania, Izates. Et jam in eo fuit, ut circumciſionis Sacramento initiari ſe Judaiſmo peteret. Sed hîc mater & Ananias tragulam injiciunt, quòd timerent, ne Adiabeni profeſſum Judæum vel non paterentur dominum, vel crebris inſi-

diis appeterent. Hinc illæ Præceptoris Ananiæ lachrymæ. Nam Izate circumciſionem urgente Ananias, ne & Regis fortunam & ſe periculis objiceret, omnia commentus, ut Rex conari & velle deſiſteret. Ergo fingit: *Licere ei abſque circumciſione Deum piè colere, ſi Judæorum inſtituta placeant.* In hoc enim magis ſitam religionem, quàm in circumciſione corporis: daturúmque Deum veniam, ſi neceſſitate coactus ſignaculum id omitteret, metu, ne qua exoriatur ſubditorum defectio. Hic Ananias Izaten traducere conatus eſt vel ad Proſelythiſmum juſtitiæ, vel domicilii. Si prius, mentitus eſt, & deſultoria levitate Regem deluſit. Nam Dei præceptum de Proſelytho juſtitiæ, qui verus Judæus: *Eſto ſicut vos.* Exod. XII. Num. XIV. Et incircumciſo excidium intentatum. Quàm verò firma ratio à figmento mercatoris, qui Regiarum mulierum & Regis clementiam ambivit, quod hominum genus Polypo verſatilius eſſe ſolet? Ne dicam, hoc parum dignum vero Judæo, id eſt, Confeſſore nominis Dei, diſſuadere Regi circumciſionem tam graviter demandatam, hoc ſolo metu, ne purpuræ jacturam Rex faceret. Sed & loqui ipſum de caſu neceſſitatis, quem tamen ipſe fingit, palàm eſt. In vero autem neceſſitatis caſu haud dubiè circumciſionis mandatum non obligavit, cùm in eo religio non vertatur. Si poſterius, quid nugas nobis vendit Curcellæus? An ergo Proſelythi domicilii, qui fœdere Dei excluſi fuerunt, nec catecheſin illam ſalutarem habuerunt de reconciliatione per Chriſtum olim interceſſura, ſine circumciſione ſalvari potuerunt? Næ cæcus doctor cæcorum! Et tamen Ananias ad poſteriorem hunc Proſelythiſmum, omnia perpendenti, Regem voluiſſe traducere videtur. Jam &, cùm Tryphonem & Menaſſen Ben-Iſraël nobis obducit, in caducum parietem inclinat. Nam Tryphon in Diſputatione cum Juſtino habita neceſſitatem circumciſionis multis adſtruit: quem propterea in hac cauſa Grotius obelo notavit. Menaſſe Ben-Iſraël, cùm Gentes piè viventes participes facit futuri Seculi, non loquitur ex ſuorum ſententia, ſed Chriſtianis caput demulcet, & ficum, quod ajunt, cupit. Nullus igitur eſt Curcellæus, & videt hîc, quod nemo, qui ſapit, videt.

Verſus II. CUM ERGO SEDITIO ET DISCEPTATIO NON EXIGUA ESSET PAULO ET BARNABÆ CONTRA ILLOS) στάσιν καὶ συζήτησιν Lucas vocat. Si

στάσιν

στάσιν placet *ſeditionem* vertere, tum haud dubiè ad Pſeudapoſtolos referri debet, qui more demagogorum populum concitârunt, ut tumultuari & furere inciperet. Alienum enim ab ingenio Pauli & Barnabæ fuit, ut ſeditioſis clamoribus & orationibus populo ad commotionem publicam præirent. Veritati doctrinæ & rectitudini animi ſui confiſi popularem opem non concupiverunt. Vel certè eſſe debet catachreſis & metalepſis, ut στάσις ponatur pro contentione, ex qua, ſi vehemens ſit, ſeditio oriri ſolet. Syrus convertit: שגושיא סגיא ובעתא *Conturbatio magna, & diſceptatio.* Sed & στάσις notare poteſt acrem diſſenſionem, ſeceſſionem & conſtans certamen. Ut intelligant in alia omnia diſſenſionem feciſſe, & in adverſis partibus diſputando conſtanter permanſiſſe. Quod convenit cum eo, quod dicitur Gal. II. 5. οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ, ἵνα ἡ ἀλήθεια τοῦ Εὐαγγελίου μείνῃ πρὸς ὑμᾶς. *Quibus ne quidem ad momentum ceſſimus quoad ſubjectionem, ut veritas Evangelii permaneat apud vos.* Ubi ὥραν rectiùs vertitur momentum, ut conveniat cum Chaldaico שעתא quod uſurpatur apud Danielem IV. 5. ubi ſignificat ipſum temporis momentum, quo aliquid geritur. In eadem hiſtoria verſatus Paulus στάσιν ſuam ſic exprimit, conſtantem nempe contradictionem & reſiſtentiam. Ambroſius quidem in eo loco omittit particulam οὐδὲ, quaſi ad horam ceſſerint ſubjectione Paulus & Barnabas, adeóque στάσις illa fuerit interrupta. Id quod omnium Codicum Græcorum fidei repugnat. Eraſmus tamen Ambroſio videtur favere, & Paulum in illa συζητήσει facere ad horam cedentem & ſuccumbentem. *Quomodo*, inquit, *non ceſſit, qui Timotheum coactus eſt circumcidere?* Hauſit hanc objectionem ex Divo Ambroſio, qui in Com. ad Gal. II. omnino, ut dixi, ſtatuit: *Paulum & Barnabam ad horam ſe ſubjeciſſe ſervituti, humiliantes ſe legi, ut circumciſo Timotheo ceſſaret dolus et ſcandalum Judæorum. Paratos enim fuiſſe, ſicut datur intelligi, commovere ipſi tumultum & ſeditionem.* In hanc rem prolixus Ambroſius. Sed facilè apparet, Eraſmum cum Ambroſio errare. Nam circumſtantia loci, temporis & perſonarum varia eſt. Timotheus matre Judæa, Patre Græco natus circumciditur, ne offendantur infirmiores Judæi. Ibi omnino ceſſit ruditati & infirmitati ſimplicium Judæorum. In hac autem actione, qua hæreſiarchæ petulantes & præfracti Titum Græcis parentibus natum circumcidi voluerunt, cur idem faceret & vel ad momentum cede-

ret,non erat ratio. Cerinthus enim & Ebion, ſive quibuſcunque hic adverſariis uſus eſt Apoſtolus,non fuerunt infirmi Judæi, quorum eſſet ſcandalo metuendum,ſed falſi fratres Gal. II. 4. quos proinde κύνας, κακοὺς ἐργάτας, κατατομὴν vocat Phil. III. 2. quos optat ἀποκόπτεσθαι Gal. V. 12. Et cederet talibus vel ad momentum, ac eo quidem tempore, quo hominum iſtorum moliminibus Chriſtiana libertas periclitabatur? Abſit animoſum cætera Apoſtolum hîc Therſiten faciamus!

STATUERUNT) In Græco occurrit ἔταξαν. Ut de deſtinatione & ordinatione, adeóque [illegible] illa vox in Scripturis uſurpari ſolita ſit, contra quàm in alio loco Sociniſtæ delirant. Statuerunt autem Antiocheni, nempe Eccleſia Antiochena, ut dicemus ad V. 3. Erat hoc prudentiæ, providere rebus nutantibus, & anguem in herba opprimere, ne ad moleſtam ſeditionem res perveniret. Alia enim commoda ſupererant media, quæ prudenter hîc arripiunt.

UT ASCENDERENT PAULUS ET BARNABAS) Deligunt perſonas maximè idoneas. Hi enim errorem adverſariorum deprehenderunt, & magno animo confutare cœperunt. Sed & in Apoſtolis documentum modeſtiæ & candoris ac manſuetudinis elucet. Apoſtolatu Dei fungebantur. Poterant igitur authoritate ſua, ſpiritu Dei, quo induti ex alto fuerunt, freti τὸ πέρας τῆς ἀντιλογίας expedire, & in alterutram partem aliquid decernere, ac decreto ſuo Eccleſiam adſtringere. Attamen authoritatis ſuæ rationem non habent, & vadimonium obire ex Eccleſiæ τάξει properant. In quo prudentia etiam Pauli prædicari meretur. Nam hac ſua obedientia conſuluit infirmis. Multi ſunt, quibus veritas diſplicet eo ſolo nomine, quòd certis quibuſdam hominibus non placuit, qui in magna ſunt authoritate, quibus proinde nihil non fidunt. Ergo tales authoritate mentiuntur. Cùm igitur alii fuerint δοκοῦντες εἶναι, eos non detrectavit conſulere, ne intercluderetur via Evangelio, & ut eadem opera pateret, ſe non docere aliud, quàm Apoſtoli, qui authoritate & æſtimatione apud vulgus hominum eminebat. Sic alibi, etiamſi licuiſſet Paulo vivere de altari, noluit tamen, ne adverſarii haberent, quod objicerent, veritus nimirum, ne id officeret profectui Evangelii. Quorum ſi exemplo olim Romani Pontifices moveri potuiſſent, res Eccleſiæ æquabiliùs haud dubiè haberent. Cùm ſuperiori ſeculo de religione non exigua

eſſet

Digitized by Google

eſſet στάσις καὶ συζήτησις, ſtatuerunt plures Eccleſiæ Paulos & Barnabas ſuos mittere ad Concilium, in quo *veri monſtrator & almus ille Spiritus*, ut loquitur Franciſcus I. Galliarum Rex in ſua ad Proteſtantes Epiſtola apud Sleidanum lib. 8. ad A.C. 1531. primas partes obtineat. Inſtigabantur Romani Pontifices, & immiti ſtimulo Caroli Imperatoris ac Ordinum Imperii incitabantur ſæpiſſimè. Quibus obſtinatiſſimè reluctati ſunt, cauſati, ſe Paulos eſſe, ſe Barnabas, ſe fidei ac morum arbitros infallibiles, & Chriſtianiſmi Prætores. Et, ut Antichriſti cutem palpes, Paulus III. Pontifex Carolum, apud ipſum pro Concilio celebrando inſtantem, comparavit cum Uſa, arcæ ruinam minanti manum admovente; cum ſeditioſis Core, Dathan & Abirom adverſus Moſen, & Aaronem, cornua obvertentibus; cum Uſia incenſum in altari adolente, & multa ejuſmodi adverſus Imperatorem in ea Epiſtola inſolenter jactavit, ceu videre eſt apud Joh. Wolphium Lect. Memorabil. Tom. 11. pag. 539. Procul hæc abſunt à mitiſſimo Pauli & Barnabæ ingenio, qui Eccleſiæ petitioni ſe longè inferioris lubentes obſecundârunt, & cum ejus mandatis Hieroſolymas ad Concilium iverunt. Sed, quoad Paulum attinet, eſt in hac re non levis dubitatio. Nam Gal. II. 2. dicit: Se Hieroſolymam aſcendiſſe κατ' ἀποκάλυψιν, *ſecundum revelationem*. Hoc loco Lucas teſtatur, ipſum cum Barnaba aſcendiſſe ex τάξει Eccleſiæ. Hæ cauſæ impulſivæ profectionis repugnare videntur. Et ſanè hæc Chryſoſtomo cauſa fuit, ut negaret eandem profectionem deſcribi Gal. II. & Act. XV. ad Synodum nempe Hieroſolymitanam. Cæterùm nullo negotio ſibi Paulus conciliatur. Nam decretum Eccleſiæ & immediata revelatio non pugnant, ſed ſubordinantur. Primùm accepit à Deo revelationem. Poſtea Eccleſiam Antiochenam officii ſui monuit. Vel certè, ſi præceſſit Eccleſiæ τάξις, Divina revelatione ad exequendum Eccleſiæ decretum inſtinctus fuit.

ET QUIDAM ALII EX ILLIS) Titum nonnulli intelligunt, & alios Paulo ac Barnabæ concordes. Potius eſt, ut intelligamus aliquos ex grege Cerinthi & Judaizantium, quorum cauſam audiri æquè conveniebat. In quo candidè & ingenuè agunt Antiocheni, procul ſtudiis amoris & odii veritatem ſimpliciter requirentes.

Digitized by Google

AD APOSTOLOS) Qui Hieroſolymis tum temporis domicilium merati, ut ſequitur. Quæritur, qui illi? Nam non omnes Apoſtolos Hieroſolymis tum fuiſſe, manifeſtum. De Jacobo, fratre Johannis certum, non ampliùs ſuperſtitem fuiſſe. Quippe ante ſeptennium ab Herode Agrippa ſupplicio affectus eſt. Ut vel hoc uno argumento vel νοθεία, vel ὑπόλειψις Clementis Conſtitutionum etiam Baronio, Bellarmino, Cornelio à Lapide & aliis hîc agnita, luce meridiana clariùs deprehendi poſſit, qui lib. VI. Conſtitut. cap. XII. ſcribit, *omnes duodecim Apoſtolos per orbem diſperſos, inſtinctu Dei Hieroſolymas veniſſe, & hanc quæſtionem definiviſſe.* Ut pœnitere debebat erroris ſui Turrianum, qui Clementem tanquam germanum adhuc propugnare ſuſtinuit. Non nego, Apoſtolos aliquandiu poſt aſcenſionem Chriſti in cœlum Hieroſolymis manſiſſe omnes. Nam poſt cædem Protomartyris, perſecutione magna effervescente, cui Saulus magno zelo miniſtraverat, Act. VIII. 1. manſerunt Apoſtoli Hieroſolymis, cæteris per univerſum orbem diſperſis, quorum aliquot fuerunt millia Act. II. 41. IV. 4. Tametſi Hieroſolymas nonnunquam ad tempus reliquerint, uti factum non longè poſt illam perſecutionem à Petro & Johanne, qui, cùm audiſſent Apoſtoli Samariam recepiſſe ſermonem Dei, eò miſſi ſunt: quibus precantibus & manus eis imponentibus receperunt illi Spiritum Sanctum. Quo tempore autem poſt illam διαμονὴν Hieroſolymis diſceſſerint ad præconium Evangelii, altiſſimum eſt ubique ſilentium. Euſebius quidem lib. V. cap. 18. tradit ex Apollonio, *quòd Dominus præceperit Apoſtolis, ne ante duodecimum annum Hieroſolymis diſcederent.* Quod minimè cum hiſtoria congruit. Nam & infra quidam Hieroſolymis manſerunt, & ante alii Hieroſolymis diſceſſerunt. Hoc affine vero, poſt celebratam illam perſecutionem non nimis diu ipſos Hieroſolymis ſubſtitiſſe. Quod tamen ex Origene & Eucherio Lugdunenſi, quibus annumerari poteſt Euſebius III. 1. Curcellæus pag. 95. aſſerit, *Apoſtolos inter ſe orbis Terrarum partes ſorte diviſiſſe, in quas ſinguli Evangelium prædicatum irent:* ἀβασανίστως recipiendum non ducimus. Euſebius quidem ex traditione commemorat, Thomam Parthiam ſortitum, Andream Scythiam, Johannem Aſiam, Petrum in Ponto, Galatia, Bithynia, Cappadocia, Aſia & Roma prædicâſſe. Et lib. II. 16. Marcum ad Ægyptum miſſum, & Alexandriæ Eccleſias conſtituiſſe. Nicephorus II. 39. Philippum & Bartholomæum in Syria

Digitized by Google

ria & Aſia Eccleſias conſtituiſſe tradit,& cap.40. Thomam in Æthiopia, Parthia, Media, Taprobana Eccleſias plantâſſe. Quæ partim incerta, partim falſa eſſe contendo. Nam conſtat iiſdem in provinciis & locis plures Apoſtolos, tum uno & eodem tempore, tum diverſo Evangelium plantâſſe, & Eccleſias conſtituiſſe. In Corintho docuerunt Paulus, Apollo, Cephas. Romæ Paulus, &, ſi fides Euſebio, ſub finem vitæ Petrus. In Aſia Johannes, Petrus, Paulus fuerunt: in Galatia Paulus & Petrus. Et erant Apoſtoli non tantùm plantatores Eccleſiarum, ſed etiam communes Inſpectores & viſitatores, quod multis & obviis exemplis doceri poſſet. Sed de illa orbis Terrarum diviſione quicquid fiat, vix probari poteſt, eo tempore, quo iter Hieroſolymam ex ſanctione Eccleſiæ Antiochenæ Paulus inibat ad Apoſtolos, Hieroſolymis alios commoratos, quàm Jacobum, Cepham & Johannem, quorum nomina expreſſa ſunt Gal. II. 9. Ubi ſingulare illud eſt, quod de triga illa Paulus dicit: *οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι*, qui putantur eſſe columnæ. Duûm generum columnæ erant. Aliæ ſuſtentabant ædificium, aliæ ornabant. Ejuſmodi duæ columnæ ante Templum Solomonis conſtitutæ. Columnas vocat utroque modo. Columnæ autem erant Collegii Apoſtolici & Eccleſiæ. Neque detrahit ipſis laudem hac dictione: *qui putantur*: tanquam rei veritate non fuiſſet. Chryſoſtomus dicit, *ad rei veritatem Paulum aſſumere aliorum opinionem*. Et id lubenter facere, quia putabantur eſſe columnæ etiam adverſariis. Eſt igitur honorificentiſſimum elogium, quo ipſos ex judicio etiam hoſtium, qui non niſi veritatis ſplendore ſubacti probos laudant, exornare, non ſuo tantùm nomine voluit. Hoc ideo commemoro, ne verbis, ut crudè jacent, acceptis, exiſtimetur, lividiùs de illis Apoſtolis Paulum locutum.

ET PRESBYTEROS) Generale nomen eſt, & complectitur eos omnes, qui ſunt ex Eccleſiaſtico Senatu. Seniores Vulgata vertit. Syrus קשישא. Apud Eraſmum Laurentius prolixè contendit: quoties dignitas ſignificatur, Græca voce fuiſſe utendum Presbyteri: quoties ætas, Senioris. Apoſtolus alibi diſtribuit Presbyteros in regentes & docentes. 1. Tim. V. 17. *Qui bene præſunt, duplici honore digni habentur, maximè qui laborant in ſermone et doctrina.* Se aliquando etiam ipſi Apoſtoli presbyterorum nomine inſigniverunt, ut 1. Pet. V. 1. Hoc tamen loco ab Apoſtolis diſtinguuntur.

Qui

Qui ergo illi Presbyteri? Collegium miniſtrorum Eccleſiæ, puta Paſtores, Rectores, Diaconi, omnes denique ad liturgiam aliquam publicam vocati, quod alibi Presbyterium ſæpius nominatur. Ejuſmodi Collegium haud dubiè Apoſtoli communi calculo inſtituerunt Hieroſolymis, priuſquam in diverſa climata orbis Terrarum diſpergerentur. Fecerant idem paulò ante cum ritu χειροτονίας Lyſtræ, Iconii, Antiochiæ Act. XIV. 23. Quem numerum in Concilio illi Presbyteri impleverint, exquiſitiùs diſcutiendi locus erit V. 6. & 22. Nunc abundè ſit obſervatu, illos qui in verbo laborabant ab Epiſcopis Apoſtolico tempore neque Divino, neque humano jure diſtinctos fuiſſe. Sic enim eoſdem Apoſtolus vocat & Epiſcopos & Presbyteros, nullo diſcriminis indicio. Act. XX. 17. 28. Tit. I. 5. 6. 7. 8. Ubi non tantùm Epiſcopi *Presbyteri* dicuntur, ne in πλάτει hujus nominis tricetur aliquis, ſed & Presbyteri *Epiſcopi*. Imò eædem functiones declarantur, iidem characteres, eadem requiſita. Hinc etiam Presbyteri in enumeratione perſonarum Eccleſiaſticarum omiſſi, Et ſub Epiſcoporum nomine habiti, Phil. I. 1. ubi Epiſcopi immediatè à Presbyteris contradiſtincti. Epiſcopi titulo eò loci deſignari Presbyteros, agnoſcit Chryſoſtomus. Accedit, quòd Presbyteris illis competebat jus χειροθεσίας 1. Tim. IV. 14. In quo loco ſupponimus, agi de Collegio Presbyterorum, non de dignitate Presbyterii, quæ non tam πρεσβυτέριον, quàm πρεσβεῖον vocari ſolet. Vide Doctiſſ. Cameronem ad locum Matth. XVIII. 15. & Davidem Blondellum, qui conſentientes citat Clementem Alexandrinum, Origenem, Euſebium, Epiphanium, Cyprianum; in Apolog. pro Hieron. Sententia, ſect. 3. pag. 89 90. Jam ſi Presbyteri habent poteſtatem jure Divino ordinandi, utique jure Divino non ſunt Epiſcopis minores. Fieri enim nequit, ut dare quis poſſit, quod non contineatur in virtute cauſæ. Neque juvat excipere, Paulum *authoritativè* impoſuiſſe manus, Presbyteros ordinâſſe *aſſociativè*, ut loquuntur. Si ſocii fuerunt ordinationis Presbyteri, tum debuerunt etiam authoritatem conſerre ordinationi. Etiam poſt Hierarchicum Epiſcopatum Epiſcopale munus, adeóque etiam authoritas Presbyteris conceſſa eſt, ut apparet ex Concilii Carthaginenſis quarti canone ſecundo & tertio collatis. Sed & Hieronymus ſuo tempore non obſcurè docuit, jure Divino pares eſſe Epiſcopos & Presbyteros. Notabilis ejus ſententia Com. in Tit. 1. *Idem, inquit, eſt Presbyter,*

qui

qui et Epiſcopus. Et, antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, et diceretur in Populis: Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, *communi Presbyterorum conſilio Eccleſia gubernabantur. Poſtquam verò unuſquiſque eos, quos baptizaret, ſuos putabat eſſe, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & Schiſmatum ſemina tollerentur.* Imò hanc communem fuiſſe Eccleſiæ Veteris ſententiam, quam ſequioribus temporibus tenuerint Sedulius, Rabanus, Hincmarus, & alii, ſupra laudatus Blondellus demonſtravit.

HIEROSOLYMAM) *Nempe è Zione prodit doctrina, & verbum Jehovæ Jeruſchalaimis*, Eſaj. II. 3. Et commorabantur ibi οἱ δοκοῦντες, Jacobus, Petrus, Johannes. Habebatur etiam honos urbi ſanctæ & famoſæ, priſtino Eccleſiæ domicilio venerabili. Quin & Divina revelatione hic locus Concilio deſignatus. Imò fieri poteſt, ut perſuaderent Pſeudapoſtoli, Apoſtolos Hieroſolymitanos cum Templo & ejus ceremoniis communicare.

SUPER HAC QUÆSTIONE) de neceſſitate Circumciſionis & rituum legalium, ac tota juſtificatione, quam per fidem & legem Moſis quæſiverunt. Negabat Paulus, Chriſto orbi repræſentato, opus eſſe tali ad Chriſtum pædagogo. Nihil jam prius & antiquius eſſe fide. Contra Pſeudapoſtoli & Ceremonias ac legem & fidem requiſiverunt, τὰ ἄμικτα uno faſce coarctantes.

Verſus III. ILLI ERGO DEDUCTI) προπεμφθέντες deducti à viæ comitibus. Hoc enim eſt προπέμπειν. Hinc προπεμπτικὰ ſcripta, quæ amicis communicantur commendationis ergo. Sic litatum honori Pauli & Barnabæ. Omnibus enim comitatu hoc conſtare poterat, quàm chara & amica hæc capita. Aliâs videri poterant vel cauſam ſuam agere: vel ab Eccleſia Antiochena ſeorſim ſentire.

AB ECCLESIA) Ἐκκλησία propriè civium conventum ſignificat, quod nemini obſcurum eſſe poteſt. Reſpondet Hebraico קָהָל, quæ vox in V. T. nunquam ſignificat cœtum religionis gratiâ coëuntium, ſed duntaxat cœtum externum populi. Ut mirificè ratio fugiat Bellarminum, qui, cùm probare vellet Eccleſiæ viſibilitatem, totus eſt in citandis Veteris Teſtamenti locis, quibus occurrit vox קָהָל. Quid enim ad rem, cùm Ἐκκλησία ibi non habeat σχέσιν ad religionem? Sed in N. T. Eccleſia cœtum ſignificat, & quidem cum

R relatione

relatione ad religionem, ac profeſſione nominis Chriſtiani. Et cùm Eccleſia ſignificet modò promiſcuam multitudinem fidelium, nomen Dei ſanctificantium, modò Collegium Presbyterorum ſive Regentium, ſive docentium, probabilius eſt, hoc loco poſteriori ſignificatu venire, ut ſic delecti ex Presbyteris, qui & itineris comites eſſent, & Concilii membra σύνεδροι, qui prudentia & dexteritate pollentes poſſent teſtari de Concilii ſucceſſu.

PERTRANSIBANT PHOENICEN ET SAMARIAM) Methodus itineris à Luca commemoratur, ut hac occaſione inſpergi poſſint, quæ in itinere geſta. Neceſſe autem habuerunt Phœnicen & Samariam pertranſire, quia hæ inter Syriam & Judæam interjacent.

NARRANTES CONVERSIONEM GENTILIUM) A ſe nempe & Barnaba recèns converſorum. Res enim nova fuit, & digniſſima commemoratu, Gentiles, quibus hactenus Chriſtus crucifixus ſtultitia fuit, jam nomen Chriſti glorificare, & iis θύραν τῆς πίστεως apertam. De quorum converſione agitur cap. IX. Pertinebat hoc ad βεβαίωσιν, confirmationem eorum, qui Chriſtum profeſſi.

ET AFFEREBANT GAUDIUM) Haud ſecus, quàm par erat, cùm creſcere animadverterent numerum ovium & communionem Sanctorum, & cives Regni Dei. Johannes III. epiſt. v. 3. *Gaviſus ſum magnopere, cùm venirent Fratres, & atteſtarentur Tuæ veritati, quemadmodum etiam Tu in veritate ambulas. Majus gaudium non habeo, quàm cùm audio, filios meos in veritate ambulare.*

Verſus IV. CUM AUTEM VENISSENT HIEROSOLYMAM) Sic inoffenſo pede itinere defuncti Hieroſolymæ appellunt unà cum comitibus.

SUSCEPTI SUNT) Grati quidem acceptíque tanti viri fuerunt etiam ſuo nomine, ut fores lubenter aperirent. Non tamen excipiuntur tanquam privati, ſed tanquam Legati Eccleſiæ Antiochenæ.

AB ECCLESIA) Cœtu promiſcuo fidelium: quales jam tum non exiguo numero Hieroſolymis fuerunt.

ET AB APOSTOLIS) Hoc magno argumento, Paulo cum Apoſtolis bene conveniſſe, cùm ipſo adventante, æquè ac cæteri fideles, penulam, ut ajunt, ſcinderent. Qui fuerint illi Apoſtoli,

li, ex iis, quæ ſuprà diximus, ſatis conſtat. Sic poſtea legimus, exemplo Eccleſiæ, Apoſtolorum & Presbyterorum avidiſſimè & honorificentiſſimè exceptos Chriſtianos, ejuſdem religionis conſortes. Romanus Epiſcopus, concordiæ teſtificandæ nomine, etiam Cœnam Domini ſolebat adventantibus Epiſcopis in hoſpitium mittere.

ANNUNTIANTIBUS) Haud dubiè à converſione Gentilium, quam ipſi juvante Deo promoverant, auſpicati, viam ſtruxerunt ad præſens negotium, quod nomine Eccleſiæ Antiochenæ agitabant. Ut læto nuntio de Gentilibus ὁμοψήφοις benevolentiam fidelium captarent.

Verſus V. EXORTI SUNT AUTEM) Controvertitur, cujus ſint hæc verba, Lucæ, an Pauli, filum orationis ſuæ pertexentis? Hoc ſupra leviter tetigimus. Beza, judicioſiſſimus cæterà Interpres, facit verba Pauli, & interſerit: Exorti ſunt, *ajunt*. *Puto*, inquit, *eſſe illa verba non Lucæ: ideòque addidi verbum*, Ajebant, *ut oſtenderem tranſitionem eſſe ab obliqua oratione ad rectam, cujus exemplum extat Luc. V. 14. VII. 4. 5. & infrà XVI. 36. Sed & apud diſertos Scriptores hujuſmodi ellipſis in narrationibus eleganter uſurpatur. Sic enim Cæſar*; Conjurationem nobilitas fecit, & civitati perſuaſit, ut de finibus ſuis cum omnibus copiis exirent: Perfacile eſſe, quum virtute omnibus præſtarent, totius Galliæ imperio potiri. *Pro*, Dixit enim perfacile eſſe. Sententiam Bezæ defendit etiam Cornelius à Lapide, Daniel II. Jam ſupra innuimus, videri, verba hæc potiùs Lucæ Hiſtoriographi eſſe. Nam ex clara ſerie apparet, innui, cùm Paulus quæſtionem Eccleſiæ & Apoſtolis proponeret, interlocutos Phariſæos, quorum importunitatem Lucas deſcribere voluit. Deinde ſi verſus quintus eſt Pauli, non Lucæ, nihil impedit, quò minus ei etiam ſextus, ſeptimus & ſequentes tribuantur, quippe qui cum quinto cohærent. Neque video cauſam, ſi Pauli hæc verba eſſent, cur non eoſdem Phariſæos Pauli adverſarios Lucas verſu primo expreſſiſſet. Exemplum, quod Beza adfert ex Cæſare, non eſt ſimile. Nam ibi prior pericope verborum eſt Cæſaris: adeóque ſequentia verba facilè intelliguntur ad Cæſaris orationem pertinere. Hîc prior pericope in verſu quarto non Pauli eſt, ſed Lucæ. De cætero verum eſt, ejuſmodi ellipſes in Scripturis uſitatas eſſe. Cornelius à Lapide tria objicit. 1. *Syrum ſubaudire*: Sed inquiunt. Reſp. Interpolatio hæc non eſt in Textu Syriaco, qui ſic

 habet:

bet: קמו דין אנשא אילין דהימנו מן יולפנא דפרישא *Surrexerunt autem homines, qui credentes erant de doctrina Phariſæorum.* Subintelligere ipſum hæc verba: *Sed inquiunt:* quî poterat Cornelius divinare? Cùm non plùs habeat Syrus in verſione, quàm quod apparet in textu Canonico? 2. *Expoſcit hoc vox eos: quos? Utique Gentiles, quorum converſionem celebrabant Paulus & Barnabas. Sæpe enim Hebræi ſuppoſitum, vel nomen Subſtantivum intelligendum relinquunt ex hiſtoria circumſtantia.* Reſp. Veriſimile eſt, Apoſtolum, cùm annuntiavit Gentilium converſionem, in eadem oratione propoſuiſſe ſtatum quæſtionis ſuæ, propter quem Concilium petiit: *Utrùm videlicet Gentiles circumcidi debeant?* Hócque poſterius ſubticuiſſe Lucam. Hinc ſurrexiſſe ilico Phariſæos, & contradixiſſe: Omnino eos, ſubintellige Gentiles, circumcidi debere. Neque inſolens in Scripturis, ut pronomen relativum exprimatur, ſubjecto ejus neque proximè neque remotè expreſſo. 3. *Idem expoſcere narrationem hujus hiſtoriæ, quam facit S. Petrus apud S. Clementem lib. 6. Conſtit. Apol. cap.* 12. Reſp. Quid ſentire nobis de Clementis Conſtitutionibus liceat, ipſe Cornelius ſuo nos exemplo pauló ſupra docuit, ubi nigrum theta eis præfixit.

E SECTA PHARISÆORUM) αἵρεσιν vocat Lucas: Quam vocem in meliorem partem ſæpiuſcule uſurpari, nemo ignorat. Locus occurrit Act. XXIV. 14. Ubi αἵρεσις videtur explicare quod præcedit, ὁδὸς, vitæ ac doctrinæ genus & inſtitutum, quæ vox propter Hebraiſmum obſcura videri poterat. Et Phariſaiſmum vocat ἀκριβεστάτην αἵρεσιν Act XXVI. 5. non quòd illum magnopere laudet, ſed loquitur ex adverſariorum hypotheſi, ut rectè cenſet Beza. Fuerit igitur vox media, quales multæ lapſu temporum infamiam traxerunt à vulgo, loquendi domino. Syrus concinnè יולפנא doctrinam convertit. De Phariſæorum ſecta non eſt hic dicendi locus. Videatur Scaliger in Elencho Trihæreſii. Subornati Phariſæi autem ſurrexerunt, quia priſtino & avito more ſe Zelotas pro lege Moſis geſſerunt. Ergo etiam hîc cauſæ deeſſe nolunt, rati, ad honorem ſuum pertinere, ut primo cœtu ſententiam ſuam, εἰς κυρίαν δόξαν proponant, quam omnes adorarent. In quo nonnihil fermenti veteris iis adhæſit. Adeò difficile eſt modeſtiâ ingenium, ſemel inſolentiæ & elationi ſuetum, imbuere.

CRE-

Digitized by Google

CREDENTES) Eſt Codex, qui habeat πεπιστευκότων. Levis varietas. An verò in ſecta Phariſæorum manſére poſt doctrinam Chriſti receptam? Vix eſt, ut ſtatuamus. Certè dogmatis Phariſæorum doctrinæ Chriſti mirificè repugnantibus nuntium remittere debuerunt. Qualia fuerunt de libero arbitrio, & ejus cum fato concurſu, de quo vide Joſephum lib. 11. Bell. Jud. cap. 12. Caſaubonum Exercit. 1. Ss. 9. Scaligerum in Elencho Trihæreſii. Ubi & cætera eorum dogmata abſurda delineantur.

DICENTES, QUOD OPORTEAT EOS CIRCUMCIDERE) Idem urgent, quod illi, qui Antiochiam turbârunt. Et fieri poteſt, ut ab illis ad prava ejuſmodi conſilia clanculum compellerentur.

AC PRÆCIPERE) Poterat utcunque eorum ſententia tolerari, ſi libertatem faciendi vel omittendi indulſiſſent. Nam etiam Paulum circumcidiſſe Timotheum conſtat. Nunc neceſſitatem inviolabilem urgent. In qua re nihil votis illorum dari oportuit. Haud dubiè ſpecioſis prætextibus res acta. Magno ſerio hoc injunctum Abrahamo & Iſraëlitis, quibus data circumciſio in fœdus perpetuum. Chriſtum Jeſum paſſum ſe circumcidi: neque veniſſe, ut legem ſolveret, ſed ut impleret. Accedebat Zelus præpoſterus defendendi traditionem paternam. Sed non animadvertebant, hoc obeſſe gloriæ Chriſti, qui pleno Sacrificio nos redemit, ut illius gratia nos ſervet ſine circumciſionis obſervantia.

UT SERVARENT LEGEM MOSIS) τηρεῖν τὸν νόμον Μωϋσέως. Reſpondet Hebraico נצר quod in ſignificatu exequendi & perficiendi accipitur. Conſule Doctiſſimum Gattakerum Diſſert. de Novi Inſtrumenti ſtilo cap. XVII.

CAPUT X.

Conventus Concilii, & Conciliaris Petri ſententia illuſtratur.

Breviarium.

Conventus Apoſtolorum & Petri Oratio explicatur. Quo tempore Concilium ſit celebratum? Oſtenditur, eandem eſſe profectionem Pauli Hieroſolymas Gal. II. & Act. XV. A quo termino numerandi anni quatuordecim, Gal. II. Paulus quo tempore converſus: Quis Concilium coegerit? Conciliorum uſus Oecumenicum Papatum ſubruit. Epiſcopius & Grotius carpuntur, Conciliorum uſum reſpuentes. Baronius exagitatur, ſcribens, Petrum perſecutione coactum ire Româ Hieroſolymas. Concilium Oecumenicum fuiſſe defenditur contra Ioverium. Apoſtolos nullum aliud Concilium celebrâſſe. Symbolum Apoſtolicum an in Concilio conſcriptum? Canones Apoſtolorum adulterini. Presbyteros adfuiſſe cum ſuffragiis definitivis defenditur, & Bellarmini rationes ſolvuntur. Ἰδεῖν. *Cernere. Locus 2. Reg. XIV. 8. 11. elucidatus. Petrus cur primus ſurrexerit? Si præſediſſet, non ideo Oecumenicus Papa eſſet. Non præſediſſe oſtenditur, & rationes Bellarmini excutiuntur.* Ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων *quid ſit? Petrum non primum Gentibus prædicâſſe. Hebraiſmus in verbis:* ἐξελέξατο ἐν ἡμῖν. *Argumenta Petri, quibus probat Gentiles ad Eccleſiam pertinere.* Καρδιογνώστης. *Locus Hebr. IV. 13. explicatus.* Πνεῦμα προφητείας. *Deus quomodo* προσωπολήπτης? *Fide purificare corda. Tentare Deum. Iugum* ἀβάστακτον. *Diſputatur contra Bellarm. & Stapletonum, illud ad legem moralem pertinere.* Μαθηταί. תלמידים, *Gratia definitur. In ſtatu integritatis etiam locus fuit gratiæ. Auguſtini locus in Enchir. explicatus. Pelagianiſmi progreſſus. Socinianorum & Pontificiorum cum Pelagianis Syncretiſmus, Thomæ diſtinctio inter Gratiam gratis datam & gratos*

gratos facientem. Probatur, gratiam juſtificantem non eſſe qualitatem infuſam. Fides quomodo juſtificet? Ieſus à ſalvando. Socinus perſtringitur, negans Chriſtum ſatisfaciendo nos ſalvare. Patres V. T. eodem modo juſtificati, quo nos.

SIc vidimus, quæ celebrem & inclytam Apoſtolorum Synodum anteverterunt, παρασκευαστικῶς ad illam. Sequitur ipſa Synodus, & Sententia Petri, Barnabæ, Pauli & Jacobi. Ἐκδήγησις Concilii coacti & ſententia Petri verſibus 6.7.8.9.10. 11. comprehenduntur. Verba Lucæ:

6. Συνήχθησαν δὲ οἱ Ἀπόστολοι καὶ οἱ Πρεσβύτεροι ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου.	6. *Convenerunt autem Apoſtoli & Presbyteri, ut diſpicerent de hoc negotio.*
7. Πολλῆς δὲ συζητήσεως γενομένης, ἀναστὰς Πέτρος εἶπε πρὸς αὐτούς. Ἄνδρες ἀδελφοὶ, ὑμεῖς ἐπίστασθε, ὅτι ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων ὁ Θεὸς ἐν ἡμῖν ἐξελέξατο διὰ τοῦ στόματός μου ἀκοῦσαι τὰ ἔθνη τὸν λόγον τοῦ Εὐαγγελίου καὶ πιστεῦσαι.	7. *Quum autem magna diſceptatio extitiſſet, ſurrexit Petrus, dicens eis: Vos ſcitis, quòd jam inde antiquitus Deus inter nos elegit, ut per os meum audirent Gentes verbum Evangelii, crederéntque.*
8. Καὶ ὁ καρδιογνώστης Θεὸς ἐμαρτύρησεν αὐτοῖς, δοὺς αὐτοῖς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καθὼς καὶ ἡμῖν.	8. *Et qui novit corda Deus, teſtimonium præbuit illis, dans illis Spiritum ſanctum, ſicut & nobis.*
9. Καὶ οὐδὲν διέκρινε μεταξὺ αὐτῶν, τῇ πίστει καθαρίσας τὰς καρδίας αὐτῶν.	9. *Nihilque diſcrevit inter nos et illos, cùm fide juſtificaverit corda illorum.*
10. Νῦν οὖν τί πειράζετε τὸν Θεὸν; ἐπιθεῖναι ζυγὸν ἐπὶ τὸν τράχηλον τῶν μαθητῶν, ὃν οὔτε οἱ πατέρες ἡμῶν, οὔτε ἡμεῖς ἰσχύσαμεν βαστάσαι.	10. *Nunc ergo, quid tentatis Deum, ut imponatur jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?*
11. Ἀλλὰ διὰ τῆς χάριτος Ἰησοῦ Χριστοῦ πιστεύομεν σωθῆναι, καθ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι.	11. *Sed per gratiam Domini Jeſu Chriſti credimus nos ſalvos futuros, quemadmodum et illi.*

Verſus VI. CONVENERUNT AUTEM APOSTOLI) Nempe ad Concilium, in quo ſententia oborta ſopiretur. Diſtinctè autem videndum 1. quo tempore? De tempore hujus

jus Concilii pauci conſentiunt. Hieronymus, Beda, Baronius ad 54. annum poſt Chriſtum natum referunt, qui fuit duodecimus Claudii. Calviſius refert ad annum quadrageſimum octavum. Tanquam terminus à quo quatuordecim annorum, quorum ſit mentio Gal. I. 1. figendus eſſet in converſione Pauli, quam refert ad annum trigeſimum quartum. Capellus ſubſiſtit intra quadrageſimum quintum. Illuſtris Armachanus, & ante ipſum Johannes Funccius in Chronologia ad annum quinquageſimum primum referunt. Difficultas in duobus videtur conſiſtere. Prius eſt: *An profectio Hieroſolymitana, cujus meminit Apoſtolus Paulus Gal. II. 1. 2. 3. ſit eadem cum profectione ad Concilium. Poſterius: Si eſt eadem, à quo termino quatuordecim anni, quorum ibi mentio ſit, ſint computandi?* Prius quod attinet, circumſtantiæ utriuſque memoratæ profectionis vix ſinunt nos dubitare, quin fuerit una eadémque. Aſcendit enim cum Barnaba V. 1. Prædicavit illis Gentium converſionem V. 2. Actum de negotio circumciſionis V. 3. Inducuntur Fratres παρείσακτοι V. 4. Conſtantia Pauli prædicatur V. 5. Hæ circumſtantiæ exactè quadrant cum circumſtantiis profectionis ad Concilium in præſenti capite traditis. Fuerit igitur eadem profectio. In quo ſuffragantur nobis plerique Patres, excepto Chryſoſtomo, cujus ſuprà rationem diſcuſſimus. Obſtare tamen adhuc videntur tria. Primùm, *quòd Gal. II. 2. dicitur* κατ᾽ ἰδίαν *privatim cum Apoſtolis contuliſſe, cùm tota Synodi actio fuerit publica.* Alterum, *quòd Act. XV. dicitur aſcendiſſe ad litem componendam: Gal. II. verò ad conferendum cum Apoſtolis de ſua doctrina.* Tertium: *Si Gal. II. ad Synodum reſpiceret, haud dubiè ad illam contra æmulos provocaturum.* Cæterùm hæc non ſunt ſolutu difficilia. Reſpondeo igitur ad *primum*: Actionem quidem Synodalem publicam fuiſſe: attamen extra illam actionem Apoſtolum cum Petro, Jacobo & Johanne privatim collocutum plurima tranſegiſſe, quæ ad emolumentum Eccleſiæ & prædicationis Evangelii ſpectant. Neque aliter fieri potuit in illo temporis ſpatio, quod Conciliari negotio totum non potuit conſumi. Ad *ſecundum*. Utrumque haud dubiè Hieroſolymis egit. Et privatim cum Apoſtolis contulit: & publicè reſtitit emiſſariis. Ad *tertium*. Non appellavit ad Decretum Synodicum, quia ipſe membrum Synodi fuit, ne æmuli vitio verterent. Deinde non obſcurè intendit digitum ad Synodum v. 6. Ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προσανέθεντο. Quæ verba Pauli hanc

Digitized by Google

hanc interpretationem recipere puto : nihil ſe ab Apoſtolorum primoribus didiciſſe, vel accepiſſe novi in doctrina, ſed ſententiam ſuam ab Apoſtolis approbatam. Hactenus ad liquidum perduximus, eandem eſſe profectionem Gal. II. & Act. XV. Reſtat nunc videamus alterum, ex quo noſtræ quæſtionis momentum pendet : A quo termino quatuordecim anni, quorum mentio fit Gal. II. v. 1. ſint inchoandi? Placet magnis Theologis, à tempore Paſſionis Chriſti, vel converſionis Pauli initium ſumendum. Quibus aſſentiri non poſſumus. Nam dixerat priùs Gal. I. 18. poſt tres annos converſionis ſuæ ſe ex Arabia Hieroſolymam reverſum. Nunc dicit ἔπειτα, *deinde*, poſt illos videlicet tres annos. Ergo cum priori termino triennii connectit illos quatuordecim annos, quibus exactis Hieroſolymas adſcendit. Jam ſuppono, Paulum converſum anno Chriſti quadrageſimo, contra quàm Chronologi vulgò ſentiunt, qui converſionem ejus ad annum proximum morti Chriſti rejiciunt. In univerſum hoc in confeſſo, Paulum converſum eſſe Stephano Martyrium paſſo. Martyrium autem Stephani ſeptennio recentius eſt morte Chriſti, ſi fidem meretur Epitome Temporum, adnexa Chronico Euſebii Scaligeriano. Nicephorus lib. II. cap. 3. allegat Evodium, tradentem, Stephanum ſeptimo à Chriſti morte anno lapidatum, & ſemeſtri ſequente Paulum converſum. Evodio autem antiquiſſimo, quippe Petri in ſede Antiochena ſucceſſori fidem quis deroget? Neque Tiberius Cæſar, quem Chriſtianis æquum Tertullianus Apol. cap. 5. facit, tam ſæva perſecutione Chriſtianos impeti paſſus eſſet. Ut probabilius ſit, Caligulam ſeptimo poſt mortem Chriſti anno Imperii ſui primordia hac perſecutione polluiſſe. Accedit & illud, quòd ſupra fidem ſit, unius anni ſpatio geri potuiſſe, quæ in octo primis Actorum Capitibus Lucas tradidit. Deinde tertio à converſione anno currente, qui fuit XLIII. Chriſti, poſtquam longo tempore Damaſci Evangelium prædicâſſet, & Judæi illius interimendi conſilium iniviſſent, adſcendit Hieroſolymas ad viſendum Petrum. Ibi cùm liberè in nomine Domini Jeſu loqueretur, & diſceptaret cum Helleniſtis, qui eum conabantur interimere, Act. IX. 29 Orans in Templo, Divino oraculo monitus eſt, ut citò Hieroſolymis exeat, Act. XVII. 17. 21. Exivit igitur, deductus à Fratribus Cæſariam, & emiſſus in Patriam ſuam Tharſum, Act. IX. 30. Ab hoc tempore exitus ex Hieroſolymis fluxerunt anni XIV. ad Concilium

S   uſque

uſque. Ergo à Converſione ad Concilium uſque anni elapſi ſunt XXIV. Unde prono alveo & juſto calculo fluit, conveniſſe Apoſtolos ad Concilium anno Chriſti quinquageſimo octavo. Jam de cauſa impellente Concilii. Loquor autem de eo, qui vocavit, & neceſſitatem conveniendi impoſuit. De poſterioribus quidem temporibus indubitatò conſtat, nullum Concilium Oecumenicum convocatum niſi ab Imperatore. Cujus rei præter hiſtoriam teſtis locuples eſt Socrates in Proœm. lib. 5. hiſt. Eccleſ. Συνεχῶς καὶ τοὺς Βασιλεῖς τῇ ἱστορίᾳ περιλαμβάνομεν, διότι ἀφ' οὗ Χριστιανίζειν ἤρξαντο, τὰ τῆς Ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῶν, καὶ αἱ μέγισται σύνοδοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ γεγόνασί τε καὶ γίνονται. *Imperatorum*, inquit, *mentionem propterea fecimus, quòd ex illo tempore, quo Chriſtiani eſſe cœperunt, Eccleſia negotia ab iis pependerunt: atque adeò maxima Concilia de eorundem ſententia & convocata fuerunt, & adbuc convocantur.* Idem teſtatur Hieronymus apologia 2. adverſus Ruffinum. Neque in V. T. Concilia ab aliis convocari ſueverunt, quàm à Regibus Iſraëlis. Neque ut à Prophetis, quod Bellarminus objectat, ſed ut à Regibus, quod clarum, in exemplo Regis Ezechiæ. 2. Paral. XXIX. 5. 21. qui non Propheta, ſed Rex fuit. An verò eadem ratio fuit Concilii hujus primi Apoſtolici? Si conſtaret, jam tum nutricios Eccleſiæ fuiſſe, utraque manu largirer. Nunc nihil minus. Suprema in hoc mundo Eccleſiæ poteſtas fuit Gentilis Imperator, & eo quidem tempore Claudius. Noluit autem Paulus καθίζεσθαι τοὺς ἐξουθενημένους ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, 1. Cor. VI. 4. Ergo Eccleſiæ ipſius conſenſu & arbitrio imperatum Concilium. Ut liberrimum emblema ſit Pontificiorum, ac inter illos Horantii contendentis, ſolius Petri has partes fuiſſe. Quæ res ne leviſſimo apice conſtat. Contra πρεσβείαν illam & prærogativam Imperii, quam Petro Pontificii, non tam ejus charitate occæcati, quàm ſtudio Pontificis exornandi, tribuunt, nihil pœne validiùs contendunt, quàm præſens Concilium. Si Oecumenicus Papa à Chriſto conſtitutus fuit, cujus ſolius infallibili & decretorio judicio controverſiæ finirentur, quid opus fuit Concilio? Quidnî ad ipſum appellarent ſolum, & Divinam ejus vocem, ſemotis cæteris arbitris, reverenter exciperent? Imò omnia ſequentia Concilia irrefragabili argumento ſunt, non unum & ſingularem hominem eſſe Oecumenicum judicem, ſed penes multitudinem eſſe vim imperii, & definitionum ſupremam in hoc mundo poteſtatem eſſe Ariſtocra-

ſtocraticam. Cæterùm exemplo hujùs Synodi in ordinem redigenda eſt temeraria Epiſcopii aſſertio, inter alia docentis; *Omnes illos cœtus eſſe illegitimos, periculoſos & Tyrannicos, in quibus convenitur non tantùm ad deliberandum, ventilandum, examinandum, & rationibus argumentiſque perſuadendum: ſed etiam ad decidendam alicujus in religione capitis ſive veritatem ſive neceſſitatem:* in diſput. de Synod. Theſ. 3.5.6. Quibus verbis conſentientia habet Grotius Manuduct. in viam pacis pag. 16.17. ſive quiſquis ejus libri author eſt, qui conventibus ejuſmodi nimis triſtis & iniquus eſt. Certè non ad ventilandum tantùm dogma de neceſſitate circumciſionis convenerunt Apoſtoli, ſed præcipuè ad decidendum. Teſtantur id Synodi verba: *Viſum eſt nobis & Spiritui Sancto:* V. 22. 28. Unde vocantur δόγματα κεκριμένα ὑπὸ τῶν Ἀποςόλων καὶ Πρεσβυτέρων, Cap. XVI. 4. Neque eſt, cur in eo latebras quærant, Apoſtolos infallibiles fuiſſe, non ſequentium temporum Doctores. Nam ad eoſdem infallibiles Magiſtros Doctores in Conciliis per ſe fallibiles provocant. Deinde minimùm hoc conſtat, magnæ eſſe authoritatis ad conſenſum Concilia, & præſentiſſimum rebus dubiis ſolamen, cùm Apoſtoli θεόπνευςοι, qui ſufficienti pollebant authoritate per ſe ſinguli ad determinandam quæſtionem controverſam, maluerint viâ Concilii uti.

APOSTOLI) Petrus, Paulus, Jacobus, Johannes, quos ſupra jam enumeravimus. Jacobus, Joſepho Judæo & veteribus pleriſque teſtibus, fuit Hieroſolymitanus Epiſcopus. De quo nolim jam certare. Baronius contendit, Petrum perſecutionis æſtu Româ ad tempus Hieroſolymam ſeceſſiſſe. Et ſanè intererat lucem fœnerari oculis noſtris, quos tanta hebetudo & caligo perculit, ut videre non poſſint, quemadmodum Divus ille Apoſtolus ſimul anno ſecundo Claudii fixa Romæ ſede Epiſcopali manſerit ibi uſque ad ſupremum ſupplicii diem, continuos viginti quinque annos; ſimul anno quinquageſimo octavo, qui quintus fuit Neronis, Hieroſolymis à Paulo & Barnaba conveniri potuerit. Quidni hederam ſuſpenderemus tam provido Cardinali? Sed omne tuliſſet punctum, & pro honore tanti viri feciſſet, ſi aſſertionem ſuam in noſtri gratiam ſolidis ſcripturarum vel antiquitatis documentis ſtatuminatum iviſſet. Abſque quibus eſt, candido pectore dicam, non poteſt nobis vel invitis pluris eſſe, quàm pomarius Hercules. Retinet nos,

Digitized by Google

ne aſſenſum præbeamus, quòd in ea tempora nulla incidat Romæ fidelium perſecutio. Ac plura alia, quæ fusè ſunt à noſtratibus Theologis deducta. Conſule doctiſſimum Vedelium de tempore utriuſque Epiſcopatus: Molinæum de Novit. Papiſmi lib. II. 8. nec non Clariſſimum Ottonem, Profeſſorem Tigurinum, ſingularem Amicum noſtrum, quem honoris causâ nomino, in præclaro & nervoſo hac de re ſcripto. Sed dubitatio hîc incidit non levis, quam auget Joverius initio conſtitutionum Eccleſiaſticarum. Cùm enim tam pauci interfuerint Concilio huic Apoſtoli, neque plures fortâſſe Presbyteri, quæſtioni eſt: quo jure Concilia Oecumenica inter Hieroſolymitanum primore loco numeretur? ſed judicium, niſi fallor, ex exitu rerum hujus Concilii peti debet. Nam primò authoritas decretorum hujus Concilii erat Oecumenica: & longè major, quàm ullius deinceps habiti Concilii. Abiit enim in Canonem fidei, & partem Scripturæ Sanctæ. Deinde ſtatutum eſt de rebus, quæ omnes undique Eccleſias ſpectarent. Denique non de Judaicis tantùm Eccleſiis, ſed etiam de aliis omnibus actum, cùm diſtributæ provinciæ ſunt inter Petrum & Paulum, ut huic quidem Gentium prædicatio, & patrocinium (ut loquitur Baronius ad annum 51. n. 16.) Petro autem, Jacobo & Johanni cura eorum demandaretur, qui ex circumciſione ad fidem pertinerent. Quæ omnia non cadunt in particularem aliquam ſynodum. Poteſt igitur optimo jure Apoſtolica hæc ſynodus Oecumenica vocari. Neque documentis indubitabilibus conſtat, excepta hac ſynodo ullum Concilium Oecumenicum ab Apoſtolis celebratum, quicquid garriant Scriptores Pontificii, quemlibet Apoſtolorum Conventum pro Apoſtolico Oecumenico Concilio obtrudentes. Multò minùs recipimus, quæ ex mera traditione Apoſtolica Concilia comminiſcuntur. Quale illud eſt, quod fingunt Hieroſolymis celebratum, priuſquam in orbem diſpergerentur Apoſtoli, in quo ſymbolum confecerint. Ruffinum quidem Aquilejenſem, fateor, & ex eo Caſſianum in Collationibus ſuis Hieronymum, Ambroſium, quos pro ſe citant Centuriatores, illud approbare. Verum multa indicio ſunt, Apoſtolos non poſſe authores illius ſymboli cenſeri. Idem judicium ferri debet de Canonibus Apoſtolorum, quos in Concilio aliquo Apoſtolico fabrefactos vellent Turrianus l. 1. pro Canonibus Apoſtolorum, & Cariolanus in ſumma Conciliorum. Diſſenſum ſuorum circa

Digitized by Google

ea illos Canones non diſſimulavit Caranza in Summa Conciliorum ſtatim à principio. & Franc. Sylvius in Additionibus. Et ſanè ſunt inter illos Canones, qui è diametro veris Apoſtolicis in ſcriptura obviis repugnant. Quales canon 17. qui ſecundas nuptias damnat: canon 27. qui tantùm Clericis, Lectoribus & Cantoribus nuptias permittit: Canon 68. ad jejunia in quadrageſima Paſchæ, & feriæ quartæ & Paraſceves, conſcientias alligat: can. 62. excommunicare præcipit Laicos ſuffocato veſcentes; & ſi qui alii multi canones ἀλλόκοτοι, & ſcripturis contrarii, propter quos apocryphi declarati ſunt ab ipſo Gelaſio diſt. 15. can. *Sancta Romana*, quomodo etiam illos vocant Baronius ad A. C. 58. Bellarminus l. I. de Verbo Dei cap. 20. Minorem adhuc fidem merentur Concilia duo Apoſtolica, alterum coactum occaſione aſſumptionis B. Virginis Mariæ, alterum Antiochienſe, quod extat inter Concilia à Binio edita. Quæ jam à pridem noſtratibus Theologis jugulata ſunt.

ET PRESBYTERI) Tum docentes, tum regentes. Ac illi quidem ab Epiſcopis non fuerunt eo tempore diſtincti, quod evidentibus rationibus ſupra evicimus. Hi, qui quoquo modo Eccleſiam rexerunt, & illi Apoſtolica ordinatione præfecti fuerunt. Bellarminus quidem lib. I. de Conciliis cap. XVI. diſtinguit in Concilio Hieroſolymitano *Judices, Conſultatores & Adprobatores*. Apoſtolos fuiſſe *judices*: Presbyteros *Conſultatores*: homines è plebe *Adprobatores*. Sic format Ideam Concilii, quale optat, & quale ſolum legitimum eſſe clamat Pontificia ſchola. Neque vero planè inops eſt pigmentorum. *Nam*, inquit, *quod ſoli Apoſtoli & Presbyteri ad Concilium ſint vocati, liquet ex verſu ſexto:* Convenerunt Apoſtoli & Seniores videre de verbo hoc. *Controverſiam autem à ſolis Apoſtolis & Presbyteris ventilatam & diſcuſſam eſſe, inde manifeſtum eſt, quòd congregatis Apoſtolis & Senioribus, ut viderent de hoc facta ſit* πολλὴ συζήτησις. *Solos interim Apoſtolos controverſiam definivisse, & decidiſſe, conſtat, partim quòd ſoli Apoſtoli, Petrus, Paulus, Barnabas & Jacobus inducuntur à Luca loquentes: partim quòd ſoli illi legantur ſententiam tuliſſe, atque hac formula verborum ſententiam definitivam protuliſſe:* Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis &c. Hic multa ſunt quorum Bellarminum pœnitere debuit. Ac primùm illud, quòd Presbyteros dicit conſultandi tantùm cauſa conveniſſe. Atqui de Presbyteris æquè ac de Apoſtolis dicitur: illos con-

veniſſe ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου. Quæ Phraſis non notat tantùm conſultantis, ſed etiam definientis & judicantis actum. Deinde quæ in hac Synodo ſunt judicata & definita, illa dicuntur κεκριμένα ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων καὶ Πρεσβυτέρων. cap. XVI. 4. Quid planius? 2. Quòd Eccleſiæ, id eſt, fidelium, qui Concilio interfuerunt, partes non facit niſi approbantium. Quod fortiter refutat verſus 22. Viſum eſt Apoſtolis & Presbyteris σὺν ὅλῃ τῇ Ἐκκλησίᾳ. Et v. 23. dicuntur miſſæ literæ nomine Apoſtolorum, Presbyterorum & fratrum in Antiochiam, Syriam, Ciliciam. 3. Quòd judicium διακριτικὸν rerum ad ſalutem pertinentium ordini certo tranſcribit, cùm Apoſtolus vendicet omnibus, qui non ſunt Ψυχικοί, qui ſenſuum & paſſionum ſuarum impetu non avehuntur tranſverſi, vel non ignorant ſermonem juſtitiæ, ſed πνευματικοὶ, 1. Cor. 15. 4. Quòd ſic in Conciliis Judices inducit propriè dictos, & à quibus non valeat appellatio. Revera hominibus in rebus fidei non competit aliud judicium, quàm inquiſitionis, diſcretionis, conſultationis, & hactenus etiam deciſionis, quatenus in foro externo unionis retinendæ gratiâ, Eccleſiæ ſubjiciuntur iis, quæ in commune per ſuos Deputatos deliberârunt & concluſerunt. 5. Συζήτησις, quam Bellarminus objicit, fuit inſtituta non cum iis, qui conſultativa tantùm ſuffragia habent, ſed cum iis etiam, qui deciſiva habent. Quis enim perſuaderi poteſt, Apoſtolos Divino afflatos Spiritu neceſſe habuiſſe, ut in ſocietatem ſuam Conſiliarios tantùm admitteret, quorum mutuo attritu veritas emicaret? Lintrenſis inter illos συζητοῦντας ponit Paulum & Barnabam: quibus haud dubiè ſuffragia definitiva competierunt. 6. Addo, ſi verum eſt, quod Bellarminus dicit, malè conſultum Eccleſiæ ſequentium temporum: ſi nempe illis definiendi poteſtas conceſſa, qui abſque conſiliariorum ope ad deciſionem inepti forent. 7. Si ſoli illi jus deciſivum in hoc Concilio habuerunt, qui loquentes & animi ſui ſenſa ediſſerentes à Luca inducuntur, quid dicemus de Johanne, cujus ſuffragium literis Lucæ non eſt mandatum. An igitur ab hac poteſtate Synodus virum Apoſtolicum excluſit? Deſinat ergo à ſilentio Lucæ cauſam pravam incruſtare. 8. Neque in eo ſanus eſt, quòd ſolos Apoſtolos dicit ſententiam definitivam protuliſſe, hac formulâ: Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis. Nihil ferè clariùs, quam illo pronomine *nobis* juxta Apoſtolos intelligi Presbyteros & cæteros fideles. Nam ſubſcripſerunt non ſoli Apoſtoli,

Digitized by Google

ſtoli,ſed & Presbyteri, & reliqui Fratres,verſ.23. Illis ſic viſum,quorum nomine hæc Epiſtola ſcripta eſt,quis mediocriter dubitare poteſt? Illi autem non ſoli Apoſtoli fuerunt,ut patet attendenti. Manet igitur, etiam Presbyteros jus ſuffragii deciſivi habuiſſe. Tametſi ex eo, quòd Presbyteri docentes jure Divino ab Epiſcopis non fuerint diſtincti, ſuapte ſponte ſequitur, Presbyteros illos ſuffragium definitivum habuiſſe. Nam Papiſtarum hypotheſis eſt: In Conciliis de jure cum ſuffragio deciſivo adeſſe omnes & ſolos Epiſcopos, & in his majores Prælatos Eccleſiæ.

UT DISPICERENT) ἰδεῖν. Sæpe cernere idem eſt, quod ſeriò contendere & depugnare. Quomodo Latinis uſitata locutio: Certamen cernere. Neque minùs Hebræis. Unde נתראה פנים videamus alter alterum, 2.Reg.XIV.8.11. Quæ verbo Chaldæus Paraphraſtes convertit: *Veni & ſtatuto die confligamus.* Hoc loco, ἰδεῖν idem eſt,quod,cum judicio rem prudenter examinare. Id quod fit, cùm ſecundum ſcripturas & æternam Dei voluntatem controverſiæ explicantur. Hoc oſtendit, negotium illud non deſultoriè eſſe geſtum,ſed vehementi ſtudio veritatis indagandæ,quæ in profundo jacet, & niſi acri ac linceo viſu non penetratur.

DE HOC NEGOTIO) περὶ τοῦ λόγου τούτου. Ubi λόγος idem vocat, quod prius ζήτημα: controverſiæ caput. Diſcrimen tamen intercedere videtur. Nam ζήτημα quæſtionem ipſam ſignificat: λόγος cum quæſtione rationes utrinque allatas.

Verſus VII. CUM AUTEM MAGNA DISCEPTATIO EXTITISSET) Συζήτησιν vocat Lucas. Innuit, utramque partem juſſam ſententiam ſuam dicere, rationes adferre,contraria diluere: Concilium rationes ſolicitè inquiſiviſſe, quò tandem diſcuſſio quæſtionis expediri poſſet. Haud dubiè in illa συζητήσει ordo cuſtoditus fuit,ne quid inſolentiùs deſignaretur. Tametſi Pſeudapoſtoli vix modum ſervare potuerunt, & mordicus ſententiæ ſuæ inſtiterunt, ut ſolet ejuſmodi præpoſteris Zelotis pertinacia eſſe pro muro.

SURREXIT PETRUS) *quaſi Princeps Apoſtolorum & Primas Eccleſiæ, qui audita controverſia in utramq́; partem diſceptatione, hîc eam primus quaſi judex definit.* Sic habet Cornelii à Lapide emblema. Nos Sanctiſſimi Apoſtoli & inter conſortes ſuos facilè principis laudibus minimè equidem intercedimus, Sed Pontificiorum

ficiorum κακοήθειαν non poſſumus perferre, qui ex qualibet prærogativa Petri primatum concludunt; atque ex illo Monarchiam Romani Pontificis. Hoc enim agitur. Appellatione primatûs doctrinæ Hildebrandinæ aſſertores dominationem infinitam intelligunt. Petri nomen ejuſmodi diſputationibus, ceu aliquod κωμικὸν δορυφόρημα, ut ajunt, ad ſpeciem jactatur. Petro enim nihil quicquam hîc metitur, neque feritur. Romano Pontifici, non Petro hæc opera omnis præſtatur. Patres quidem, Chryſoſtomus, Cyrillus & alii obſervant, Petrum fuiſſe θερμὸν, fervido ingenio virum, & multorum quæ fecit aut dixit, præcipuam cauſam aſſignant ipſius θερμότητος. Neque tamen θερμότης apud Græcos ſemper nomen vitii eſt. Sed ſæpius ſignificat homines promptos ad agendum, animoſos, & quorum manus ſæpè conſilium antevertit. Unde Gregorius Nazianzenus orat. 26. Θερμὰς ſive διαπύρους & μεγάλας φύσεις pro eodem ponit. Laudabilis omnino indoles, ſi recti notitia dirigatur. Ab hac θερμότητι eſt, quòd poſt illam συζήτησιν primus in hoc Concilio ſurgit, & graviſſima oratione partibus acriter digladiantibus ſilentium imponit. In hac re ratione tantæ παῤῥησίας quis non prærogativam aliquam Petro tribueret? Sed immane quantum hæc differt à Suprematu, quem Petro & ejus Succeſſoribus, quos fingunt, jure competere, Hildebrandiſtæ pertendunt. Jam ſi Judicem ſtatueremus & Præſidem hujus Concilii Petrum, controverſiam definientem, non judicium tantùm & ſuffragium ſuum interponentem, qualem faciunt hîc Cornelius à Lapide, Bellarminus, Horantius, & alii Papiſtæ, quantum proficient? Quis non intelligit immane diſcrimen inter Præſidem & Monarcham? Inter eum, qui ſuffragia æquè deciſiva aliorum audit, colligit, ac tandem pronuntiat id, quod potiſſimùm vota ferunt, & inter abſolutum aliquem ac ſupremum judicem, qui poteſtate & juriſdictione pollet etiam in inferiores, & qui illis ſemotis ſolus arbitrari poteſt? Et, an ſequenti tempore honos Præſidentiæ Romano Epiſcopo nonniſi ex privilegio Oecumenici Papatûs deferri potuit? Quidni hæc cauſa præſidentiæ eſſe potuit, quia erat Romanus Epiſopus Patriarcharum primus? Sed neque inde Pontificia Schola Romano Epiſcopo jus præſidentiæ in Conciliis ſacroſanctum facere poſſet. Nam Beato Petro Romanum Pontificem in hoc munere ſucceſſiſſe, nulli probant. Imò primis temporibus præſederunt non Romani Epiſcopi,

ſed

ſed quoſcunqe placeret ad hoc munus vocare Imperatori, quod D. Blondellus in ſuo de Primatu opere ad Sect. 64. ſſ. 3. prolixè & verè probat. Certè Concilium Nicenum Imperatore Conſtantino jubente moderatus eſt Hoſius Cordubenſis, quamvis illi Concilio intereſſent Silveſtri Papæ nomine Victor & Vitus. Conſtantinopolitano præſedit Nectarius, ſuo quaſi jure, cùm eſſet Conſtantinopolitanus Præſul: Epheſino Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, non Cæleſtinus Romanus Pontifex, cujus legati aderant Arcadius & Projectus. Chalcedonenſe, cui coram Martianus interfuit, poſtquam Dioſcurus, qui ab ipſo Præſes fuit deſignatus, in reatu conſtitutus fuit, nullos alios moderatores habuit, quàm Comites & Patricios à Martiano delegatos. Concilio quinto Conſtantinopoli celebrato ex decreto Juſtiniani, Præſes adfuit Menas Conſtantinopolitanus Patriarcha, cùm Concilio intereſſet Vigilius Papa. Quòd ſi hac Præſidentia, quam fingunt, Petri in Concilio Hieroſolymitano jus acquiſitum eſt idem Romano Epiſcopo, quid cauſæ eſt, cur illud avidè & ſtrenuè non uſurpârint, cùm uſurpare ſoleant etiam à nemine conceſſa, ſed vi rapta & occupata? Sed ut nervos & poplites ſuccidamus Bellarmino, Horantio, Bailio, Gretſero & aliis, qui hic ſpes ſuas tenent, negamus conſtare, Concilio Hieroſolymitano Petrum Præſidem datum fuiſſe. Hoc enim nullo argumento probari poteſt. Præſidis hæ partes ſunt, ut in vota mittat judices, ſuffragia colligat, & ſecundum potiora ſuffragia quæſtionem decidat. Qui Petrum in Apoſtolico Concilio hoc feciſſe dicat, eum inſigniter confidentem eſſe oportet. Primus equidem ſententiam dixit, quod non eſt Præſidis. Non legitur cæteros Apoſtolos in vota miſiſſe. Non collegit ſuffragia, nec concluſit ſententiam. Non protulit per omnia talem ſententiam, qualis in decreto apparet. Nam de idolothytis, ſanguine, fornicatione nihil dixit. Imò hæc in Apoſtolum Jacobum longè melius competunt. Proinde Chryſoſtomus non obſcurè innuit, Jacobo in hoc Concilio primas delatas eſſe. Verba ejus ſunt Homil. 33. in acta: Ἐπίσκοπος ἦν ἐν Ἱεροσολύμοις οὗτος, διὰ καὶ ὕστερος λέγει, καὶ μετὰ Πέτρον Παῦλος φθέγγεται, καὶ οὐδεὶς ἐπιστομίζει, Ἰάκωβος ἀνέχεται, καὶ οὐκ ἀποπηδᾷ. Ἐκεῖνος γὰρ ἦν τὴν ἀρχὴν ἐγκεχειρισμένος. *Erat hic Epiſcopus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ: itaque poſterior loquitur. Poſt Petrum Paulus loquitur; neque quiſquam eum comprimit. Jacobus patitur, neque reſilit. Huic enim Principa-*

tus commiſſus erat. Petrus quidem vehementiùs loquebatur. Jacobus verò clementiùs. Sic ſemper oportet eum, qui in magna eſt poteſtate, quæ dura ſunt aliis relinquere: ipſum verò manſuetius loqui. Bellarminus tamen ſeriò pugnat, fuiſſe Petrum Concilii Præſidem. Rationes ipſi ſunt quatuor 1. *quia Hieronymus teſtetur in Epiſtola ad Auguſtinum, quæ eſt undecima inter Epiſtolas Auguſtini.* 2. *Quia Petrus primus ſurrexit, & primus locutus eſt.* 3. *Quia quæſtionem definiverit.* 4. *Quia teſte Hierōnymo, ejus ſententiam omnes ſint ſecuti,* lib. 1. de Conciliis cap. XIX. Sed nec probabilitatem, nec neceſſitatem hæc argumenta habent. Non *primum*. Nam Hieronymum Bellarminus ementitur. Verba ejus in Epiſtola ad Auguſtinum ſunt: *Non ignorâſſe Petrum principem hujus decreti, legem poſt Evangelium non eſſe ſervandam.* Jam princeps ſententiæ vel decreti non eſt ille, qui præſidet cœtui, in quo ſententiæ dicuntur: Sed qui primus eam ſententiam dixit. Ita Cicero in Orat. pro Sextio: *Princeps rogationis, Vir mihi amiciſſimus, Quintus Fabricius.* Non *ſecundum*. Nam primò ſurrexiſſe & locutum eſſe Petrum, unde fidem Bellarminus facit? Atqui poſt συζήτησιν factam demum Petrus ſurrexit. In ipſa autem συζητήσει illa gloſſa ordinaria agnoſcit diſceptâſſe Judices Concilii. Lintrenſis, Paulum & Barnabam. Quomodo συζητεῖν potuerunt, non loquendo? Deinde non eſt præſidis, primò loqui deciſivam ſententiam, qualis apparet in oratione Petri. Primus quidem Præſes loquitur, thema conſultationis proponendo, & ſententias cæterorum judicum rogando: ſed non decidendo, quod in vulgus notiſſimum eſt. Neque *tertium* ſolidius eſt. Definivit quidem quæſtionem, quatenus ejus modo perſpecto eam ſententiam dixit, in quam decretum factum eſt. Talis autem definitio non Præſidis tantùm eſt, ſed Aſſeſſorum etiam, qui meliorem ſententiam tuentur. Præſidis autem eſt ita definire, ut auditis ſuffragiis decretum pronuntiet. Nam, ut loquitur Hierōnymus, ſententiam dixit, in quam itum eſt, adeóque ſuam ſententiam dixit, non decretum pronuntiavit. Deinde poſt Petri Orationem Jacobus de eadem re diſſerit, quod non fit poſt decretoriam vocem Præſidis. Denique Petrus in ſua ſententia non complexus eſt exceptionem idolothytorum, Sanguinis, ſcortationis, quæ tamen in decreto continentur. Ergo ejus ſententia nullo modo cenſeri poteſt definitiva Præſidis. *Quartum* minùs adhuc firmum eſt. Non neceſſariò Præſes eſt, cujus

Digitized by Google

jus ſententiam ſequuntur alii. Id quod apparet in illis decretis, quæ ὁμοθυμαδὸν ſunt concluſa, in quibus primi aſſeſſoris ſententiam omnes ſequuntur. Exemplo eſſe poteſt Nicæna Synodus, in qua Paphnutii de Cœlibatu Clericorum, ſententiam omnes ſecuti ſunt, etiam retractatis ſuffragiis jam latis. Neque tamen Paphnutius Præſes fuit Concilii Niceni. Imò nunquam Præſidis ſententiam ſequuntur judices: ſed in Judicum præpollentium ſententiam Præſes decretum format. An verò Gretſero Jeſuitæ aures ſubſtringemus, dicenti: *quicquid fiat de Conciliis & Conſeſſibus Politicis; in Sacris aliter uſum habere. Ibi qui primas tenet in ſedendo, primas tenere in loquendo & definiendo, ſicut & in ſubſcribendo.* Videlicet ex cerebro Jeſuitico forma Conciliorum Sacrorum erat effingenda. In omnibus Conciliis Eccleſiaſticis hic ordo cuſtoditus fuit, ut primo loqueretur Præſes, deinde vota ſtringerent Aſſeſſores, denique Præſes definitivam ſententiam formaret & ediceret. Neque ullum contrarium exemplum, vel ratio probabilis in medium afferri poteſt.

ET DIXIT EIS) Liberè ſuam ſententiam protulit, in quam ſequentes manibus pedibúſque iverunt.

VIRI FRATRES) Amica compellatione & partes exulceratas ad ſilentium componit, & benevolentiam captat Aſſeſſorum.

VOS SCITIS) Ad ſcientiam provocat illorum, quibus res illæ Sacræ, ac præcipuè conditio ipſius, familiariter cognitæ & exploratæ fuerunt.

QUOD JAM INDE ANTIQUITUS) Ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων. Proſper. lib. 2. de vocat. Gent. cap. 18. interpretatur: ab æterno. Quaſi ad æternam prædeſtinationem Dei reſpexiſſet Petrus. Quæ explicatio minus genuina videtur. Vulgatus & Eraſmus habent: *à diebus antiquis.* Sic ſignificamus ea, quæ ante longiſſimum tempus geſta ſunt. Confer Deut. IV. 32. XXXII 7. Hoc autem loco non videtur antiquiſſimum tempus notari, cùm deſignentur ea, quæ non multò poſt Stephani mortem acciderunt. Beza proinde vertit *jam pridem.* Arabs: *A diebus primis.* Æthiopicus: אמתרת *à principio.* Ut reſpiciat Petrus ad hiſtoriam Cornelii Centurionis, quæ non ita pridem contigit poſt illapſum in Apoſtolos Spiritum S. Capellus vertit: *Antehac.* Quomodo Jerem. VIII. 28.

Digitized by Google

VIII. 28. מן העולם. Syrus : דמן יומתא קדמיא *à diebus antiquis.* Optimè videtur Arabs mentem Petri explicatam dediſſe: *à diebus primis*, nempe tum emiſſionis in orbem Terrarum Matth. XXVIII. 19. tum converſionis Gentilium, quæ cœpit in Cornelio Centurione, Actor. X. Hinc Jacobus v. 14. illud vertit πρῶτον. Habuit igitur Petrus in animo viſionem, in qua juſſus eſt occidere & mactare, id eſt, ad communionem gratiæ Gentiles hactenus idololatricos invitare & convertere. Nempe adnotante Heſychio ἀρχαῖον, non tantùm πάλαιον ſignificat, ſed etiam πρῶτον. Cornelius à Lapide dicit: *intelligi præteritum tempus primo in actu exercito, tempus Converſionis Cornelii; ſecundò in actu ſignato, Matth. XVI. 18. Ubi Petrus audivit à Chriſto:* Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam. Bene eſt quod de converſione Gentilium, id eſt, de prædicatione verbi inter Gentiles Chriſti ſive conſilium ſive promiſſionem explicat. Nam hæc converſio communis fuit etiam cæteris Apoſtolis, qui ædificium illud Spirituale pari induſtria procurarunt. Cur igitur in Apoſtolis hoc miniſterium notaret, in Petro dominationem? Bellarminus verò ex hoc loco decimam ſeptimam prærogativam Petri exſculpit. Nempe *primum omnium cœpiſſe prædicare gentilibus, quemadmodum primus prædicavit Judæis.* Primùm demus hoc. Qua veri ſpecie Pontificatum, pro quo omne hoc ſaxum volvitur, concluderet? An in prædicatione Evangelii eſt poteſtas? An in eo, quòd primus prædicavit? Purus putus ordo, niſi fallor, ſi alia non acceſſerint, poteſtatem non indicat, non Monarchiam Pontifici jactatam. Deinde, primum prædicâſſe Gentibus Petrum, non eſt uſque quaque certum. Samaritanis primus prædicavit Philippus. Eunuchum ex Æthiopia jam idem Philippus baptizaverat. Neque Petrus hoc loco dicit, ſe primum Gentibus prædicâſſe. Nam de initio ſuæ prædicationis loquitur, non comparat ſuæ prædicationis initium cum cæterorum prædicatione. Jam ſi ſpectemus prædicationis amplitudinem, quis non majorem Paulo prærogativam conceſſerit? Etenim Petrus uni familiæ prædicavit. Paulus primus omnium cum Barnaba delectus eſt à Spiritu S. ad publicum miniſterium prædicandi Gentibus, Act. XIII. Aliud eſt, uni familiæ convertendæ deſtinari, aliud mitti ad gentes univerſas. Quomodo profectus eſt Paulus in Seleuciam, Cyprum, Salamina, Paphum, ubi Proconſulem convertit, Pamphiliam, Piſidiam, aliò. Adeò ut ab Hie-

ruſalem

ruſalem & circumjacentibus regionibus, uſque ad Illyricum impleverit prædicandi Evangelii munus Rom. XV. 19.

DEUS INTER NOS ELEGIT) ἐν ἡμῖν ἐξελέξατο. Pauló obſcuriora ſunt. Chryſoſtomus pro *in nobis* legit *in vobis*, explicátque, in Palæſtina, vel, præſentibus vobis. Sed conſtans eſt lectio: ἐν ἡμῖν. A qua proinde non recedimus. Syrus מן פומי דילי גבא אלהא דנשמעון עממא Scitis, quòd *ab antiquis diebus ex ore meo elegit Deus, ut audirent Gentes.* Beza ſubintelligit *me*. Perinde ac ſi diceret Petrus: Quid tam longa diſceptatione opus eſt? Non verebor de me ipſo dicere, quod verum eſſe omnes nôſtis, me videlicet ex hoc noſtro cœtu & numero delectum eſſe à Deo, ex cujus ore gentes intelligerent & amplecterentur Evangelii doctrinam. Idem Doctiſſimus Beza aliorum etiam quorundam expoſitionem tangit, qui ἐν ἡμῖν volunt idem eſſe, quod ἡμᾶς. Nam ſic conſtrui apud Hebræos verbum בחר Hæc ſententia planiſſima eſſe videtur. Quomodo in Vet. Teſtam. בחר יהוה בציון Ἐξελέξατο ὁ Κύριος ἐν Σιών, *elegit Deus Zion.* Et alibi בך בחר Ἐλέξατο ἐν σοί, *elegit te.* Aſtipulatur huic expoſitioni ὁ πάνυ Heinſius in Exercitatione ad h. l. Electionis Dei meminit, tum ut ejus mentione fortiùs premat ſententiam, tum ut ad Dei gratiam & beneplacitum referat effecta ſui Miniſterii, non ad proprias vires. Confer Galat. I. 15. 18. 1. Cor. XV. 10.

UT PER OS MEUM AUDIRENT GENTES VERBUM EVANGELII) Hoc primum eſt argumentum Petri, quo comprobat inſtitutum thema, Gentilibus nempe Circumciſionem & reliqua mandata Ceremonialia non eſſe injungenda, inde petitum, quòd Deus cùm primò elegiſſet Apoſtolos mittendos in univerſum orbem, quod factum Matth. XXVIII. 19. ac præcipuè & in ſpecie ſe, diſerta compellatione in cœleſti viſione Act. X. non elegerit illos ad prædicandum Moſen, & ejus ſtatuta Ceremonialia, ſed ad prædicandum Gentibus verbum Evangelii. Hæc autem ita eſſe diſparata, ut unà conſiſtere & cohærere nullo modo poſſint. Nempe in præconio Evangelii manifeſta fuit impletio oraculi Jerem. XXXI. 31. 32. *Ecce, venient dies, inquit Dominus, & pangam cum domo Iſraël & cum domo Juda novum fœdus, quod pepigi cum Patribus illorum in die, quo illos robuſta manu eduxi ex Ægypto, quod ipſi irritum reddiderunt. Sed hoc erit fœdus: Dabo illis Legem*

Digitized by Google

meam in medio illorum, & in corde illorum inſcribam illam &c. Cùm deſiverint illa ſtatuta, à conſpectu meo, inquit Dominus, etiam ſemen Iſraëlis deſinet eſſe populus in conſpectu meo. Hoc oraculum applicavit Paulus ad tempora Novi Teſtamenti Hebr. VIII. 9. 10. Unde verſu ultimo ex novitate fœderis concludit fœderis antiqui ἀφανισμόν. Manifeſtum igitur eſt Petri argumentum, petitum à Chriſti mandato, & novitate fœderis, inducente שבתת Sabbathum, quietem à חקים ſtatutis Ceremonialibus, adeóque etiam à Circumciſionis neceſſitate, & contra prædicationem gratiæ in Evangelio. Huc pertinet teſtimonium Baptiſtæ de Chriſto, opponentis Moſen & gratiam. *Lex*, inquit, *per Moſen data eſt: Gratia autem & veritas per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum facta*, Joh. I. 17.

CREDENTQUE) Hoc ſecundum argumentum eſt, non minùs ſolidum. Nempe in Novo Teſtamento, *in Domino Jeſu Chriſto neque circumciſionem valere, neque præputium, ſed fidem, quæ eſt per charitatem efficax*, Gal. V. 6. quia *unus eſt Deus, qui Circumciſionem juſtificabit ex fide, & præputium per fidem*, Rom. III. 30. Hinc Chriſtus diſcipulos ſuos, quos in univerſum orbem miſit, jubet prædicare, *Salvatum iri quiſquis credit & baptizatur.* Marc. XVI. 16. Quid ergo, ſic diſputat Petrus, turbantur Gentiles credentes? Cur ipſis circumciſio mandaretur, cùm fidem Chriſtus ſolam iis commendari voluerit?

Verſus VIII. ET QUI NOVIT CORDA DEUS) Solvit tacitam objectionem Judaizantium, quòd Gentiles naturâ ſuâ impuros & peccatores oporteat ſuſcepta circumciſione & Moſaicis purificationibus ſe purgare, & mundos reddere. Ergo provocat ad Deum καρδιογνώστην, arcanum cordis & affectus intimi ſcrutatorem. Πάντων καρδιογνώστην idem Deum vocat Act. I. 24. Confer 1. Reg. VIII. 39. Prov. XV. 11. Scitè Bernhardus in Pſal. XC. Conc. 15: *Solus perfectè novit, quid ſit in homine; videns in eo, & quod in ſe non videt.* Sed ἐμφατικώτερα habet Apoſtolus Hebr. IV. 12. Ζῶν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ &c. καὶ οὐκ ἔστι κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ. Πάντα δὲ γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος. Ad quem locum Scholiaſtes: Πάντα γυμνὰ παρ' αὐτῷ. Καὶ οὐδενὶ περικαλύμματι ἢ προσωπείῳ τις ἑαυτὸν ἀποκλέψαι δύναται τῶν ὀφθαλμῶν. Τετραχηλισμένα δὲ, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν προβάτων ἐκ τοῦ τραχήλου ἠρτημένων καὶ γεγυμνωμένων τῆς δορᾶς. Sed amplius quid inſinuant verba Apoſtoli.

Eſt

Eſt enim in illa dictione aperta allegoria à ritu lanionum, ſive victimariorum, à quibus animalia immolanda τραχηλίζεσθαι dicuntur: cùm non ſolum à collo ſuſpenſa excoriantur, ſed per dorſi ſpinam etiam reſupinata finduntur, ut tota foris & intus oculis pateant. Sic optimè Beza. Quo pertinet, quod Favorinus habet: τραχηλίζειν, τὸ διχοτομεῖν, ἤγουν, τὸ διὰ τῆς ῥάχεως σχίζειν.

TESTIMONIUM PRÆBUIT ILLIS) Ἐμαρτύρησεν αὐτοῖς. Opponit teſtimonium Dei, quod nititur inſpectione cordis, nempe regenerati, purificati. Hoc igitur tertium & momentoſum Petri argumentum eſt. Qui intus & familiariſſimè à Deo explorati teſtimonium acceperunt ſinceritatis ſuæ, religionis, pietatis, fidei, ab illis cur plura exigitis? Numquid ultra neceſſe eſt illos urgere, quorum pietati & religioni non homo aliquis, qui variis ludibriis & oculiferiis decipi poteſt, ſed Deus καρδιογνώστης atteſtatus eſt ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτῶν? Reſpicit ad exemplum Cornelii Centurionis, quem ad Chriſtianiſmum convertit. Nam huic Deus in donis ſuis teſtimonium illuſtre perhibuit, & mundum eum, ac cum ipſo omnes credentes declaravit hac oratione: *Quod Deus purificavit, tu ne polluito* v. 15. & v. 28. *Mihi Deus oſtendit, non oportere communem vel pollutum dicere ullum hominem.* Et cum jejunaret Cornelius, & in ædibus ſuis precaretur, ecce Vir ipſi adſiſtebat in veſte ſplendida & dixit: *Corneli, exaudita ſunt preces Tuæ, & Eleemoſynarum tuarum mentio coram Deo facta eſt* v. 30. 31. Hoc eſt teſtimonium τοῦ καρδιογνώστου. Nam preces, quo ànimo fundantur, nullus, qui cordis receſſus & latebras ignorat, cognoſcit, ideóque ſolus Deus hoc teſtari poterat. Si igitur Cornelium incircumciſum Deus teſtimonio ſuo omni exceptione majori mundum, fidelem, pium declaravit, non eſt æquum, ut illis circumciſio imperetur.

DANS ILLIS SPIRITUM SANCTUM) Etiam hæc pars teſtimonii Divini eſt, in quo conſiſtit argumentum quartum. Explicat hunc locum Angelus Apoc. XIX. 10. ἡ μαρτυρία τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐστι τὸ πνεῦμα τῆς προφητείας, teſtimonium Jeſu, eſt Spiritus Prophetiæ. Eſt ergo Spiritus, quem Deus impertitus eſt fidelibus gentilibus, Spiritus Prophetiæ, quo Deus fidelibus Judæis teſtimonium perhibuit de Gentibus, quod & illi ad Chriſti communionem pertineant, & ad eam vocentur per Evangelii prædicationem, quandoquidem per illum Spiritum ipſis donatum Chriſtum vocarunt

Digitized by Google

runt Dominum Jeſum. 1.Cor.XII.3. De communicatione hujus Spiritus loquitur Lucas Act.X.44. quò potiſſimùm Petrus reſpicit; *Cum hæc loqueretur Petrus, illapſus eſt Spiritus S. in omnes illos, qui ſermonem illum audiverunt.* Qua re valde attoniti Judæi, cùm novitate rei vix ſe ipſos caperent.

SICUT ET NOBIS) Comparat effuſionem viſibilem Spiritus S. ſupra Gentiles cum illa, quæ Apoſtolis accidit in tempore Pentecoſtes. Hinc Lucas de Gentilibus Spiritu S. perfuſis: *Audiverunt illos loquentes Linguis, & magnalia Dei ediſſertantes,* Act.X.46. Quæ proinde viſibilis Spiritus S. participatio cauſa fuit, ut baptiſmum, id eſt, circumciſionem non manufactam illis Petrus conferret, quo loco circumciſionis, juſtificans & ſanctificans Dei gratia ipſis obſignaretur.

Verſus IX. NIHILQUE DISCREVIT INTER NOS ET ILLOS) Hoc quintum Petri argumentum, quo probat Gentilium communionem cum Sanctis Judæis, propter quam non oporteat illis jugum imponere. Quia nempe Deus nihil diſcrevit inter Judæos & Gentiles quo ad gratiam juſtificationis, ſanctificationis & glorificationis. Quod alibi ſic expreſſit: Ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνομαι, ὅτι οὐκ ἔστι προσωπολήπτης ὁ Θεὸς, ἀλλ' ἐν παντὶ ἔθνει φοβούμενος δεκτὸς αὐτῷ ἐστι. Act.X.34.35. Ante hac fuit Deus προσωπολήπτης, & diſcrevit inter Judæos & Gentes, quatenus in diſtribuendo ſuo ſpiritu & gratiæ donis, quæ nemini debendi reus fuit, reſpexit populum סגלה λαὸν περιούσιον eos nempe, qui in circumciſione Abrahami Parentis ſui fidem ſunt æmulati. Nunc illa προσωποληψία & διάκρισις ceſſat, paries intergerinus, inimicitiæ illæ ſublatæ. Quemadmodum Judæis Meſſias venit, ſic Gentilibus. Quemadmodum illis annuntiari debuit Evangelium, ſic his. Quemadmodum illi fide juſtificati, ſic hi, quod ſequitur.

FIDE PURIFICANS ILLORUM CORDA) In V. T. Judæorum corda etiam fide purgabantur. Sed additæ plurimæ purificationes aliæ externæ. Jam his ſublatis ſola fides corda purgat. Tribuitur purificatio cordis etiam ſanguini Chriſti. Diverſimode tamen hæc fidei & ſanguini Chriſti competit. Fides purificat, ut eſt cauſa ſanctificationem noſtram dirigens, & eam DEO gratam acceptámque reddens, quomodo in Ethicis dicimus prudentiam virtutem regere. Deus autem corda per fidem purificat,

riſeat, quia non tantùm habitum fidei infundit, ſed ipſum etiam actum, quo Chriſtum apprehendimus, & nos à peccatis lavamus. Sicut ludimagiſter puero, quem ſcribere docet, non calamum tantùm porrigit, ſed etiam digitos ejus & ducit, & per ejus digitos literas pingit: ſic Deus non donum tantùm fidei habitumq; infundit, ſed etiam facit, ut actu credamus. Jam etiam ſanguine Chriſti purificantur nobis corda, quatenus ejus merito & virtute acquiſitus nobis eſt Spiritus ſanctificans, qui fomitem peccati paulatim expurgat. Cùm igitur hac fide Gentilium corda ſint purgata, concludit Petrus, illos Eccleſiæ membra eſſe ſine obedientia illa legali, quam ſtatuta Moſis ante adventum Chriſti rigido imperio exegerunt. Nam purgatio cordis per fidem eſt circumciſio cordis, quæ eſt in circumciſione Chriſti non facta manibus, Col. II. 11. Hanc autem præcipuè Deus curat, cùm illa, manibus facta, cor non purificet, & terminum obligationis habeat.

Verſus X. NUNC ERGO QUID TENTATIS DEUM) Tentat Deum, qui ejus mandata & promiſſiones in dubium vocat, vel qui voluntatem ſuam claræ voluntati Dei opponit. Experiri enim vult, an Deus verax ſit, an conſtans, an ſeriò mandârit, an contemptum ſui vindicare in animo habeat? Hæc ergo gravis eſt ἐπίπληξις, & magna ratio, quâ moti Judaizantes ab inſano ſuo cœpto deſiſtant. Vult Petrus dicere: Deus noſter per os Prophetarum ſuorum vaticinatus eſt in V. T. magnam Gentilium converſionem, & obedientiam gentium Chriſto fore. Chriſtus nos juſſit ire in univerſum orbem ad prædicandum Evangelium. Idem teſtatus nobis eſt ſuam voluntatem in imperata cœlitus converſione Cornelii, & poſt illam ſuum Spiritum Gentilibus præputiatis miniſtravit, & corda eorum fide purificavit. Hæc argumenta clariſſima ſunt, velle Deum, ut Gentiles in communionem noſtram adoptemus, pro mundis eos habeamus, cum illis converſemur, & ceremoniali jugo illos non fatigemus. Cùm igitur his argumentis tam certis & manifeſtis occupati non credatis, ſed firmiora documenta poſtuletis, nec promiſſionem Dei obſignetis, quòd verax ſit, tentatis Deum, & vindictam ejus, nî mentem mutetis, præſentem experiemini.

UT IMPONATUR JUGUM SUPER CERVICES DISCIPULORUM) Septima eſt Apoſtoli ratio. Quia

Digitized by Google

Cacozeli libertatem Chriſtianam evertunt, & commutant cum in-tolerabili jugo. Jugi nomine intelligo tum Ceremonialem, tum moralem legem. Ceremonialis quo jure jugum dici potuerit, nequit ambigi. Libertatem enim Judæorum mirificè conſtrinxit, & eos oneroſo hoc & moleſtiſſimo cultu detinuit in ſervitute uſque ad Chriſtum. Moralis jugum eſt, quia per carnem infirmata vivificare non poteſt, adeóque effectum juſtificationis nunquam producere. Utramque legem Pſeudapoſtoli urgebant, & addebant mantiſſæ loco fidem. Diſcipulos vocat Petrus recèns converſos, diſcentes viam juſtitiæ & ſalutis, qui ad perfectionem nondum pertigerunt, ſed tamen relicto τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ λόγου ἐπὶ τὴν τελειότητα φερόμενοι. Hebr. VI. 1. Nuncupati autem ſunt Chriſtiani primitus *μαθηταὶ diſcipuli* more Judæorum, qui eos omnes, qui ſingularem in modum religionis ſtudio incumbebant, Doctore præeunte תלמידים *Diſcipulos* vocârunt.

QUOD NEQUE PATRES NOSTRI, NEQUE NOS PORTARE POTUIMUS) Importabile facit jugum, quia importabat ſervitutem maledictionis, & chirographi. De jugo chirographi verum quidem, grave illud fuiſſe & δυσβάστακτον. quomodo etiam Chriſtus vocat Matth. XXIII. 4. Aug. ſerm. 9. de verbis Domini vocat *ſarcinam innumerabilium obſervationum, qua dura cervix Judaeorum premenda erat, ne ad idola reſpiceret.* Quam illud fuerit grave, ſi non alia argumento eſſent, ſufficere illud poſſet, quòd tanta farrago fuerit Præceptorum in placitis, ut Judæi affirmativa numerent ducenta octodecim, negativa adæquent diebus anni, ceu videre eſt apud Maimonidem More Nevoch. III. 6. Attamen jugum illud à perfectioribus portabile fuit. Zacharias & Eliſabeth dicuntur ambulâſſe in omnibus δικαιώμασι τοῦ Κυρίου, juſtificationibus Domini, Luc. I. 6. Circumciſio oneroſa & cum doloris acri ſenſu conjuncta. Attamen à Patribus portata. Sic reliquæ partes hujus chirographi. Quid ergo? Loquitur Petrus de lege morali primariò, & propter illam de Ceremoniali, propter obedientiæ rationem, quam habet Lex Ceremonialis non à ſe, ſed à Lege morali, quæ jubet Deum amari ex toto corde, ac proinde ei obtemperare in omnibus. Nempe non de ſola lege ceremoniali quæſtio eſt, ſed etiam de morali. Voluerunt enim per Moſen juſtificationem obtingere adverſarii v. 5. & ejus legem eo uſque obſervari debere,

Digitized by Google

ut per eam obſervantiam ſerventur. Hoc onus importabile. Nempe lex per carnem infirmata vivificare non poteſt, Rom. VIII. 3. Opus igitur fuit valentioribus humeris, qui tantam molem ſuſciperent & ſuſtinerent. Pontificii tamen, & illos ſecutus noſter Curcellæus, nos veriſſimum illud dogma ex præſenti loco comprobantes non ferunt. Stapletonus in Antidotis Apoſtolicis ad hunc locum, diſputat contra Calvinum & contendit, Petrum non agere de lege morali, ſed tantùm de Ceremoniali. Atqui, Stapletone, Ceremonialis lex, & ejus jugum portari potuit, etiam ab ipſis hypocritis. Hoc fatetur Stapletonus, Cornelius à Lapide. Non porrigit tamen herbam uterque. Stapletonus, igitur reſpondet: *importabile dictum, non quòd omnino ferri non poſſit, ſed quòd difficulter. Jam hypocritas potuiſſe implere, ſed magno cum labore, fideles autem longè faciliùs, & expeditiùs, & jucundiùs, propter acceptum Spiritum adoptionis.* Hæc nullo judicio dicuntur. Nam Petrus de Patribus loquitur, quos negat portare potuiſſe jugum, non de hypocritis ſolis. Omnes, qui portârunt legem, uno faſciculo comprehendit. Deinde magno intervallo diſparata ſunt hæc duo: *difficulter portare, & non portare:* δυσβάστακτον καὶ ἀβάστακτον. Hæc Petri phraſis certam & deſignatam rei experientiam indicat. Sed & oppoſitio manifeſta eſt gratiæ Domini, per quam ſervatos Patres illos in ſequenti verſu Petrus dicit. Gratia autem ſignificat peccatorum remiſſionem. Si per remiſſionem peccatorum ſervati Patres, tum non quia jugum legis portârunt. Si portâſſent ſive facilè ſive difficulter, tum non peccâſſent, & ſine gratia fuiſſent ſalvati. Ergo non portârunt, ſed portare tamen magnopere laborarunt. Bellarminus re manifeſtâ, non tamen vult committere, ut nobis victoria cedat. Conſtanter negat, intelligi per ζυγὸν ἀβάστακτον legem moralem. Rationes ipſi tres ſunt. Prima, *quia diſputatum de lege Ceremoniali: an circumcidi conveniat conversos ex Gentilibus?* Secunda *ex decreto Synodi:* Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil ultrà vobis imponere oneris, quàm neceſſaria hæc, ut abſtineatis vos ab immolatis Simulacrorum, ſanguine, ſuffocato, & fornicatione. *Hæc dici neceſſaria vel ex Ceremoniali, vel ſimpliciter univerſa. Non ex univerſa. Alioquin ſequeretur, non eſſe neceſſarium non colere idola, non mœchari, non furari, & ſimilia, quod abſurdum. Ergo tantùm ex Ceremoniali.* Tertia *ex ſcopo Apoſtolorum, qui jugum à cervicibus Diſcipulorum depellere in animo habuerunt. Si*

legem moralem intellexerunt, ſequi, Chriſtianos ab obligatione legis moralis liberatos eſſe. Stapletonus addit quartam. *Sic ipſum Chriſtum tentâſſe Deum, dicens:* Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Hæc argumenta magno animo à Bellarmino & Stapletono jactata, majori contemnimus, quia nihil ſoliditatis habent. Reſpondemus igitur diſtinctè. Ad *primum*. Fuit omnino occaſio à circumciſione, & de ea diſputatum in Synodo. Neque ideo tamen Petri verba de Ceremoniali Lege tantùm agunt, quia non decretum continent, ſed rationem decreti. Rationem autem ſæpe altiùs aſſurgere, quis ignorat? Hoc autem loco rationem decreti longiùs repeti neceſſum fuit, quia Ceremoniarum uſus nunquam bene intelligi poterat niſi relatè ad Legem moralem. Ergo etiam Paulus in Epiſtola ad Galatas de Lege Ceremoniali diſputare non potuit, quin ad univerſam legem aſſurgeret, & de ejus uſu diceret. Hinc diſputationem ſuam de juſtificatione per fidem orditur cap. II. verſ. 16. *Scientes non juſtificari hominem ex operibus legis.* Ubi de univerſa lege agit, & ex præmiſſis illis concludit cap. V. 6. *Circumciſionem nihil ampliùs valere.* Eadem methodo hîc Petrus utitur. Et eſt manifeſta illatio talis: Legis onus eſt importabile. Circumciſio pertinet ad legis onus. Eſt ergo importabilis. Ad *ſecundum*. Neceſſarià fuerunt illa in decreto præcepta non ex Ceremonialis legis obligatione, ſed lege morali, cum qua pugnant tum ſcortatio, tum ſcandalum, ſi caſus præſtò ſit, quo mactabant infirmos illi, qui idolothyta, ſanguinem & ſuffocatum comedunt. Neque adeò ſequitur, non eſſe neceſſaria ex lege morali non colere idolum, non mœchari. Nam Bellarminus ipſe faſſus eſt, πορνείαν excipi, quia inter Gentiles pro adiaphora fuit habita. De qua re infrà videbimus. Ad *tertium*. Fuerit ſcopus Apoſtolorum, oſtendere, quòd circumciſio non ultra obliget. Hoc enim revera agitur. Sed quæſtionem ſuam concludunt ex medio hoc termino, nempe τῷ ἀβαστάκτῳ legis moralis, ad quam pertinet, Ceremonialibus mandatis obedire. Deinde dubitari nequit, quin etiam Lex moralis, ſecundum particularem aliquem ſui finem, fuerit abrogata. In Veteri Teſtamento Lex moralis hactenus fuit jugum ἀβάστακτον, quatenus attulit timorem mortis, à quo ortus eſt Spiritus ſervitutis. Singularis enim fuit Oeconomia legis in ordine ad populum Iſraëliticum pædagogica, quia fuerunt ſub lege, tanquam tutore rigido, ſevero, inſtante, flagellante. Libertatis jus ha-

buerunt,

buerunt, ſed non plenam fruitionem. Inde oculo intento in ſuum pædagogum metum mortis, & Spiritum ſervitutis conceperunt: altero oculo reflexo in ſuam adoptionem, fiduciam. In Novo Teſtamento jugum illud ſublatum, quod conſiſtebat in timore mortis & ſervitutis Spiritus. Ad *quartum.* Quomodo Chriſtus Deum tentavit? An jugum illud legalis obedientiæ juſtificandis impoſuit? Cur ergo in hunc mundum venit, ſi alio modo peccatores ſalvari potuerunt? Intererat Sapientiæ Divinæ, hominem ſibi & jugo ſuo relinquere, ſi reliquæ vires fuerunt etiam in ſumma hominis contentione, quibus eluctari & ad ſpem quoquo modo emergere potuiſſet. Cæterùm Chriſtus in Novo Teſtamento ad legem homines amandavit, non quòd doceret, eam ad ſalutem neceſſariam eſſe ſecundum impletionem, ſed quia neceſſaria ſecundum pœnitentiam.

Verſus XI. SED PER GRATIAM DOMINI JESU CHRISTI CREDIMUS NOS SALVOS FUTUROS) Hæc eſt concluſio θετική. Veram ſalutis cauſam promit, gratiam Domini Jeſu Chriſti, oppoſitè ad legem Moſis, tum ſanctitatem perfectam exigentem, tum placita ſua in dogmatis proferentem. Sed paulò diligentiùs ſingulos momentoſæ hujus ſententiæ apices excutiamus.

PER GRATIAM) In genere gratia eſt, quicquid ſine merito noſtro accepimus. Accepimus autem *eſſe, vivere, moveri*, Act. XVII. 28. Sic ipſa natura gratia eſt. Dedit enim Deus non merentibus; quippe non exiſtentibus. Juſſit ἐκ σκότους φῶς λάμψαι. 2. Cor. IV. 6. Uſitatum tamen Scripturis gratiam appellare, quod vim naturæ noſtræ ſuperat, & à bonitate Dei ſuperadditur. Cenſemus autem, hominem integrum non planè exſortem fuiſſe gratiæ Divinæ. Quamvis enim habuerit facultates, juſtitiam & cognitionem Dei, ſine qua natura ejus recta, bona, ſpiritualis & κεχωρισμένη τοῦ πνεύματος nequidem cogitari poterat, contra quam hîc periculoſiſſimè hallucinantur Pontificii; tamen ſuppoſita liberali Dei cum homine conventione, in qua ipſi obedienti ſtipulatus eſt mercedem æternæ in cœlo vitæ, gratia Dei conſpicua maximè fuit. Si in obedientia perſeveràſſet, naturalia quidem ipſi fuiſſent, extra fœderalem conventionem, vita, & beatitudo & benedictiones Cœlorum supernè, Abyſſi ſubjacentis, uberum & vulvæ, Geneſ. XLIX. 25. & communio Spiritûs ac ambulatio cum Deo. Hæc, inquam, extra fœdus

ipſi naturalia fuiſſent. Acceſſit huic naturali conditioni hominis integri fœdus ſupernaturale Dei, quo homini Deus ſtipulatus eſt vitam æternam, Spiritualem, per translationem ex terreſtri Paradiſo poſt decurſum obedientiæ curriculum in Cœlis degendam. Non eſt quidem hoc verbum promiſſionis Adamo ſupernaturaliter factum, directè in hiſtoria Sacra expreſſum: Omnino tamen implicitum habemus in Sacramento Arboris Vitæ in medio Paradiſi, Geneſ. II, 9. Et fœderalem conventionem interceſſiſſe utcunque, conſtat ex Hoſ. VI. 7. והמה כאדם עברו ברית *Et illi ſicut Adam tranſgreſſi ſunt fœdus.* Hæc ſtipulatio, naturæ etiam integræ indebita, procul omni dubio gratia fuit. Hinc interpretor illud Auguſtini in aureolo ad Laurentium Enchiridio, cap. CVI. *Etſi non peccâſſet, ſine gratia tamen nullum eſſe meritum potuiſſet.* Nempe tale meritum, cujus merces vita æterna extra Paradiſum in Cœlo tranſigenda. Homini peccatori etiam multiplex gratia affulget. Sed maximè illuſtris eſt illa, qua conſtat juſtificatio, & noſtra cum Deo reconciliatio. Operæ pretium eſt contemplari ὡς διὰ βραχέων, quibus artibus rectam de Gratia hac juſtificante perſuaſionem Sathanas ex animis hominum eximere laborârit. Nullum autem unquam peſtilentius organon habuit Pelagio, per quem Virginis Eccleſiæ florem hactenus illibatum decerpere ſuſtinuit. Omnis dimicatio ſuſcepta pro Helenâ illâ, τῷ αὐτεξουσίῳ, pro quo ipſe, Manichæiſmi odium præferens, omni laterum contentione decertavit. Ergo initio negavit, ad dilectionem Dei eſſe opus gratiâ. Vi naturæ ſatis hoc fieri poſſe, & ſine gratia legem Dei impleri, & tentationibus graviſſimis reſiſti poſſe. Cùm Auguſtinus operosè comprobaret, verum Dei amorem, cui retribuitur Spiritualis cum Deo communio, & ipſos actus charitatis, eſſe Spiritus S. donum, in quo habuit ſuffragium Concilii Carthaginenſis tertii, Sardiniani & Arauſicani, Pelagius pellem, non animum mutare cœpit. Agnoſcere enim cœpit gratiam, & per eam gratiam intellexit poſſibilitatem naturæ à Deo conditæ, id eſt, rationalem voluntatem. Sed oſtenderat Auguſtinus, Scripturam de gratia tali loqui, quæ vires naturæ excederet. Ergo cum naturali gratia pariter currere juſſit ſupernaturalem, ſed ſolam externam, quam in legis doctrina collocabat. Graviter autem reprehenſus & veritate ſubactus, addidit gratiam tertiam, qua ignoſcuntur peccata, tanquam equum παρήορον & funalem, quam neceſſa-

neceſſariam tamen omnibus eſſe negavit. Alios enim ſine peccato innocuam vitam tranſigere: alios ſe ad pœnitentiam renovare, & naturam ſuam inſtaurare. Contra quam aſſertionem Charthaginenſis Synodus ſtatuit Canone tertio: Gratiam Dei non ſolùm peccata dimittere, ſed etiam adjuvare, ne committantur. Depulſus igitur à ſua ſententia, quartam adjecit gratiam Chriſti, quam conſtituit in doctrina & exemplo Chriſti. Quemadmodum enim Adamus obfuit exemplo malo: Sic Chriſtum profuiſſe exemplo bono. Contra quem ſtrenuè pugnare perrexit antiquitas, & eò ipſum adigere, ut agnoſceret quintam gratiam, virtutis Divinæ auxilium intus per Spiritum Sanctum in homine operantis. In qua ſententia poſt tot anfractus ſubſtitit, neque largiri unquam voluit, plùs ſignificare gratiam, nempe non ſolam intellectûs illuminationem, ſed etiam voluntatis determinationem, & gratiam vel habitualem vel actualem voluntati additam. Hanc enim cum libero arbitrio ita pugnare, ut Manichæiſmus evitari nequeat. Ergo hominem ſui arbitrii viribus & propria voluntatis determinatione bonum ſpirituale, unionem cum Deo producere poſſe, ut jam juſtificationem naturæ per gratiam quocunque modo adjutæ fœtum conſtanter fecerit. Quàmvis verò multùm ſudârit Grotius, ut evinceret, Pelagium quintam hanc gratiam non agnoviſſe, ne videantur in Pelagio opiniones hujus temporis eſſe damnatæ; tamen ex hiſtoria hoc adeò liquet, ut nemo ſanus dubitare poſſit. Vide Gerhardum Johannem Voſſium, Polyhiſtora incomparabilem in Hiſtoria Pelagiana. Quam exiguo vel nullo intervallo cauſa Socinianorum & Pontificiorum diſparata ſit à Veteri Pelagiana, ignorare non poteſt, qui τὰ βάθη τῆς ἀπάτης ipſorum penetravit. Socinus enim præfractè negat, Scripturas nomine gratiæ quidquam aliud intelligere, quàm Evangelii, id eſt, Myſteriorum, captum naturæ ſuperantium, revelationem. In qua re quàm pernicioſè erret, intelligitur Scripturas vel à limine ſalutantibus. Illæ non correctionem tantùm intellectus gratiæ Divinæ tribuunt, ſed præcipuè voluntatis mutationem, & potentem tractum, & donum Spiritûs, per quem vocamus Dominum Jeſum, & fidem, quæ Chriſti juſtitiam apprehendit & applicat. Et cùm mortuus ſit in peccatis totus homo, reviviſcens per gratiam Dei intellectus, quomodo ad vitam excitare poteſt voluntatem, quæ malo eſt immortua? Corruptio carnis, ἀδυναμία ad ſubjiciendum

dum ſe legi Divinæ, lex peccati, quæ eſt in membris, hominem ſibi mancipans, cor lapideum, incircumciſum, homo vetus, homo animalis, cor ἀσύνετον, arbor mala, ſatis ſupérque arguunt voluntatis impotentiam, quæ juſtificationis jus nunquam attingere potis eſt. Pontificii nomine Gratiæ Dei infuſas qualitates, juſtificationem producentes intelligunt. Thomas, qui in hac de Gratia doctrina cæteris ſanior eſt, diſtinguit inter gratiam gratis datam, & gratos facientem. Ad illam refert omnia dona Spiritualia, creatas ſeu infuſas virtutes. Hanc dicit eſſe, quæ peccatores, ſuâ naturâ ingratos, Deo gratos acceptóſque reddit. Ac ſanè plauſum noſtrum Subtiliſſimus Doctor caperet, ſi hujus Gratiæ nomine intelligeret ſolum Dei favorem, quem ipſe etiam acceptationem vocat. Nam revera quod nos gratos & acceptos facit Deo, eſt gratia Dei in Chriſto, & favor ac acceptatio Dei. Verùm, quia ad extremum hanc gratiam gratum facientem interpretatur qualitates quaſdam in nobis à Deo per Spiritum ſuum creatas, ut eſt virtus Fidei, Spei, Charitatis, Regenerationis, & contendit iis nos juſtificari, immane quantùm à veritatis janua abluſit. Quærit: an hæc gratum faciens, ſicut revera aliquid ponit in Deo acceptante, aliquid etiam ponat in acceptato? Quam quæſtionem concludit intolerabilibus verbis: *Hæc bona, vitam ſcilicet æternam, Deus non vult alieni indigno.* Ergo Deus vult digno. Ergo ceſſat gratia, cui aſſurrexiſſe videbatur. *Sed digno datur,* inquit Thomas, *qui dignus eſt dono ſupernaturali, infuſa virtute.* Minimè verò, inquam. Nam nulla creata virtus dignos nos tanto bono efficere poteſt, nedum quæ eſt in nos collata. Inficitur enim contagione, quicquid boni in nos à Deo inſtillatur. Præterea manifeſti ſunt Pontificii concordiæ cum Pelagio in doctrina de Gratia contractæ. Nam, ſingula diligenter reputando, non plus tribuunt Gratiæ, quàm illuminationem intellectus, & talem motum voluntatis, quem non ſequatur neceſſariò & determinatè, ut reverà non aliud ſit, quàm invitatio, adhortatio, moralis ſuaſio, & ſuavis motio ad actum ſupernaturaliter bonum. Quid hîc animadvertere poſſumus, quo à Pelagiana Pontificiorum cauſa diſcernatur? Quin communiter ſtatuunt Scholaſtici, hominem poſſe ſecundum legem communem uſu naturalium, totam legem implendo, converti. Adeò ut Pius V. Gregorius XIII. Gregorium Ariminenſem, ſtatuentem, viribus naturæ non poſſe fieri ullum opus moraliter bonum, ſecundum omnes

nes circumſtantias, anathemate percuſſerit. Quicquid ſit, nos conſtanti adſeveratione tuemur, nomine illius Gratiæ, qua in Scripturis dicimur juſtificari & ſervari, nihil creatum aut infuſum in nos ſignificari, ſed ſolum Dei favorem ac benevolentiam, ſeu miſericordiam in Chriſto Jeſu, excluſis omnibus noſtris ſive naturalibus ſive ſupernaturalibus operibus & dignitatibus. Idque quatenus eſt Gratia.

DOMINI JESU CHRISTI) Ergo gratia ab effectu juſtificationis & ſalutis excludit quicquid non eſt Jeſus Chriſtus, ideóque virtus & juſtitia infinita, qua ſola noſter ad thronum Dei acceſſus, & cum Deo communio parabilis fuit. Nam opponit hoc loco Petrus gratiam Jeſu Chriſti jugo ἀβαςάκτῳ, quo, quia non portavimus, vivificatio dari non potuit. Ergo gratia juſtificans eſt gratia Jeſu Chriſti, qui eâdem operâ Spiritum regenerationis nobis impetravit. Nempe, juxta veriſſimum Eſajæ vaticinium cap. XLIX. 4.6. impetravit Chriſtus à Deo Patre, *ut non in caſſum laboraret, ad inane et vanum inſumeret vim ſuam, ſed ut haberet* פעלה *opera pretium apud Deum repoſitum: imò ut levius eſſet in oculis Dei, eſſe eum ſervum Dei ad erigendas tribus Iſraëlis, daretúrque in lucem gentium, atque eſſet ſalus ejus ad finem terræ.* Et Eſaj. LIII. 10. 11. *Dominus volentem enervare ipſum ad impotentiam redegit,* hoc eſt, Diabolum, qui Chriſtum oppugnabat, & calcem ejus admordebat, per ipſum deſtruxit; *Ubi poſuerit anima ejus ſatisfactionem, videbit ſemen, quod prolonget dies, & in cujus manu voluntas Domini proficiat. A labore, quem videbit anima ejus, ſatiabitur: in agnitione ſui juſtus ſervus meus dabit juſtificationem multis, & peccata ipſorum ipſe portabit.* Id quod Apoſtolus breviter & ἐνεργῶς tradidit Rom. V. 15. *Gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in multos abundavit.* Ob eam rem teſtatur Paulus: *Nos Chriſto convivificatos eſſe, & conreſuſcitatos, & conlocatos in ſupercœleſtibus in Chriſto Jeſu,* Epheſ. II. 5. 6. Ergo vivificatione Chriſti mortui, & ejus reſuſcitatione & exaltatione in Cœlum Deum Patrem Filio, ut jam perfecto & per paſſiones conſummato principi ſalutis filiorum Dei, & ſponſori pro iis adhuc in peccatis mortuis, obſignâſſe vivificationem & reſuſcitationem, & glorificationem noſtri, qui jam nunc credimus, & omnium, qui credituri ſunt. Hoc ſignificat gratia Dei, non ullum actum creaturæ, propter quem acceptari mereatur. Diſertè rurſum Apoſtolus: *Elegit nos, & prædeſtinavit ad adoptionem per Jeſum Chriſtum,*

ad laudem gloriæ & gratiæ ejus,in qua nos ἐχαρίτωσεν ἐν τῷ ἠγαπημένῳ,Epheſ.I.4.5.6. non in ulla dignitate noſtra. Eadem vis hujus vocabuli,Gratia,quoties in negotio ſalutis noſtræ nominatur? Paulus Rom.III.24. Δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι. An gratiâ,id eſt,infuſo habitu charitatis , contrarium habitum peccati expellentis? Conſtanter nego. Sed gratiâ,id eſt,gratuito Dei favore,excluſis ſive naturalibus ſive ſupernaturalibus noſtris dignitatibus,per ſolam ἀπολύτρωσιν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Aliàs gratia non eſſet gratia, ſed opus noſtrum,quæ duo Apoſtolus negat cohærere poſſe. Neque nomine operum, quæ gratiæ opponit, uſpiam intelligit Paulus externa tantùm opera à lege mandata,ſed omnes etiam internas virtutes,& fidem ipſam,quatenus opus eſt quoddam intellectûs & voluntatis; id quod manifeſtum eſt cuilibet,vel mediocriter in ea Epiſtola exercitato. Et Chriſtus in hanc rem nimis apertus Luc.cap.XVII.verſ. 10. *Cùm feceritis omnia,quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus,quia,quod debuimus facere,fecimus.* Hîc omnem noſtram, etiam perfectiſſimam obedientiam merito ſpoliat. Nominat omnia, quæ ſervi debent,& quæ imperio heri imponuntur. An tantùm externa facta Deo debemus,& internis utiles Deo ſumus,ut propter eorum dignitatem,favorem & acceptationem Dei mereamur? Abſit inſania. Hoc fortiùs patet ex Abrahami exemplo Rom. cap. IV.verſ.16. Juſtificatus eſt κατὰ χάριν. An gratiâ,id eſt,infuſo ſupernaturali habitu? Atqui *non ex operibus, ne haberet, quod coram Deo gloriaretur*. Verſ.2.4.5. Hic ſe expediat Pelagiana Schola. Juſtificatus non ex operibus. Quibus? Malis? At nemo unquam malis operibus juſtificationem tribuit. An adiaphoris? At neque de iis ulla unquam inſtituta diſputatio. An externis,vel ſine fide, & auxilio Dei factis? Atqui mala ſunt opera externa, quæ non pullulant à recto affectu animi. Mala ſunt,quæ ſine fide fiunt. Mala,quæ ſine auxilio ſpeciali Dei. Cur diſputaret Apoſtolus,malis operibus juſtificationem non deberi,quod nemo hominum animi compos aſſerere potuit? Reſtat,ut gratia Dei,qua juſtificatus fuit Abraham,& omnes,qui credunt in eum,qui Jeſum Dominum noſtrum ex mortuis ſuſcitavit,fuerit omni modo extra Abrahamum,& omnes fideles,in Deo,ejus favore,gratia,benevolentia,acceptatione in dilecto illo, Domino noſtro Jeſu Chriſto; quam propterea Jeſajas vocat רצתה נפשי cap.XLII. verſ. 1.

CREDI-

CREDIMUS) Fide adducitur gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti. Non alia ſunt à parte noſtra adductionis hujus & applicationis inſtrumenta. Eſt nempe fides radix ſalutis, cui tribuitur in S. Literis effectus unionis & communionis cum Chriſto, juſtificationis, ſanctificationis, & vitæ æternæ. Hæc omnia fidei competunt, quatenus illa nos cum Chriſto συμφυτεύει, complantat & συσσωματίζει, adcorporat, dum & promiſſionem ac donationem gratiæ Chriſti ratam & irrevocabilem facit per acceptationem, & conſummat ſpirituale noſtrum cum Chriſto matrimonium, & agglutinat ipſi affectus noſtræ animæ, qui tanquam radius amoris repercuſſus vinculum illud indiſſolubile efficiunt. Hanc fidem efficit in nobis Spiritus Sanctus, qui fidelium corda, cùm vocantur, & adeſt hora ſalutis, ita Chriſto conciliat, quemadmodum naturaliter ſumus affecti erga cibum, & infans erga lac maternum; ut ſic bonis ejus ſatiari, & expleri cupiant, tandémque omiſſa omni ἀποστολῇ, id eſt, animæ ſuæ ſuffugio ad aliud nomen vel præſidium in & ſub Cœlo. Habac. cap. II. verſ. 4 Hebr. cap. X. verſ. 39. ſe & curas ſuas ſubmiſsâ animi fiduciâ in Chriſtum rejiciant. Hoc officium juſtificantis fidei ſolidè ignorant omnes juſtitiarii, qui legalis obedientiæ, & humanarum ſatisfactionum fragili vinculo illam συσσωμάτωσιν cum Chriſto quærunt.

NOS SALVATUM IRI) Σωθῆναι. Salus igitur eſt per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti. Propter quam dulciſſimum nomen Jeſu Angelus ipſi induit, *quia populum ſuum ſalvum faciet*, Matth. cap. I. verſ. 21. Retinetur hoc nomen in Lingua Græca, Chaldaica, Syriaca, Arabica. Eſt autem hæc ſalus per Chriſtum parta duplex, gratiæ nempe & gloriæ. Ad illam juſtificatio & ſanctificatio: ad hanc glorificatio pertinet. Manifeſtæ ſunt in hanc rem Scripturæ. Et tamen in noſtra tempora reſervati homines, qui hanc tam evidentem, támque clarè inculcatam veritatem de gratia Domini Jeſu juſtificante, ſanctificante & glorificante, ſuſtinuerunt obnubilare, imò Orco ſepelire. Socini gentem intelligo, quæ gratiam Jeſu Chriſti σωτήριον negat ſe ad juſtificationem extendere, & ad Spiritum regenerantem, ac cor rude & præputiatum circumcidentem. Ergo Servatorem appellari, *quia ſalutis æternæ viam revelavit, eandem tum vitæ ſuæ exemplo, tum martyrio, tum reſurrectione mirificè confirmavit, & vitam æternam nobis ipſi fidem habentibus actu aliquando col-*

laturus ſit. Negat ergo dare Chriſtum nobis ſalutem, peccata noſtra compenſatione ſeu ſatisfactione delendo & expiando: de Jeſu Chriſto Servatore lib. I. cap. I. Sic Schlichtingius: *Chriſtum Jeſum vocari, quia Dei nomine ad nos venit, fœdus nobiſcum pan xit, ejúſque promiſſiones ratas fore ſpopondit, & in ſe recepit*, ad Hebr. VII. 22. An ergo Sponſor fœderis Chriſtus, ſalutis noſtræ Princeps & Conſummator, nihil aliud in noſtri gratiam præſtitit? Imò, an, quâ Sacerdos, pro ſalutis noſtræ impetratione, ſe Deo in Sacrificium non obtulit? Quæ ſunt partes, dictante Apoſtolo in Divina ad Hebræos Epiſtola, veri Sacerdotis. Sed Sacerdotium Chriſti in eo conſiſtere vult Socinus; *quòd ille, pro quo ſpopondit Chriſtus, nempe Deus per ipſum Chriſtum ſua nobis promiſſa exhibeat. Chriſtum enim, quatenus Sacerdos eſt, nihil magis in Cœlis nunc agere, quàm quod promiſſa Divina nobis præſtet, hoc eſt, peccatorum pœnas auferat, Divinis donis & muneribus nos cumulet, ut tandem nos Cœlo afferat.* Sic ergo Chriſtus erit Sponſor pro Deo apud nos, & Sacerdos pro Deo apud homines: & cùm ex hypotheſi illorum ſit merus homo, ſpondebit homo pro Deo, neque intercedet apud Deum, ut Sacerdos, ſed regia poteſtate promiſſa Dei præſtabit. Atqui Sacerdotis eſt victimam ponere pro eo, pro quo ſpopondit, & propter repræſentationem carnis in victimam petere hæreditatem teſtamento ſcriptam, & eam juſtificare, ac ſanctam & puram ad gloriam tranſmittere. Si gratia Domini Jeſu, Sacerdotis noſtri, non alia ratione ſalutem nobis impetrat, quàm ſub conditione obedientiæ, & quidem ejus, quæ Chriſtum pro exemplari habeat, nunquam fidem facere poterit, nos aſſecuturos eandem gloriam, quin potiùs coget de ſalute noſtra, ſi verè peccata noſtra æſtimemus, quæ & admiſimus, & per infirmitatem carnis admittemus, deſperare. Sed mittamus deteſtabilem doctrinam, in qua non modica tum Samoſateniani tum Pelagiani erroris veteris fibra apparet.

SICUT ET ILLI) Κἀκεῖνοι. Catechiſmus Rackovienſis pag. 308. 309. Socinus lib. quod regni Poloniæ, &c. cap. 5. pag. 62. Smalcius contra Francium diſput. 4. de juſtificat. pag. 69. τὸ κἀκεῖνοι referunt ad τὰ ἔθνη, quorum meminit Petrus v. 7. 8. 9. *Quia frequens ſit, Relativum non ad proximè præcedens, ſed paulò longinquiùs referri, & neutro ſæpe relativum maſculini generis jungatur, Johan. cap. IX. verſ. 22. Rom. cap. II. verſ. 14.* Sic eludere conantur perverſi homines argu-

argumentum noſtrum, quo probamus, Patres Veteris Teſtamenti Juſtificatos eſſe per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et ſanè hic locus hæreticam illorum opinionem quolibet ariete fortiùs contundit. Nam de juſtificatione agitur, & idem τρόπος, idem modus juſtificandi declaratur tam Patres, quàm Petrum & fideles quoslibet Novi Teſtamenti, nempe per gratiam Domini Jeſu Chriſti. Ergo nodum hunc ſimpliciter ſecant, non ſolvunt, *de Gentibus ſermonem eſſe, non de Patribus Veteris Teſtamenti.* Atqui Socine, non Gentilium ſalus & juſtificatio eſt norma & cauſa exemplaris ſalutis fidelium, nec de ſalute Petri & fidelium in principali quæſtione actum, ſed de ſalute Gentilium. Debuit ex mente Socini Petrus dicere: *Lex non eſt imponenda cervici Gentilium vel diſcipulorum, quia etiam nos eodem modo ſalvabimur, quo illi.* Quæ hîc argumenti neceſſitas? Imò quid facit hæc oratio ad ſeipſum, qui potiùs pervertitur hoc ratiocinio, quàm tangitur? Deinde manifeſta nimis eſt antitheſis inter jugum & gratiam Jeſu Chriſti. Jugum non portârunt Patres. Quo ergo modo juſtificati, quando non datur abſque portatione & ſatisfactione relaxatio? Nempe gratia Jeſu Chriſti, qui jugum maledictionis & chirographi ſuſcepit, & illud in cruce portavit, portatum ſuſtulit, atque ſic nobis omnimodam libertatem acquiſivit. Qui non videt particulam adverſativam ἀλλὰ, negationi proximæ reſpondere, næ ei nihil coloratum eſſe poteſt. Faceſſat igitur fraudulenta detorſio. Nempe revera *quemadmodum in Adamo omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes vivificantur,* 1. Corinth. X. verſ. 22. *Neque eſt in quoquam ſalus extra Chriſtum,* Act. IV. verſ. 12. quod ad Nov. Teſtam. non poteſt reſtringi, quia Apoſtolus eo loco urget neceſſitatem ſalutis per Chriſtum conſequendæ. Deinde diſertis verbis Chriſtus dicitur redemiſſe τὰς ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεις *illa quæ erant ſub primo fœdere peccata,* Hebr. IX. verſ. 15. Quod nequit in eum ſenſum detorqueri, ut intelligantur peccata ejusdem generis, Chriſtum nempe ejusmodi peccata ſanguine ſuo redemiſſe, quæ ſacrificiis legalibus expiari non potuerunt. Pugnat hoc cum Apoſtoli ſcopo, qui eſt oſtendere, ſacrificium Chriſti neceſſarium eſſe. Nam ſi in Vet. Teſtam. peccata ullo ſacrificio ſunt expiata, nihil erat opus ſacrificio in Novo Teſtamento. Sed Apoſtolus hoc voluit, peccata non fuiſſe expiata in Veteri Teſtamento. Itaque opus fuiſſe ſacrificio in Novo Teſtamento. Aliâs Patres periiſſent.

Hinc verſ.22.dicit: *Sine ſanguinis effuſione non eſſe remiſſionem.* Poſſet hoc facilè refelli, ſi Patres ſine ſanguinis effuſione redempti ſunt. Interceſſit quidem ſanguis hircorum & taurorum. Sed negat Apoſtolus, illum potuiſſe purgare conſcientiam, & indidem concludit, fuiſſe neceſſariam redemptionem per Chriſtum. Imò verſ.23. dicit, *neceſſum fuiſſe, ut Cœlum purgetur præſtantiori aliquo ſacrificio.* Cœlum autem non ratione ſui, ſed ratione noſtri ſanctificatur. Nondum quidem Chriſtus in Vet. Teſtam. homo factus eſt. Potuit tamen retroagi mortis Chriſti efficaciâ. Nam meritum Chriſti eſt cauſa moralis Juſtificationis, cujus hæc ratio eſt, ut vim habere poſſit, cum nondum eſt actu, modò, ut loquuntur in Scholis, habeat *eſſe cognitum.* Cujus exempla ſunt in vita quàm plurima. Nullum enim eſſe inter homines commercium poſſet, ſi vim promiſſa non haberent, niſi poſtquam ſunt impleta.

CAPUT XI.

Conciliaris ſententia Jacobi diſcutitur.

Breviarium.

Iacobi Conciliaris ſententia exponitur. Silentium multitudinis non fuiſſe argumentum præſidentiæ Petri. Deum per miracula hodie non atteſtari veritati. Quæ ratio ſit, diſquiritur. Iacobus quis fuerit? Quomodo frater Chriſti? An Συμεὼν *&* Σίμων *nomina diſtincta? Cur Simoni inditum nomen Petri? Toletus, Baronius cenſentur. Iuſtini Martyris obſervatio probata.* Ἐπεσκέπτετο ἐξ ἐθνῶν. *Populum ſumere ſuo nomini. Scripturarum authoritas. Prophetia Amoſi illuſtratur. Abarbanel notatur.* סכת דוד. Σκηνὴ Δαβὶδ *Chriſtus eſt. Locus 2. Sam. VII. 11.* Κατεσκαμμένα. הרסות *Amoſus & Iacobus conciliantur. LXX. Interpretes non ſunt authentici. Cur præcipuè Edom à reliquis Iſraelis hæreditandus? Locus Pſal. LX. 10. 11. expoſitus. Invocare nomen ſuper aliquo. Verba Iacobi: Deo ab æterno omnia ſua opera ſunt nota, explicantur & à Socini corruptelis vindicantur.*

cantur. Παρενοχλεῖν. *Inquiritur in genuinum ſenſum verſus XXI. Chryſoſtomus, Cornelius à Lapide, Grotius, Curcellæus, Stephanus Aretus improbantur. Bezæ explicatio adoptatur. Lectionis Legis in Synagogis antiquitas.*

GRaviſſimam Petri Orationem, quâ Gentiles hactenus converſos aſſeruit in communionem gratiæ Jeſu Chriſti, & jugum ἀβάστακτον illorum cervici intentatum depulit, excepit tum Barnabæ & Pauli, tum Jacobi ſermo. Commemorat Lucas continuis verſibus decem, qui ſequuntur.

12. Ἐσίγησε δὲ πᾶν τὸ πλῆθος, καὶ ἤκουον Βαρνάβα καὶ Παύλου ἐξηγουμένων, ὅσα ἐποίησεν ὁ Θεὸς σημεῖα καὶ τέρατα ἐν τοῖς ἔθνεσι δι' αὐτῶν.	12. *Tacuit autem tota multitudo, & audiebant Paulum & Barnabam narrantes, quæcunque Deus edidiſſet ſigna & miracula inter Gentes per ipſos.*
13. Μετὰ δὲ τὸ σιγῆσαι αὐτοὺς, ἀπεκρίθη Ἰάκωβος, λέγων. Ἄνδρες ἀδελφοὶ, ἀκούσατέ μου.	13. *Et poſtquam conticuiſſent, reſpondit Jacobus, dicens: Viri Fratres, audite me:*
14. Συμεὼν ἐξηγήσατο, καθὼς πρῶτον ὁ Θεὸς ἐπεσκέψατο λαβεῖν ἐξ ἐθνῶν λαὸν ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ.	14. *Symeon narravit, quemadmodum Deus primum viſitaverit, ut ſumeret ex Gentibus populum in nomine ſuo.*
15. Καὶ τούτῳ συμφωνοῦσιν οἱ λόγοι τῶν προφητῶν. Καθὼς γέγραπται.	15. *Et huic conſonant verba Prophetarum, ſicut ſcriptum eſt:*
16. Μετὰ ταῦτα ἀναστρέψω, καὶ ἀνοικοδομήσω τὴν σκηνὴν Δαβὶδ τὴν πεπτωκυῖαν, καὶ τὰ κατεσκαμμένα αὐτῆς ἀνοικοδομήσω, καὶ ἀνορθώσω αὐτήν.	16. *Poſthac revertar & readificabo tabernaculum David, quod collapſum eſt & diruta ejus inſtaurabo, & erigam illud.*
17. Ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων τὸν Κύριον καὶ πάντα τὰ ἔθνη, ἐφ' οὓς ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μου ἐπ' αὐτούς. Λέγει Κύριος, ὁ ποιῶν ταῦτα πάντα.	17. *Ut requirant, qui reliqui ſunt homines Dominum, & omnes gentes, ſuper quas invocatum eſt nomen meum; dicit Dominus, qui facit hæc omnia.*

18. Γνωστὰ

18. Γνωστὰ ἀπ᾽ αἰῶνός ἐστι τῷ Θεῷ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ.

19. Διὸ ἐγὼ κρίνω, μὴ παρενοχλεῖν τοῖς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἀποστρέφουσιν ἐπὶ τὸν Θεόν.

20. Ἀλλὰ ἐπιστεῖλαι αὐτοῖς τοῦ ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων, καὶ τῆς πορνείας καὶ τοῦ πνικτοῦ, καὶ τοῦ αἵματος.

21. Μωσῆς γὰρ ἐκ γενεῶν ἀρχαίων κατὰ πόλιν τοὺς κηρύσσοντας αὐτὸν ἔχει, ἐν ταῖς συναγωγαῖς κατὰ πᾶν Σάββατον ἀναγινωσκόμενος.

18. *Nota à Seculo ſunt Deo omnia hæc opera ſua.*

19. *Quapropter ego cenſeo, non obturbandum eſſe illis, qui ex gentibus convertuntur ad Deum.*

20. *Sed ſcribendum ad eos, ut abſtineant ſe ab inquinamentis ſimulacrorum & ſcortatione, & ſuffocato & ſanguine.*

21. *Moſes enim ab ætatibus antiquis in ſingulis civitatibus habet qui ipſum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur.*

Verſus XII. TACUIT AUTEM TOTA MULTITUDO) Oratione Petri nonnihil compoſita, quæ à principio turbare cœperat. Nempe ejuſmodi erant argumenta Petri, ut adverſariis, quod reponerent, non eſſet in promptu. Cornelius à Lapide hoc multitudinis ſilentium trahit in argumentum præſidentiæ Petri. *Suo ſilentio*, inquit, *reverens Petrum, & ejus dicta approbans, ipſius ſententiæ & definitioni acquievit.* Scilicet Concilio illi interfuerint Pontificii, qui in Reverentia Petri, tanquam ſummi Pontificis ita ſtupuerunt, ut in caudices & ſaxa abirent. Non fuit, Corneli, fictitia præſidentia Petri hujus ſilentii ratio, ſed claritas argumentorum, quibus nemo obmutire poterat. Hæc vis veritatis eſt, non authoritatis, ad ἐχεμυθίαν redigere. Cæterùm *multitudinis* meminit Lucas. Quod vel intelligi poteſt de toto Synodi corpore, vel de Eccleſia etiam Hieroſolymitana, quæ non tantùm per delectos ad Concilium, & conſultationem inſtitutam, ſed tota adfuiſſe videtur.

ET AUDIERUNT BARNABAM ET PAULUM) Hi ſecundo loco ſententiam dicunt, & approbant ſummam eorum, quæ dixerat Petrus, ſed alia ratione utuntur, quæ ſequitur.

NARRANTES, QUÆCUNQUE DEUS EDIDISSET SIGNA INTER GENTES) Argumento non minùs evidenti comprobant. Gentiles ad communionem gratiæ ſine circumciſione, ſola dignatione Dei pertigiſſe. Quaſi dicerent: Si ex eo teſtimonio, quod Deus Gentibus incircumciſis dedit per Petrum in converſione Cornelii, ſtatuitis, non eſſe Gentibus Moſis legem

legem imperandam, quid de eo facietis, quòd Deus eiſdem gentibus per miracula noſtra inter illas patrata tam clarè atteſtatus eſt? Ac deinde narrârunt miracula in Cypro, Piſidia, Lycaonia, &c. quæ ſuperioribus capitibus commemorantur. Apparet hinc, teſtimonium per miracula Deum perhibere, ſi quando novandus eſt Eccleſiæ ſtatus, & infideles ad illam adducendi. Nullo igitur jure à Reformatoribus noſtris, quorum Sacro-Sancta nobis memoria eſt, Pontificii miracula poſtulârunt. Equidem non novârunt Eccleſiæ ſtatum, ſed renovârunt ad veterem normam, ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει Jud. v. 3. Neque res iis fuit cum Gentilibus, vel ejuſmodi aliis, apud quos nomen Chriſti nondum nominatum, ſed cum iis, qui Chriſto nomen ſuum Sacramento dederunt. Alia & maximè diſparata ratio fuit Chriſti & Apoſtolorum, & Eccleſiæ libertate uti incipientis. Nam eo tempore & Eccleſiæ ſtatus novandus fuit, & antiquanda vetus falſa Gentilium doctrina, hoc eſt, Eccleſiæ, quæ hactenus in forma ſervientis erat, ſtatus commutandus fuit liberiori, & Gentiles hactenus repudiati, in viis ſuis euntes ab idololatrico cultu ad Chriſtum convertendi. Hîc Deo placuit, Gentibus & Judæis per Evangelii ſignacula μαρτυρῆσαι, quò Chriſtus agnoſceretur, & à Gentibus & à Judæis, & major Moſe, cujus decreta antiquanda, & Conciliator Iſraëlis, & Ablator ac Sanator morborum noſtrorum, & mortis Triumphator, & Sanator animæ per doctrinam, atque adeò is, in quo promiſſiones Dei haberent τὸ ναὶ & τὸ Ἀμήν. Quæ omnia, quia à Reformatoribus noſtris comprobari non debuerunt, quippe claris Scripturis jam demonſtrata, & miraculis Chriſti & Apoſtolorum corroborata, & à toto Chriſtianiſmo ſaltem profeſſione recepta; non neceſſe habuerunt miraculorum acceſſione ſibi fidem conciliare. Imò cum tam evidentibus documentis res conteſtata fuerit, Deum tentâſſet, quiſquis à miraculis præſidium addidiſſet vel expetiiſſet. Veriſſimè & ſapientiſſimè, & planè ex mente noſtra, & ex neceſſitate Eccleſiæ Auguſtinus contra Fauſtum lib. 13. cap. 5. *Vnde huc exiſtis, unde confiditis? Scripturas tanta authoritate firmatas commendatáſque reſpuitis, miracula non facitis: quæ ſi faceretis, etiam ipſa in vobis caveremus per inſtruentem nos Dominum & dicentem: Exurgent multi Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & facient ſigna & prodigia multa, ut fallant, ſi fieri poteſt, etiam electos, Ecce prædixi vobis.* Uſque adeò *nihil credi voluit*

adverſùs confirmatam Scripturarum authoritatem, quæ fidem ſuam rebus ipſis probat, quæ per temporum ſucceſſiones hæc impleri & effici oſtendit, quæ tanto antequam fierent prænunciavit.

Verſus XIII. ET POSTQUAM CONTICUISSENT, RESPONDIT JACOBUS) Jacobus, Filius Alphæi, in catalogo Apoſtolorum ordine nonus, Matth. cap. X. 3. Vocatur Frater Domini, Gal. I. 19. Photius dicit, Fratrem Domini vocari ob ſimilitudinem cum Chriſto. Parùm probabile. Nam etiam alii dicuntur Fratres Chriſti, Joh. XX. 17. Quos omnes ſimiles Chriſto fuiſſe nemo dixerit. Frater igitur Chriſti vocatur, quia conſanguineus, quippe natus ex Matertera Chriſti, Alphæo nupta. De vita, morte & conſtantia hujus Apoſtoli videſis Euſebium Hiſt. Eccleſ. II. 23. & Joſephum Antiq. XX. 16. Reſpondere dicitur uſitato Hebraiſmo etiam non interrogatus, qui ſermonem inchoat, ut notum eſt. Cæterùm jam ſupra obſervavimus & probavimus, Jacobi ſententiam fuiſſe definitivam, ut Præſidis. Quamobrem noluimus hîc per eandem lineam ſerram reciprocare.

DICENS) Summa dictorum: Congruere ſententiam Petri cum ſcriptis Prophetarum & Divinis oraculis, ideóque recipiendam, & pauculis additis de neceſſaria à quibuſdam abſtinentia, in eam decretum formandum: id quod re ipſa facit.

Verſus XIV. SIMON NARRAVIT) *Συμεών*. Alibi *Σίμων* vocatur. Sunt, quibus videatur eſſe duo diſtincta nomina. Rectiùs divinat Laurentius Valla, quem ſequuntur Eraſmus, Beza, Cornelius à Lapide, nihil intereſſe inter Simon & Simeon: niſi quòd Simeon Hebraicè dicatur, Græcè inflexa voce Simon. Nempe Hebraicè dicunt שִׁמְעוֹן per Scheva quieſcens, quod Græci faciunt mobile. Niſi malimus dicere, Gutturalem ע modò planè non exprimi, modò habere correſpondentem vocalem E. Notum enim, literas Gutturales in aliis linguis non habere conſonas, quæ reſpondeant, ſed ab illis liberè aſſumi vocalem, vel planè omitti. Toletus in Joh. 1. annotat. 64. deducit à Rad. שמן impinguavit, ut Simon idem ſit quòd pinguis, vel impinguatus oleo, & gratiâ Spiritûs S. Nimis jejunè. Eſt enim Simeon שמעון audiens, obediens. Chriſtus *μετονομάζει* Joh. I. 43. & vocat Simeonem Cepham, Petrum. Rationem reddit Baronius, nempe primatum Petri, ſeu omnipotentiam Romani Pontificis. Ita ubique in themate ſuo primario ſtupet. Alii ſunt, qui aliud

nihil

nihil Chriſtum ſpectâſſe contendant, niſi ut hoc novo cognomine Simeonem, Andreæ Fratrem, diſcerneret à Simone Cananite, ſive Zelota. Nimis iſtud dilutum, & alta Chriſti ſapientia indignum. Juſtinus Martyr in Tryphone eruditè obſervat, Chriſtum, cùm Eccleſiæ ſuæ jaciebat fundamenta, inter alia numero infinita argumenta, quibus probavit, eundem ſe eſſe illum Deum, quem Prophetæ & Patriarchæ adoraverant, iſtud etiam adhibuiſſe, quòd diſcipulorum ſuorum nonnullis nova nomina impoſuit, ſicut olim in Abrahamo, Sara & Jacobo erat factum. Nimirum dominantis eſſe, & illius, qui aliquem in ſua poteſtate habeat, novum illi nomen imponere. Deinde haud dubiè novo nomine Chriſtus Petrum ſui officii voluit monere, ſicut ſapienter olim Stoici cenſuerunt, nomina eſſe fontes, unde in hac vita officia manant. Admonere igitur Chriſtus Simonem voluit, ut conſtans ſit in profeſſione Chriſti, & ſi alibi fortaſſe mollis, hîc ut petra.

QUEMADMODUM DEUS PRIMUM VISITAVERIT UT SUMERET EX GENTIBUS) Ἐπεσκέψατο λαβεῖν ἐξ ἐθνῶν. Videtur eſſe metatheſis vocum Hebræis uſitata, in hunc ordinem reſolvenda: Deus viſitavit ex Gentibus, id eſt, gentes, ut ex iis ſumat &c. Abſque hac metatheſi eſt, erit obſcura Jacobi oratio. S. Cyprianus lib. II. contra Judæos cap. 7. pro *viſitavit* habet *proſpexit*, alii *providit*, alii *cogitavit*. Quæ eodem redeunt. Sic Lucas cap. I. verſ. 68. Benedictus Dominus Deus Iſraëlis ὅτι ἐπεσκέψατο καὶ ἐποίησε λύτρωσιν τῷ λαῷ αὐτοῦ. Sumere populum notat actum gratuitum miſericordiæ Dei, ſibi ſecernentis populum ex iis, qui ſedebant in tenebris & umbra mortis. Iccirco Lucas illam ἐπισκοπὴν deputat τοῖς σπλάγχνοις ἐλέους τοῦ Θεοῦ, Cap. I. 78, 79.

POPULUM) Hactenus Deus unum & alterum ex gentibus viſitaverat, & ad Judaiſmum, ſusceptis ejus ritibus, traduxerat. Sed in univerſum gentes fuere lo-Ammah, & lo-Ruhamah. Nunc cùm viſitat Deus ex alto, fiunt populus Dei, quem Deus commiſeratione proſequitur. Confer Jeſ. XLIII. 1. 3. 4. 6. 7. Pſal. C. 3.

NOMINI SUO) τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. Beza, idem quod לשמו Eſt autem περιφραστικῶς dictum *Nomini ſuo*, id eſt *ſibi*. Aut huc reſpexit Jacobus, quòd Sancti à Chriſto Chriſtiani cognominentur. Hæc poſterior explicatio magis placet, recepta etiam Gloſſæ, Hugoni, Vatablo. Hebraiſmus eſt, quo populum Deus dicitur ſumere

Digitized by Google

nomini ſuo, id eſt, qui de nómine ſuo Eccleſia Dei vocetur, & propter illam adoptionem Deum glorificet, & ei in decoro Sanctitatis ſerviat. Apud Hebræos הקרא בשם יהוה vocari de nomine Dei. Confer Geneſ. IV. 26.

Verſus XV. ET HUIC CONSONANT VERBA PROPHETARUM) Provocat ad tempus promiſſionis, Prophetiæ, viſionis & exſpectationis. Sic moris eſt Apoſtolis ad Moſen & Prophetas dictorum ſuorum veritatem referre. Et ut authoritatem ac potentiam verbi Dei æſtimare diſcamus, Jacobus illam proponit evidentibus teſtimoniis Dei, à donato gentibus Spiritu Dei, à purificatione cordis, à fide, à gratia Jeſu Chriſti, à ſignis & miraculis inter gentes patratis, quibus omnibus beneplacitum Dei de libertate à lege ceremoniali, & communione gentium abſque circumciſione cum Iſraële in ea, Apoſtoli Petrus & Paulus ſupra clariſſimè demonſtrârunt. Hæc omnia Jacobus obſignat authoritate verbi Dei, quo libertatem illam præindigitatam à Prophetis convincit. Suo nos exemplo docens, quanti Deum per Moſen & Prophetas loquentem & promittentem, & viam ſalutis monſtrantem pendere debeamus.

SICUT SCRIPTUM EST) Ex multis oraculis unicum citat, quod extat apud Amoſum cap IX. v. 11. 12. Verba Amoſi:
ביום ההוא אקים את סכת דוד הנפלת וגדרתי את פרציהן
והרסתיו אקים ובניתיה כימי עולם: למען יירשו את שארית
אחום זכל הגוים· אשר נקרא שמי עליהם נאם יהוה עשה זאת:
Hoc eſt: *Die illa excitabo tabernaculum Davidis collapſum, & ſepe circumdabo rupturas ejus, demolitionéſque ejus inſtaurabo, readificabóque eam ut retro temporibus, ut poſſideant reliquias Edom, & omnes alias gentes, quæ nomine meo vocantur, dicit Dominus, faciens iſtud.* Argumentum Jacobi: Tabernaculum Davidis in Chriſto reſtaurandum, ejuſdémque beneficio Eccleſiam Iſraëliticam gentes hæredítaturam: Ergo gentes ſine jugo legali ad communionem Chriſti pertinere. Excutiemus ſingula.

Verſus XVI. POSTHÆC) Denuntiavit vates Judæis ſingulare Domini judicium in Reipublicæ Iſraëliticæ delectione, & ſtatu populi eam conſequente, à verſu nono capitis octavi ad ſextum noni. Defendit æquitatem judicii Dei, à verſu ſexto uſque ad undecimum.

cimum. Poſthæc, quid facturus ſit Dominus, ediſſerit. Hebræus textus: ביום ההוא In die illo. Intelligenda ſunt de tempore Meſſiæ, quo Eccleſia Chriſti omnino inſtaurabitur. Abarbanel: באותו זמן דל הקצוב לפני והמגבל אצלי לגאלה *In tempore illo, hoc eſt, definito coram me & determinato apud me ad redemptionem.* Sic tergiverſatur Judæus, ne determinatum temporis articulum cogatur in Meſſia figere, aut ſigna temporis agnoſcere, quibus ſpes & conſolatio fulciatur. Deinde addit: *aut eo tempore, quo conſumentur peccatores, & jactabuntur atque exagitabuntur.* Contendit his verbis, Chriſtum demum venturum poſt peractam illam Judæorum exagitationem. Quam detorſionem, ex συναφείᾳ præcedentium, octo rationibus confutavit Doctor Coccejus in Dodecaproph. p. 234.

REVERTAR) Non eſt in Hebraico textu: ſed ſenſu convenit. Prædixit enim deletionem Reipublicæ Iſraëliticæ, poſtquam ceſſante ira & juſto judicio, Deus ad priſtinum ingenium & bonitatem rediturus. Sic egregiè docet, cum antecedentibus connectenda, quæ recitaturus ex Amoſo.

ET RURSUS ÆDIFICABO TABERNACULUM DAVID) סכת דויד σκηνὴ Δαβίδ. סכה ad verbum idem eſt, quod opertorium, velamentum, tegumentum, tectum. Promiſerat Davidi Deus domum 2. Sam. VII. 11. כי בית יעשה לך יהוה *Domum tibi faciet Deus.* Hanc domum ipſe David interpretatur, non pertinere ad ſemen ſive domum ſuam carnalem, quippe אל כן *non rectam* coram Deo; ſed ad ברית עולם *fœdus æternum*, fixum ſibi, expoſitum inter omnes, & ſervatum de ſalute Davidis & εὐδοκίᾳ. Quæ igitur 2. Sam. VII. dicta de domo Davidis, non κυρίως de Salomone intelligi, ſed de Chriſto, ad quem etiam applicat Paulus Hebr. I. 5. Ἐγὼ ἔσομαι αὐτῷ εἰς πατέρα, καὶ αὐτὸς ἔσαι μοι εἰς υἱόν. Hic eſt ſemen illud Davidis. Tugurium autem vel tabernaculum Davidis vocatur Chriſtus, quia refugium præbet populo, qui in illo ſalvatur, & juſtitiam ac vitam per ipſum poſſidet. Pertinet huc Prophetia Jeremiæ cap. XXXIII. 15. 16. *Diebus illis & tempore illo germinabit Davidi germen juſtitiæ, & faciet judicium & juſtitiam in Terra. In diebus illis ſalvabitur Jehuda & Jeruſalem:* HABITABUNT *ſecurè, & hoc eſt nomen, quo vocabitur: Jehova juſtitia noſtra.* Ex quibus omnibus liquet, ædificationem domûs Davidis eſſe dationem Meſſiæ. Huic enim Deus promiſit thronum Davidis Patris ſui, in

Digitized by Google

quo regnaret ſuper domum Jacob in æternum, Luc. cap.I. 32.33. Errant igitur notoriè Ruffinus & Chryſoſtomus homil.33. in Acta, qui tabernaculi Davidis reædificationem factam cenſent ab Eſdra & Zorobabel, qui Cyro annuente Judæos à Babylone reduxerunt in Jeruſalem, ibique poſtliminio Rempublicam & Eccleſiam Iſraeliticam reſtituerunt. Quam ſententiam cùm tueretur Theodorus Mopſveſtenus, à Vigilio Papa anathemate lancinatus eſt; rigidiùs equidem quàm par erat, in errore, in quo cardo Religionis non volvebatur.

QUOD COLLAPSUM EST) Prophetia eſt, ante Regnum Meſſiæ fore ruinam Regni poſterorum Davidis. Clàrè hoc David præindicavit in emortuali ſuo ſermone 2.Sam. cap.XXIII.5. כל חפץ כי לא יצמיח *Omne beneplacitum meum, ſi non germinabit*, hoc eſt, ſi non erit שבט in Jehuda & מחקק ſive Legislator in pedibus ejus, Gen.XLIX 10. Non eſt noſtri inſtituti hoc loco in gradus & articulos hujus lapsûs & varias rupturas inquirere, cùm ad quæſtionis, quam Divus Jacobus tractat, momentum parùm inde accedat.

ET DIRUTA EJUS INSTAURABO) *τὰ κατεσκαμμένα ἀνοικοδομήσω* גדרתי את פרציהן Pagninus *Sepiam*. Vatablus, *inſtaurabo*. Tigurina verſio: *Sepe circumdabo*. Κατεσκαμμένα vocat Divus Jacobus, quod Amoſus פרציהן *rupturas earum*, ſubintellige Iſraelis & Judæ, vel duodecim tribuum, quæ reſarciendæ & obſepiendæ cum adventu Chriſti, quomodo *δωδεκάφυλον* illius adventum expectavit, & ad illius revelationem anhelavit, Act.XXVI 7. Deſcendit à *κατασκάπτειν*, quod eſt ſuffoſſione demoliri.

ET ERIGAM ILLUD) Amoſus: והרסתיו אקים *& deſtructa ejus ſuſcitabo*. Reſpicit Prophetia ad reſulcitationem corporis Chriſti. Quid enim aliud הרסות דוד deſtructa Davidis, quàm corpus Chriſti, qui ut Filius Davidis, ita etiam David vocatur. Illud erectum eſt per Spiritum *ἁγιωσύνης*, Rom.I.4. Juxta reſuſcitationem deſtructi corporis Chriſti, ſecundum analogiam myſterii Fidei, hiſtoriæ & Prophetiæ intelligi poteſt diſperſio diſcipulorum Chriſti, & eorum recreatio & recollectio.

Verſus XVII. UT REQUIRANT QUI RELIQUI SUNT HOMINES DOMINUM) *Ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων τὸν κύριον*. Amoſus ſic: למען יירשו את שארית אדום וכל הגוים: *Ut hæreditent reliquias Edom, & omnes alias Gentes.*

ras. Notabilis, ut apparet, Jacobum Apoſtolum inter & Amoſum, differentia, quod verba concernit. Nam pro *hæreditare* Lucas habet *requirere*: pro *Edom* homines, & addit τὸν κύριον. Ex Septuaginta interpretibus Amoſi ſententiam à Luca citatam, nequit ambigi, quorum verſio ſic habet: Ὅπως ἐκζητήσωσί με οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων. Sed & fons erroris apertus eſt. Septuaginta enim pro יירשו legerunt ידרשו pro אדום appellativum אדם Quid ergo? Annon ejuſmodi exemplis Septuaginta-Viralis ſupra Hebræum Codicem nobilitatur? Abſit multùm, multúmque abſit, quicquid pro authoritate ejus Divina Johannes Morinus, antiquorum nonnullorum hyperbolas ſecutus & alii contendant. Nam Apoſtoli honorem habuerunt celeberrimæ & uſitatiſſimæ inter Judæos Helleniſtas verſioni, quandiu citra jacturam fidei adeóque ſalvâ dictorum Propheticorum ſubſtantiâ licuit, ut & libertatem ſuam teſtarentur, & in re levi malis cavillorum, infirmis ſcandali occaſionem nullam præberent. Si conſtaret, in capitali diſſenſu Hebraici Codicis & Græcæ verſionis, Apoſtolos huic potiùs quàm illi acquieviſſe, profectò inſignis hæc prærogativæ indicina foret. Sed nihil tale unquam fecerunt. Certè in præſenti textu nihil Jacobus ex Græco citavit, quod non κατὰ διάνοιαν in Hebraico textu ſit comprehenſum, quin egregia ejus paraphraſi illuſtratum. Hæc συμφωνία liquidò apparebit, ubi & Amoſi & Jacobi verba explicatiora dederimus. Ergo vaticinatur Amoſus, Eccleſiam, in qua regnum ſuum Chriſtus fundavit, hæreditaturam reliquias Edomi & Gentes, ſuper quas invocatum nomen Domini. Nempe Abrahami filiis promiſſa eſt hæreditas mundi, non omnibus tamen, quia multi peccatores fuerunt, ſed reliquiis, Eſaj. X. 21. 22. Ubi Propheta vaticinatur, fore illo tempore, ut non pergat ultra שאר ישראל *reliquum Iſraelis* & פליטת *qui evadet ex Jacob*, adhærere ſuo percuſſori, ſed innitatur Jehovæ Sancto Iſraelis fideliter. Ergo his Deus promiſit hæreditatem gentium, Geneſ. XV. 6. XVII. 2. 3. &c. Apoſtolus vocat κληρονομίαν τοῦ κόσμου, Rom. IV. 13. Ejus hæc natura eſt, ut Abraham ſit אב המון גוים *Pater multitudinis Gentium*, Geneſ. XVII. 2. πατὴρ πολλῶν ἐθνῶν Rom. IV. 17. & ut omnes filii terræ fiant filii Abrahami, hoc eſt, qui ϛοιχῦσι τοῖς ἴχνεσι τῆς ἐν τῇ ἀκροβυςίᾳ πίςεως τοῦ Πατρὸς ἡμῶν Ἀβραὰμ *qui inſiſtunt veſtigiis fidei Abrahami Patris* Rom IV. 12, Ut ſic omnes, qui ſunt ex fide, accipiant benedictionem cum fideli Abrahamo,

hamo, Gal.III.9. Quæ benedictio cum Abrahamo nihil aliud eſt quàm juſtificatio & non imputatio peccati, v.8. Hoc fit, cùm obediunt Chriſto, & recipiunt Evangelium regni per fidem. Jam in eo ſemine primæ tribuuntur Edomo, ante reliquas Gentes. Quæ ratio? Reſpicit Propheta ad tempora Davidis, qui Idumeam *illuſtri victoria* ſubjugavit, 2.Sam.VIII.13.14. Pſal.LX.10.11. עַל אדום אשליך נעלי׃ *In Idumeam extendam calceamentum meum.* Pollicetur David ſibi poſſeſſionem Idumeæ immiſſione calceamenti, quæ fuit olim forma introducendi in poſſeſſionem. Sicut igitur victoriam carnalem tulit de Idumæis Rex David, ſic Chriſtus per Apoſtolos, adeóque Eccleſia Novi Teſtamenti immiſſione calceamenti ſubjugabit ſibi Idumæam, & illam hæreditabit. Deinde notat Spiritus Sanctus hæreditate hac Edomi, ſublatis inimicitiis pacem Eccleſiæ ceſſuram. Nam ſicut Eſavus internecino odio perſecutus eſt Jacobum, ſic poſteri Eſavi Idumæi Iſraëlitas, quibus infenſiſſimi fuerunt. His igitur conciliatis ſupererat, ut reliquæ gentes minori negotio hæreditarentur, & ſic intraret plenitudo earum. Neque tamen in univerſum omnium Idumæorum hæreditatem Eccleſia cernere debuit. Hinc Amoſus vocat שאר *reliquias*, nempe פליטת qui evaderet ex manu percuſſoris, & niteretur Jehova Sancto Iſraëlis. Rurſum habemus hujus rei præcedentem typum, quando David per Joabum cæſis pleriſque Idumæis ſervavit tantùm reliquias, 1.Reg.XI.14. Sic pauló ante tempora Amoſi Amazias Rex Jehudæ percuſſit Edom, in urbe Sela ſervavit & ſubjugavit, 2.Reg. cap. XIV.7. Denique ſicut non omnes Iſraëlitæ ſunt ad Chriſtum converſi, adeóque hæreditati Chriſti ceſſerunt, ſed שאר tantùm, id eſt, reliquiæ, ſic etiam Deus ſervavit per præconium Evangelii non omnes Edomitas, & reliquarum gentium homines, ſed *reliquias* tantùm, nempe eos, qui prædicationi Evangelii crediderunt, cæteris ob infidelitatem pereuntibus. Sic tenemus mentem Prophetæ: Ventura nempe tempora, quibus Eccleſia ſub Regno Meſſiæ, non concluſa ampliùs Iſraëliticæ poſſeſſionis anguſtiis, hæreditatem adeat etiam Edomitarum, imò omnium gentium, non tamen omnium in gentibus hominum, ſed reliquiarum earum, id eſt, eorum, qui refugium quærunt in Sancto Iſraëlis, & eo nituntur, & eum requirunt, per quem extra metum percuſſoris tuti collocantur. Quid hîc diverſum à Jacobo Apoſtolo dictum in Concilio, ſi ſenſum ejus ſpectes?

Ut

Digitized by Google

Ut requirant reliqui homines Dominum, & omnes gentes. Certè Edom & gentes non poſſunt eſſe hæreditas Iſraëlis ſub Chriſto, niſi quatenus & quando incipiunt requirere Dominum. Ergo pro Edomitis Jacobus poſuit requirentes Dominum, pro ſpecie genus, pro exemplo quoſvis alios exemplum imitantes. Deinde, quia Amoſus per שאר intellexit Edomi reliquias, id eſt, credentes, quia hos jam expreſſit ſub nomine quærentium Dominum, ideo per καταλοίπους τῶν ἀνθρώπων in contradiſtinctione cæterarum gentium, intelligit homines Palæſtinæ vicinos, & ab Iſraële diſcretos, inter quos ipſi etiam Idumæi fuerunt. Sic videmus Amoſum & Jacobum ſibi amicè concordes, operas mutuas tradere.

SUPER QUAS INVOCATUM EST NOMEN MEUM) In his verbis modus communionis reliquiarum Edomi & Gentium cum reliquiis Iſraelis conſiſtit, & nervus argumenti Jacobi. Invocatur nomen Domini ſupra eum, qui eſt populus Dei, cœtus & Eccleſia Chriſti, qui habet nomen Domini, tanquam rem ſibi propriam. Confer ſimilia phraſeως exempla Jeſ. IV. 1. XLIII. 6. LIII. 11. Joel. III. 5. Hinc etiam Apoſtolus concludit Rom. X. 13. ſalvatum iri gentes, quia ἐπικαλεῖται τὸ ὄνομα Κυρίου, nomen Domini ſuper ipſos invocatur. Concludit igitur ex præſenti Amoſi Prophetia τὸ κρινόμενον, nempe Deum decreviſſe juſtificare & ſalvare gentes per fidem, abſque onere legis. Fundamentum hujus concluſionis eſt, quòd hîc unicum medium communionis exprimitur, *Nuncupari à nomine Domini*, hoc eſt, ſe Chriſto addicere ad populum, ad peculium, & gloriari in beneficio redemptionis ejus. Nihil autem de onere legis, cujus conditionem omnino Deus præfixiſſet, ſi eſſet vinculum communionis gentium cum Judæis. Nam antehac rigidiſſimè recepta hæc ceremonialia ſunt, Proſelythis ad Eccleſiam Iſraeliticam injuncta. Cùm igitur in hæreditatem ceſſerint illi μαθηταὶ, reliquiæ Edomi & gentium Eccleſiæ Iſraeliticæ ſine expreſſa conditione chirographi, acquieſcendum eſſe conſilio & decreto Dei, neque jugum hoc ipſis imponendum.

DICIT DOMINUS) Jehova, qui per hoc beneficium fit id quod eſt, & verum ſe Jehovam, conſtantem in ſuis promiſſis, & eventu illa repræſentantem præſtat & demonſtrat. Unde patet, converſionem & fidem Gentium eſſe non rem inefficacis deſiderii aut propenſionis, ſed firmi propoſiti, & verbo declarati, & fidelibus ad

credendum publicati, adeóque per fidem & ſpem ſanctorum ratificati, & in vim fœderis ac contractus traducti.

QUI FACIT HOC) Hoc firmamentum eſt promiſſionis Divinæ. Nempe quia fundatio Regni Chriſti, & ejus per hæreditatem Edomi & gentium amplificatio, non eſt opus hominis, ſed Dei, ideo nemo ei reſiſtere debet, quò minùs adoptentur in Eccleſiam, & reliquiæ Iſraelis hæreditatem ſuam adeant.

Verſus XVIII. NOTA à SECULO DEO OMNIA OPERA EJUS) Complutenſis editiò legit ἅ ἐςι γνωςὰ ἀπ' αἰῶνος αὐτῷ. *Quæ ſunt ipſi nota à Seculo.* Vetus Interpres: *Notum à Domino à Seculo eſt opus ſuum.* Nempe in antiquis quibuſdam Codicibus habetur γνωςὸν πᾶν τὸ ἔργον. Syrus in plurali ידיען אנון מן עלמא עבדוהי דאלהא *Nota ſunt ab æterno opera Deo.* Mens Jacobi hæc eſt, debere Deo credi in prædictionibus & promiſſionibus ſuis, quia omnia ſua opera ante Deus decrevit, & nihil decrevit, quod non in tempore faciat. Deinde, ex opere Dei ſenſum promiſſionis eſſe æſtimandum; ſi quid generaliùs vel indefinitiùs videatur Deus prædixiſſe, aut per ænigma, rudibus non ſtatim pervium. Ita opus Dei erat baptiſmus Cornelii per Spiritum S. accommodatum verbis Amoſi, quibus declaratur, Gentes denominatas à nomine Dei, fore hæreditatem, & habituras communionem cum Iſraele. Ex quo ſequebatur, mentem illius prophetiæ eſſe, ut gentes incircumciſæ habeant partem in ſanctificatione & juſtificatione. Cæterùm univerſale hoc axioma probat, Deum omniſcium ab æterno ſcientiâ ſuâ complexum omnia, quæ in tempore facit opera, atque adeò etiam ea, quæ à libera voluntate pendent, quippe quæ in tempore facit. Ex qua præſcientia fluit, quòd in tempore nulla creatura aliter facere poteſt, quàm facit. Et prodigioſus eſt in eo non error, ſed furor Fauſti Socini, qui in dubium vocare ſuſtinuit tam claris documentis teſtatam in Deo præſciam futurorum mentem. Quò audaciæ vix quiſquam Gentilium unquam proceſſit. Sed ſic præcordia excutere, & ultima experiri homo debuit, ut omnia Dei decreta & ejus circa ſalutem noſtram operatio & dominium excluderetur, & homo per liberi arbitrii vires in jus independentiæ aſſereretur. Hîc ulcus, & manus quæ fricat! Operæ pretium eſt audire Socinum, præſentem textum eludentem. *Tres ſunt*, inquit Prælect. cap. 9. *hujus loci lectiones. Prima Veteris Interpretis:* Notum à Do-

mino

mino à ſeculo eſt opus ſuum. *Quæ verba nihil aliud ſignificant, quàm Deum opus illud, de quo ibi ſermo erat, ab ipſo ævo cognoviſſe, id eſt, facere decreviſſe.* Si facere decrevit, ergo præſcivit. Niſi forte decerni poteſt non cognitum. *Quicquid ſit*, inquit, *id tantùm colligi poteſt, Deum vocationem gentium præcognitam habuiſſe à ſeculo. Sed quid ex prænotione iſta ſui operis ad prænotionem humanorum factorum ſtabiliendam colligi poteſt?* Reſpondeo. Dato, non intelligi quidquam aliud, quàm prænotionem vocationis Gentium. Præcognovit ſanè eodem modo obedientiam Gentium, quo earum vocationem. Aliâs fieri potuiſſet, ut inanis eſſet Evangelii ſonus, & reliquiæ Edomi & gentium non hæreditarentur. Imò opus Dei, quod prænovit, eſt etiam τὸ ἐκζητεῖν τὸν κύριον, v.17. quæ ipſa eſt obedientia Evangelica. Obedientia autem ex hypotheſi Socini fuit libera. Ergo prænovit Deus vocationem Gentium, & obedientiam eorum liberam, adeóque aliquod contingens futurum. Qui novit unicum futurum contingentem effectum, is habet mentem præſciam futurorum. Cur ergo cætera non prænoſceret, cùm infinita ſcientia futura comprehendens requiratur æquè ad unum ſcibile contingens, atque ad infinita? Pergit: *In Complutenſi ſimiliter editione ſimpliciter ſcriptum eſt: ἃ ἐστι γνωστὰ ἀπ' αἰῶνος αὐτῷ.* Quæ ſunt ipſi nota à Seculo. *Unde nihil colligi poteſt, niſi ea, de quibus ibi verba fiebant, nota fuiſſe Deo ab æterno. Ea opera ipſius Dei eſſe, inter omnes conſtat.* Huic effugio jam occurrimus. *Reſtat*, inquit, *vulgata Græcorum Codicum lectio, quæ Latinè ita ſonat:* Nota à ſeculo ſunt Deo omnia opera ſua. *Ex quibus verbis tantum abeſt, ut colligi poſſit, omnia prorſus Deo nota eſſe, antequam fiant, ut potiùs contrarium colligi poſſe videatur, nempe quædam eſſe ex iis, quæ nondum ſunt, quæ Deo à ſeculo non ſint cognita.* Mirum ſi ex tam clara luce tenebras creare poteſt. *Quid enim*, inquit, *attinebat operum Dei nominatim mentionem facere, ſi nihil planè eſſet, quod à ſeculo Deo cognitum non fuiſſet?* Ergo non omne quod fit, eſt opus Dei. Non igitur Deus omnia fecit propter ſe ipſum, etiam malum ad diem mali, Prov. XVI. 4. Non in Deo ſumus, vivimus & movemur, Act. XVII. 28. Non ex ipſo, & per ipſum & in ipſum ſunt omnia, Rom. XI. 36. Neq; unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in ipſum, 1. Cor. VIII. 6. Apage impietatem! Hóccine grato & pio nominis Chriſti confeſſore dignum, ubique manus & Spiritum Dei abbreviare, ut humanæ potentiæ periſtromata dilates?

dilates? *Quanquam*, pergit, *Eraſmus & Tigurini ita locum interpretentur, ut ad ea tantùm omnia Dei opera verbâ Jacobi accommodentur, de quibus locutus fuerat. Articulum enim τὰ pronominis loco accipiunt. Unde tantò magis ſuſpicabimur, prænotionem Dei ex loco iſto non modò non confirmari, ſed etiam everti, quippe ex quo colligi queat, quædam tantummodo opera à ſeculo cognita fuiſſe.* Cum Eraſmo & Tigurinis invitis & obtorto collo raptis vindemiam facit. Illis nihil minùs in animo fuit, quàm præſcientiam Dei ſua interpretatione in diſcrimen adducere. Reſtringunt quidem πάντα ad ſubjectam materiam. Sed quis ferat Socinum ita diſputantem: Eraſmus & Tigurini illa πάντα, à Deo ab æterno præcognita, reſtringunt ad præſentem materiam de vocatione Gentium: Ergo ex iis colligi poteſt, quædam tantùm opera Deo à ſeculo cognita eſſe. An qui ſimpliciter dicit, quædam opera Deo ab æterno cognita eſſe, quorum in eo textu fit mentio, & quæ maximè intererat ad Divinam prænotionem referri, cætera opera, quæ evidenter Dei eſſe conſtat, à præſcientia Dei excludit? Faceſſat dementia. Inſtat: *Dei opus non illud omne propriè dici poteſt, quod Deus operatur, ſed illud demum, quod ex ſola voluntate ejus pendet, nec ad hominis actiones reſpectum habet, qualis gentium vocatio.* Reſp. Dei opus eſt, quod facit. Nihil autem non facit ipſe. Etiam maximè contingentia & liberrima pendent à Deo operante. Non ſumus idonei ex nobis ipſis tanquam ex nobis λογίσασθαί τι, ſed omnis noſtra aptitudo eſt à Deo, 2. Cor. III. 5. Quin ipſe eſt in nobis ὁ ἐνεργῶν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν, Phil. II. 13. Deinde vocatio Gentium, quam ſequitur actio hominis, quærere Dominum, & ejus communionem appetere, non eſt tale opus, quod ad actiones hominis reſpectum nullum habeat. Et tamen, Socino fatente, fuit ab æterno præcognita. Ergo prænoſci potuit opus, cum quo voluntas hominis in tempore concurrit.

Verſus XIX. QUAPROPTER EGO CENSEO) Κρίνω. Judico. Hæc igitur ſententia Jacobi, quæ ſequitur, eſt judiciaria & definitiva. Eſt enim κρίσις judicium & decretum animi, gravibus rationibus definitum & concluſum, & ad fidem conſcientiam obligans. Hæc formula in Apoſtolos planè competebat, quippe quorum θεμελίῳ ſumus ſuperædificati, Epheſ. II. 20. Quorum adeò vox & ſcripta ſunt κριτικὰ τῶν ἐνθυμήσεων, Heb. cap. IV. verſ. 12. In fidelibus autem quibuſcunque κρίσις quidem requiritur ſpiritualium,

lium, quatenus eſt certum animi decretum, non tamen alios ad fidem obligat, niſi quatenus illud convenit cum regula fidei & verbis fundamenti.

NON OBTURBANDUM ESSE) Μὴ παρενοχλεῖν. Sic vertunt Pagninus, Stephanus, Eraſmus, Tigurini, Beza. Hoc enim ſonare videtur Præpoſitio παρὰ. Syrus מטל הדא אנא אמר דלא נהוון שׁרקין *Propterea ego hoc dico, ne obtundant eos.* Vetat Jacobus, ne turbentur, nimia mole, qualis jugum illud, obruantur, & offendantur vel verbis vel factis teneriores conſcientiæ, ne Evangelii curſus præpoſtero ſufflamine ſiſtatur.

ILLIS, QUI EX GENTIBUS CONVERTUNTUR AD DEUM) Quos ſuprà nomine μαθητῶν inſignivit.

Verſus XX. SED SCRIBENDUM AD EOS) Ἀλλὰ ἐπιστεῖλαι. Particula ἀλλὰ eſt exceptiva pro εἰ μή. Quaſi diceret: Nolo quidem, obrui diſcipulos mole legum ceremonialium, quales infinitæ à Moſe ſunt præſcriptæ. Attamen excipio abſtinentiam ab idolothytis &c. literis ipſis mandandam. Syrus אלא נשתלה להון *Sed ut mittatur ad eos.*

UT ABSTINEANT SE AB INQUINAMENTIS SIMULACHRORUM, ET SCORTATIONE, ET SUFFOCATO, ET SANGUINE) Hæc paulò diligentiùs trutinabimus in fine Concilii ad verſum 29.

Verſus XXI. MOSES ENIM AB ANTIQUIS ÆTATIBUS IN SINGULIS CIVITATIBUS HABET, QUI IPSUM PRÆDICENT) Periodus occupationis rationem habet. Sed ſenſus ipſe nonnihil involutus eſt. Cornelius à Lapide ita interpretatur, tanquam Jacobus his verbis Judaizantes traduceret, & res ſuas ſibi habere juberet. Facit enim ita loquentem; Non eſt, quòd nos Chriſtiani ſimus ſoliciti de Moſe honorando. Moſes enim & lex ſatis honorantur & celebrantur à Judæis in ſuis Synagogis. Judæi ergo, qui Moſis honorem zelant, ejus Synagogas adeant, ibidémque ipſum celebrent. Nobis Chriſtianis ſufficit in Eccleſia Chriſtum, ad quem Moſes remiſit Deut. XVIII. 18. ejúſque legem celebrare. Chryſoſtomo tribuit eandem ſententiam Cornelius. Neſcio quàm verè. Nam Chryſoſtomus vult, Jacobum reddere rationem, cur non eſſet neceſſum hac de re ſcribere ad Judæos, qui fidem Chriſti amplexi erant, ſicut ad Gentiles: nempe

pe quia illi ſciebant, quid ſui eſſet officii ex lege, quæ in Synagoga ſecundum antiquam conſuetudinem, ſingulis Sabbathis prælegebatur. Cæterùm neutra interpretatio genuina videtur. Non prior. Nimis dura enim eſſet Jacobi ſententia. Addo, hac ratione Chriſtianos induci potuiſſe, ut Moſis lectionem ſibi negligendam arbitrarentur. Nam Jacobus non tam de obſervatione rituum Judaicorum, quàm de lectione Moſis loquitur. Nec poſterior Chryſoſtomi. Nam ad quos potiſſimùm ſcribendum eſſet, ne quidem in præcedentibus Jacobus meminerat. Cur igitur rationem redderet, cur Judæis non eſſet de rebus his ſcribendum? Imò ſi hoc in animo habuiſſet Jacobus, rationem attuliſſet inſufficientem, cur ad Judæos non eſſet decretum Synodi perſcribendum. Nam poſito, ex lectione legis ipſis conſtitiſſe neceſſariam abſtinentiam ab idolothytis, ſanguine & ſuffocato, ex altera parte planè neceſſum erat ſcribi, quòd cæteræ partes ceremonialis legis nullam ampliùs obligandi vim habeant, adeóque illis operam dandam, ne Gentilibus illam molem non ſubeuntibus obſtreperent, & illis obturbare pergerent. Grotius ἀνθυποφορὰν eſſe dicit talem. *Nempe quod ad Moſen attinet, non poſſent qui ex Judæis ſunt, queri, eum ſperni ab alienigenis noſtri gregis, quando in noſtris non minùs quàm in Judaicis conventibus Moſes, ita ut ab antiquo factum eſt, legitur, & quidem ſingulis Sabbathis.* Sed obſtat, quòd de lectione in Concilio non fuerit actum, ſed de obligatione ad obſervantiam Ceremoniarum. Neque enim quæſtio de lectione legis agitata fuit. Curcellæus pag. 103. refert hanc ſententiam ad conſilium Jacobi de ſcribendo ad Gentes. *Nempe ideo ſcribendum ad Gentes, quia niſi id fieret, & declaretur, ipſos eſſe liberatos à rituum Legis obſervatione, putarent, ſe iis adhuc teneri, cùm interſint Synagogis Judæorum, in quibus lex Moſis, quæ districtè præcipiuntur, ſingulis Sabbathis legi ſolet.* Hanc interpretationem dicit ſponte fluere. Flueret ſanè, ſi conſtaret, Moſen ab antiquis etiam inter Gentes habuiſſe, qui ipſum in Synagogis prædicent, quod nullo modo dici poſſe omnes vident. Certum eſt, ſcriptum fuiſſe decretum Synodi ad Gentes. Sed illis planè non quadrat illa ratio, ob quam ſit ſcribendum, quia ab antiquis diebus Moſes in Synagogis habet ipſum prædicantes etiam Gentiles. Non diffiteor ſanè ante captivitatem Babylonicam, & poſt eam, diſperſis in Terrarum orbem Judæis, etiam in Gentilium Civitatibus Synagogas fuiſſe, in quibus

Digitized by Google

bus Moſes prædicaretur. Quomodo Paulus Synagogam ingreſſus Antiochiæ, Piſidiæ, Act. XIII. 14. Theſſalonicæ, Act. XVII. 1. Beroæ, Act. XVII. 10. Athenis, Act. XVII. 17 Epheſi, Act. XVIII. 19. Sed Jacobum hoc intellexiſſe, cùm antiquas ætates nominat, & Gentiles promiſcuè has Synagogas intrandi, & Moſen prædicandi facultatem habuiſſe, planè vero eſt diſſimile. Henricus Stephanus Jacobum facit ita loquentem: *Moſes antiquiſſimus Dei Propheta, vel, qui jam olim à priſcis temporibus legitur in Synagogis, omnes docet in ſuo Pentateucho, hæc fugienda eſſe*, in Annot. ad h. l. Sed, obſecro, an hic ſenſus non evertit totum Synodi decretum? An circumciſio, quam hîc abrogârunt Apoſtoli, & tota illa νομοθεσία à Moſe antiquiſſimo Dei Propheta, & antiquitus jam in Synagogis lecto, non fuit nomine Dei quàm ſeveriſſimè mandata? Sed, inquias, Circumciſio fuit abrogata ab Apoſtolis, non lex de idolothytis & ſanguine. Atqui rationibus Apoſtolorum hoc actum, ut univerſa lex Ceremonialis abrogaretur. Exceptio autem illorum facta, ſi à ſcortatione diſceſſeris, non propter Moſis mandatum facta, ſed propter metum ſcandali. Aretius in Commentario præoccupationem eſſe dicit. *Reſpondet enim*, inquit, *cur illa ſola excipiat, reliquis omnibus damnatis Ceremoniis. Annon ſic contemnitur Moſes? Aboletur lex? Reſpondet: Non fiet. Ratio, quia Moſes habet lectores ſuos omni Sabbatho apud Judæos: quem ordinem non damno, legi illum volo, ſed ceremonias non obſervari*. Præoccupationem aliquam agnoſco. Non tamen, quam affert Aretius. Nam reſponſum non ſatis quadrat. Quippe ſimpliciter Jacobus dicit: Legi antiquitus Moſen. An deinceps legi debeat necne, minimo apice Apoſtolus non attingit. Theodorus Beza in Annotat. minoribus ad h. l. ita interpretatur: *Fieri non poſſe, ut tam citò quaſi uno impetu aboleantur Ceremoniæ: quia jam à multis ſeculis aſſueti legis Doctrinæ, & Moſes ſuos haberet præcones, ideo redimendam ad tempus breve concordiam eſſe, donec paulatim innoteſceret clariùs libertas per Chriſtum parta*. Ut ſic præoccupet Apoſtolus hanc objectionem: Cur cæteris mandatis Ceremonialibus abrogatis ſanciant poſtliminio legem de Idolothytis, ſanguine & ſuffocato? Reſpondet Apoſtolus: quia Moſes ab omni tempore in ſuis Synagogis habet Zelotas. Ergo ut illos tantiſper placemus, donec perſpectam habeant libertatem Chriſtianam, ſancienda ſunt mandata de ſanguine & ſuffocato, cùm illa antiquiſſima ſint, quippe Noacho lata, ac

pro-

Digitized by Google

proinde pro his ſint vehementiùs pugnaturi : ac præterea facilis ſit horum abſtinentia,neque adeò Judaiſmum involvant,ſicut Circumciſio, & ſi quæ talia. Hæc interpretatio planiſſima eſt,& animo Apoſtoli planè conſentanea,cùm cæteræ omnes,ut jam apertum fecimus,nodis & difficultatibus ſint implexæ.

IN SYNAGOGIS UBI PER OMNE SABBATHUM LEGITUR) Patet hinc, lectionem legis die Sabbathi antiquiſſimam eſſe. Hebræi dicunt, à Moſe introductam, & poſt captivitatem à Nehemia reductam illam conſuetudinem. R. Maimonides in Jad Chazakath tract. de precibus & benedictione Sacerdotum cap. 13. המנהג הפשוט בכל ישראל ממשלימין את התורה בשנת אחת מתחלין בשנת שאחר הג הסוכת יקורין בסדך בראשית בשרייה אלא תולדות בשלישית ויאמר יה אל אברהם וקוראו והולכין על הסדר הזה עד שגומרין את התורת בחג הסוכות ויאמר מי שמשלי את התורה בשלש שנים ואינו מנהג פשוט: *Conſuetudo eſt apud omnes Iſraëlitas communis atque recepta, ut legem anno abſolvant, incipientes à ſequenti poſt feſtum tabernaculorum Sabbatho. Quo die legunt Sectionem primam Geneſeos*, in Principio creavit Deus &c. *Secundo poſt Sabbatho legunt*; Hæ ſunt generationes &c. *Geneſ. VI.9. Tertio deinde*: & dixit Deus ad Abraham. *Hoc ordine deinceps procedunt in lectione legis, donec legem in feſto tabernaculorum abſolverint. Sunt qui legem tribus annis abſolvant. Sed non eſt hac conſuetudo communis.* Religioſiſſimè hanc conſuetudinem cuſtodiverunt. Cùm Trajanus Imperator decreviſſet,ne Judæi in Synagogis legem legerent, quod ante ipſum alii etiam Imperatores fecerant, maximæ afflictionis loco hoc deputârunt. Proinde R. Jacuth numerat inter שמדות perſecutiones, cum ait : גזר שמד שלא קראו בתורה *Decrevit perſecutionem, ne Judai lectitarent legem.*

CAPUT XII.

CAPUT XII.

Epiſtola Synodica explicatur.

Breviarium.

Epiſtola Synodica explicatur. Eccleſiam, id eſt, fideles promiſcuos à cura rerum Eccleſiaſticarum non eſſe arcendam. Sententia Eccleſiæ Gallicæ. Iudas Barſabas. Silas quis fuerit? Ejus elogium. Ἀνασκευάζειν ψυχὴν. *Exponere animam ſuam, qualis locutio? Pſal. CXIX. 109. explicatur. Qua ratione Synodus Spiritus ſententiam cognoverit? VValenburgii ad partes vocati. Diſquiritur, cur Apoſtoli dicant: Viſum eſt Spiritui Sancto* ET NOBIS. Ἐπιταγαὶ *diſtinctæ à* συγνώμαις. *Rationibus ſeptem probatur, Pontificios ex v. 28. infallibilitatem Eccleſiæ in Scripturarum interpretatione præpoſterè concludere. Ex eodem verſu Conciliorum infallibilitatem perperam confici, oſtenditur quatuor argumentis. Libertas ab onere legis conſideratur vel in jure vel in praxi. Quid de circumciſione Æthiopum ſtatui debeat, diſpicitur. Scaligeri & Franzii ſententia rejicitur. Verba:* πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων *explicata. De iis ſententia Salmaſii, Stephani, Grotii, Cloppenburgii. Diſputatur contra Bellarminum ex v. 29. concludentem, Eccleſiam habere poteſtatem* νομοθετικήν. *Exceptiones Bellarm. octo producuntur, & ſolvuntur. Idolothyta.* Ἀλισγήματα. Βωμολόχει. *Probatur, idolothytorum eſum ſuâ naturâ non eſſe illicitum vel malum. Factum Antiochenorum & Conſtantinopolitanorum, quos Iulianus ad Idolothyta pellicere conatus. Auguſtini reſponſio ad caſum à Publicola motum. Quid per ſanguinem intellexerint Apoſtoli? Defenditur contra Curcellæum recepta in Codicibus vox* πνικτοῦ. *Anquiritur, quid nomine* πορνείας *Apoſtoli intellexerint? Mantiſſa verborum: Quæ ſibi fieri non velint, alteri ne fecerint.*

Digitized by Google

Schikhardus refellitur, qui ſentit, Apoſtolos præcepta Noachidarum imperâſſe.

SIc Conciliares ſententias Apoſtolorum illuſtravimus. Reſtat conſilium de ſcribendo ad Antiochenos decreto Synodico, & Epiſtola ipſa, in qua decretum Synodicum conceptis verbis expreſſum. Pertexit Lucas verſibus octo ſequentibus.

22. Τότε ἔδοξε τοῖς Ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις σὺν ὅλῃ τῇ Ἐκκλησίᾳ, ἐκλεξαμένους ἄνδρας ἐξ αὐτῶν πέμψαι εἰς Ἀντιόχειαν σὺν τῷ Παύλῳ καὶ Βαρνάβᾳ. Ἰούδαν, τὸν ἐπικαλούμενον Βαρσαβᾶν, καὶ Σίλαν, ἄνδρας ἡγουμένους ἐν τοῖς ἀδελφοῖς.

23. Γράψαντες διὰ χειρὸς αὐτῶν τάδε. Οἱ Ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι, καὶ οἱ ἀδελφοί, τοῖς κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ Συρίαν, καὶ Κιλικίαν, ἀδελφοῖς τοῖς ἐξ ἐθνῶν χαίρειν.

24. Ἐπειδὴ ἠκούσαμεν, ὅτι τινὲς ἐξ ἡμῶν ἐξελθόντες ἐτάραξαν ὑμᾶς λόγοις, ἀνασκευάζοντες τὰς ψυχὰς ὑμῶν, λέγοντες περιτέμνεσθαι, καὶ τηρεῖν τὸν νόμον, οἷς οὐ διεστειλάμεθα.

25. Ἔδωξεν ἡμῖν γενομένοις ὁμοθυμαδὸν, ἐκλεξαμένους ἄνδρας πέμψαι πρὸς ὑμᾶς σὺν τοῖς ἀγαπητοῖς ἡμῶν Βαρνάβᾳ καὶ Παύλῳ.

26. Ἀνθρώποις παραδεδωκόσι τὰς ψυχὰς αὐτῶν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

27. Ἀπεστάλκαμεν οὖν Ἰούδαν καὶ Σίλαν, καὶ αὐτοὺς διὰ λόγου ἀπαγγέλλοντας τὰ αὐτά.

22. *Tunc viſum eſt Apoſtolis, & Presbyteris, & toti Eccleſiæ, delectos ex ſeſe viros mittere Antiochiam, cum Paulo & Barnaba, Judam cognomento Barſabam & Silam, viros Primarios inter Fratres.*

23. *Mittentes per manus eorum hæc ſcripta: Apoſtoli Presbyteri, & Fratres, his, qui ſunt Antiochiæ, & in Syria & in Cilicia, Fratribus, qui ſunt ex Gentibus, ſalutem.*

24. *Quoniam audivimus, quòd quidam è nobis egreſſi, turbaverunt vos verbis, labefactantes animas veſtras, jubentes vos circumcidi & ſervare legem, quibus non mandaveramus.*

25. *Viſum eſt nobis unanimiter congregatis delectos viros mittere ad vos, cum dilectis noſtris Barnaba & Paulo.*

26. *Hominibus, qui expoſuerunt animas ſuas pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

27. *Miſimus igitur Judam & Silam, qui & ipſi verbis referunt eadem.*

28. Ἔδοξε

Digitized by Google

28. Ἔδοξε γὰρ τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν, μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων.

29. Ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων, καὶ αἵματος, καὶ πνικτοῦ, καὶ πορνείας. Ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς, εὖ πράξετε. Ἔρρωσθε.

28. *Viſum eſt enim Spiritui Sancto, & nobis, nequid ampliùs imponeremus vobis oneris, quàm hæc neceſſaria.*

29. *Videlicet, ut abſtineatis ab his, quæ ſunt immolata ſimulachris, & ſanguine, & ſuffocato, & ſcortatione, à quibus ſi conſervaveritis voſmet ipſos, bene facietis. Valete.*

Verſus XXII. TUNC VISUM EST APOSTOLIS ET PRESBYTERIS) Concluſo Synodi decreto, reſtabat, ut in notitiam pertingeret eorum, quorum in gratiam hæc omnis ſuſcepta deliberatio eſt. Ergo unanimi conſenſu deligunt, quos cum mandatis ad Antiochenos mitterent.

ET TOTI ECCLESIÆ) Ergo ſuæ etiam partes Eccleſiæ fuerunt, non tantùm Epiſcoporum, Presbyterorum & Eccleſiæ Antiſtitum conſenſu & judicio decretum conditum, & ad Eccleſias miſſum. Unde patet Eccleſiam à rerum Eccleſiaſticarum moderatione non eſſe removendam ad muta ſubſellia, in quibus ſedentariam aſſentiendi & obediendi neceſſitatem tantùm perpetiatur. Quod factum à longo ſatis tempore in Hierarchico Papatu, qui in hunc finem Clericos à Laicis diſtinxit, & hac diſtinctione illorum deteſtabilem ſuperbiam & dominationem; horum deplorandam in rebus divinis ſecuritatem & neglectum ſtrenuè fovet. Quanquam profectò contraria planè & è diametro oppoſita eſt Eccleſiarum Gallicanarum doctrina, quæ, teſte Edmundo Richerio, Syndico Collegii Theologici Pariſienſis, libro de Eccleſiaſtica poteſtate, conſtanter aſſerunt, *totam Juriſdictionem Eccleſiaſticam primariò & eſſentialiter Eccleſiæ convenire: Romano Pontifici & aliis Epiſcopis inſtrumentaliter, miniſterialiter, & quoad executionem tantùm, ſicut facultas videndi primariò & eſſentialiter convenit homini, inſtrumentaliter & quoad executionem oculo.* Nos, ut eorum non ferimus ἀταξίαν, qui Eccleſiæ Prophetas ſubjiciunt, & regimen Eccleſiæ democraticum inducunt, ſic tyrannidem Pontificiam in deturbandis à negotiis Eccleſiaſticis, quos vocant, Laicis non patimur, ſed inter infamem utrumque ſcopulum navigamus. Liquidò enim conſtat, in ſummis Eccleſiæ negotiis, etiam plebi non unctæ dignationem habitam.

Digitized by Google

Quæ major in Eccleſia Apoſtolica actio ſuſcipi potuit, quàm determinatio quæſtionis de juſtificatione, in qua eſt fidei acropolis? Et tamen, præſentibus ipſis Apoſtolis, quorum in ſummo faſtigio authoritas fuit, etiam plebs ad conſultandi munus advocata. Neque ſe expedit Jeſuita Cornelius à Lapide, *Eccleſiam decretum non condidiſſe, ſed ab Apoſtolis conditum probâſſe & ſparſiſſe. Unde Epiſtolam nomine Apoſtolorum fuiſſe ſcriptam, & in ea ipſos locutos, non Eccleſiam.* Equidem temerè hoc & ab omni ratione imparatus aſſerit. Nam in inſcriptione Epiſtolæ, in verbis: Ἀπόστολοι, καὶ πρεσβύτεροι, καὶ ἀδελφοὶ &c. Quid diſertius eſſe poteſt? Qui illi *Fratres* ab *Apoſtolis* & à *Presbyteris* diſtincti? Utique Eccleſia, quæ ad miſſionem Apoſtolorum paulò ſuprà conſenſerat. Atqui illi Fratres in Epiſtola loquuntur æquè atque Apoſtoli & Presbyteri. Etiam illis ἔδοξε *viſum, gentiles ab onere legis liberari debere.*

DELECTOS EX SE VIROS MITTERE ANTIOCHIAM CUM PAULO & BARNABA) Paulus & Barnabas, cùm contra Zelotas ſteterint, & quæſtionem controverſam ventilandam ipſi propoſuerint, non remittuntur ſoli, ne ipſis ſolida fides non habeatur. Ergo juxta illos deligunt viros, qui cum mandatis Concilii Paulum & Barnabam comitarentur, quò fideli ſua narratione, ſaltem æmulis cavillandi facultatem excuterent.

JUDAM COGNOMENTO BARSABAM) Joſephus Act. I. 23. vocatur etiam Barſabas. Fortè ejus Frater fuit hic Judas. Cæterùm Barſabas idem eſt quod Filius Sabæ; ſicut Barabbas idem quod Filius Abbæ, Bartimæus idem quod Filius Timæi; Barjona idem quod filius Jona. Utrum verò Saabas in nomine Barſabæ ſit proprium, an appellativum, incertum eſt. Pagninus in Nomin. Hebr. facit appellativum, ut Barſabas dicatur Filius juramenti, ſicut Berſebe puteus juramenti.

ET SILAM) Silas Apoſtolum ſignificat, inquit Hieronymus Epiſt. 143. Ubi eundem eſſe cenſet cum comite S. Pauli, Silvano, 2. Cor. I. 19. Nam & hunc Silam comitem fuiſſe Pauli apparet ex v. 40. & cap. XVI. 19. XVIII. 4. In Martyrologio Romano adſcriptus eſt Catalogo Sanctorum die 13. Julii, ubi Silæ hæc elogia dantur: *In Macedonia B. Sila, qui cùm eſſet de primis fratribus, & ab Apoſtolis ad Eccleſias Gentium unà cum Paulo & Barnaba deſtinatus, prædicationis officium gratia Dei plenus inſtanter conſummavit, atque in paſſionibus ſuis Chriſtum clarificans poſtmodum requievit.*

Digitized by Google

VIROS PRIMARIOS INTER FRATRES) ἡγουμένους, præeminentes & quaſi duces cæterorum. Ita Pagninus. Syrus גברא דרישא *Viros Principales inter Fratres.* Intererat ſanè mitti non ex ultima linea Viros, qui dexteritate & authoritate ſua animos exulceratos ſedarent, & perſuaderent, controverſiam in Synodo legitimè deciſam eſſe, ac decreto & dicto Synodi audientes facerent.

Verſus XXIII. MITTENTES PER MANUS EORUM HÆC SCRIPTA) Per manus eorum, id eſt, miniſterio eorum, uſitato Hebraiſmo. Ipſos enim ſcripſiſſe minùs probabile.

APOSTOLI, PRESBYTERI, & FRATRES) Vulgatus Interpres: *Apoſtoli & Presbyteri, Fratres.* Quaſi epitheton Fratrum ad Apoſtolos & Presbyteros referri deberet. Sed particulam copulantem conſtanter retinent Codices, & legit etiam Syrus Interpres. Ut ne quicquam latebrarum hic eſſe poſſit Jeſuitis, qui Eccleſiam, ab Apoſtolis & Presbyteris contradiſtinctam, ſatagunt excludere à conſortio epiſtolam Synodicam ſcribentium.

HIS QUI SUNT ANTIOCHIÆ, & IN SYRIA & IN CILICIA) Has enim Eccleſias Schiſma corripuit. Quare his potiſſimùm manus medicæ applicandæ.

FRATRIBUS QUI SUNT EX GENTIBUS) Olim Proſelythiſmus inter Judæos & Gentiles fraternitatem conglutinavit. Nunc fides Abrahami imitatione expreſſa fratres facit etiam præputiatos.

Verſus XXIV. QUONIAM AUDIVIMUS, QUOD QUIDAM E NOBIS EGRESSI TURBAVERUNT VOS VERBIS) Syrus: Terruerunt vel terrorem incuſſerunt.

LABEFACTANTES ANIMAS VESTRAS:) Ἀνασκευάζοντες. Vulgatus: *Evertentes, ἀνατρέποντες.* Illud contrarium eſt τοῦ οἰκοδομεῖν, *ædificare*: hoc τοῦ στηρίζειν *confirmare.* Etiam Syrus ואהפכו נפשתכון *& evertentes animas veſtras.* Tranquillitate fruebantur Gentiles in conſenſu Evangelii. Hanc igitur nova doctrina Pſeudapoſtoli exercitam habent, & ſupra modum labefactant.

JUBENTES VOS CIRCUMCIDI & SERVARE LEGEM) Vide, quæ notavimus ad verſum quintum.

QUIBUS NON MANDAVERAMUS) οἷς οὐ διεστειλάμεθα. Patet inde, Pſeudapoſtolos Apoſtolorum Hieroſolymitanorum

norum authoritatem & mandatum ementitos, ut Paulo & Barnabæ grandiorem invidiam conciliarent. Apud Irenæum illa verba, οἷς οὐ διεστειλάμεθα ſubjiciuntur poſt ψυχὰς ὑμῶν.

Verſus XXV. VISUM EST NOBIS UNANIMITER CONGREGATIS, DELECTOS VIROS AD VOS MITTERE) γενομένοις ὁμοθυμαδὸν, id eſt, conſentientibus, ſive communi conſenſu animorum coactis & idem concludentibus.

CUM DILECTIS NOSTRIS PAULO ET BARNABA) Ornant illos elogio, & ſingularis affectus teſtimonio proſequuntur.

Verſus XXVI. HOMINIBUS QUI EXPOSUERUNT ANIMAS SUAS) *Suas animas*, id eſt, *ſe ipſos*. Confer Pſal. XVI. 10. Jerem. LI. 14. Marc. XIV. 34. Act. II. 27. 31. Apud Arabes & Hebræos nihil ferè uſitatius. Etiam Græcos Poëtas ſic loquentes adducit Gattakerus contra Pſochenium cap. X. pag. 102. 103. quem ibi conſule. Significant, Viros illos nequaquam meruiſſe, ut neglectim à nonnullis haberentur, cùm pro Eccleſia ſe ipſos, vitam ſuam, vel laborando & prædicando, vel adverſa quæque ſuſtinendo, vel moriendo devoverint. Sic Pſaltes Pſal. CXVIII. 109. נפשי בכפי תמיד *Anima mea in manibus meis ſemper*, hoc eſt, ut exponit Paraphraſtes Chaldæus: *Anima mea periclitatur, ac ſi in ſuperficie manus mea eſſet, id eſt, obvia cuilibet expoſita in prædam.*

PRO NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI) ad gloriam virtutis, meriti, veritatis Chriſti manifeſtandam, & in univerſum orbem tranſmittendam.

Verſus XXVII. MISIMUS IGITUR JUDAM ET SILAM, QUI ET IPSI VERBIS REFERANT EADEM) Cum publica inſtructione miſſi, ut explicent ſententiam Concilii.

Verſus XXVIII. VISUM EST ENIM SPIRITUI SANCTO ET NOBIS) Duplex igitur ac ſubordinata authoritas munit Conciliare decretum, Spiritus S. & Eccleſiæ. Illa ſumma, eminentiſſima, independens. Hæc inferior & à ſumma dependens. Unde verò δόξαν, ſententiam Spiritûs S. Apoſtoli cognoverunt? Triplex medium videntur habuiſſe cognoſcendæ ſententiæ Spiritus Sancti. Primum eſt *Scriptura*. Nam Jacobus Apoſtolus ex Scriptura Amoſi demonſtravit, ὅπερ ἔδει δεῖξαι, & probabile eſt, plurimas

Digitized by Google

rimas alias prophetias allegâſſe. Quare non vacant Spiritu ſoporis Walenburgii Fratres, qui juxta alios gregales, Exam. III. de Cathol. Princip. locum hunc obducunt ad debilitandam Scripturarum authoritatem, & Eccleſiæ ſtatuminandam poteſtatem. *Non enim*, inquiunt, *dixerunt: Viſum eſt Spiritui S. & Scripturæ, vel Spiritui Sancto huic & illi revelanti.* Quam improba eſt oppoſitio Spiritus & Scripturarum; vocis & loquentis; Sententiæ & ejus, qui ſententiam protulit! Imò decretum ſuum referunt ad Spiritum Sanctum, per Scripturas Amoſi teſtantem, onus ἀβάςακτον legis non eſſe Gentilibus imponendum. Alterum medium fuit *Teſtimonium Dei*, quo atteſtatus eſt Gentilibus per viſibilem communicationem Spiritus Prophetiæ, & purificationem cordis per fidem. Hoc infallibile teſtimonium, quo cognoſci potuit Sancti Spiritus voluntas. Ultimum medium fuit haud dubiè *Spiritus prophetiæ*, qui illos in omnem veritatem direxit, promiſſus à Chriſto Joh. XIV. Quomodo intelligi debet locus Act. XIII. 2. 4. *Miniſtrantibus illis Domino & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabam. Et ipſi miſſi à Spiritu S. abierunt Seleuciam. Dixit Spiritus Sanctus*, nempe per os eorum, quibus inſpiratus fuit. Hæc igitur Spiritûs S. authoritas ſumma & ἀνυπεύθυνος fuit. Acceſſit authoritas ὑπεύθυνος Eccleſiæ: Viſum Spiritui Sancto *& nobis*. Mirificè hîc paratragœdiant Bellarminus, & ſocii. Nempe conſtare hinc, Spiritus Sancti ſententiam tum demum Eccleſiæ probari, cùm accedit Eccleſiæ authoritas. *Alioquin*, inquiunt, *quorſum attinuiſſet dicere:* Et nobis. Atque hîc idem contingere, quod in Republica, ubi edicta Regum tum demum firma ac rata ſunt, cùm non modò Regi ſic placuit, ſed acceſſit etiam ad Regis voluntatem decretum & approbatio Senatus. Deinde quia Concilii illius decreta dicuntur Spiritus S. decreta, colligunt *etiam reliqua Eccleſiæ Pontificiæ Concilia dotem infallibilitatis habere.* Sed præpoſtera eſt utraque Concluſio, & ex recta interpretatione Verborum Concilii facili negotio diſcutitur. Nempe ſunt alia dogmata ſolius Spiritus Sancti: quæ ſunt ἐπιταγαί. Alia ſunt dogmata fratrum, non directè obligantia, ſed in generali ad evitandum ſcandalum, quæ ſunt συγνῶμαι. Sic diſtinguit Apoſtolus, 1. Cor. VII. 25. De Virginibus ἐπιταγὴν Κυρίου οὐκ ἔχω. Γνώμην δὲ δίδωμι ὡς ἠλεημένος ὑπὸ Κυρίου πιςὸς εἶναι. Sic hoc loco habemus ἐπιταγὴν & mandatum Spiritus Sancti. *Nul-*

lum

lum eſſe imponendum onus. Hoc decretum Spiritus S. eſt. Sed accedit etiam γνώμη illorum, quibus datum eſt à Domino fidelibus eſſe, qui per Spiritum charitatis & prudentiæ dirigebant conſcientiam etiam in liberis, & excubantes pro ſalute Fratrum videbant, quid neceſſe eſſet ex præceptis morum pro conditione temporum & hominum magis inculcare. Igitur ne illorum libertas vel ad licentiam, vel ad ſcandalum infirmorum cederet, erat ἐπάναγκες, ut monerentur Gentiles, non concedi illis cum libertate illa πορνείαν, nempe in polygamia & divortiis, idolothyta, morticina & ſanguinem. Hanc poteſtatem habent hodiéque Fratres, ut per legem charitatis & Fidei reſtringant libertatem, qua ad licentiam homines abutuntur. Proinde δόξα Spiritus S. pertinet ad articulum fidei & mandatum conſcientiam per ſe obligans: Sed δόξα Congregatorum, cùm dicunt: Viſum eſt nobis: pertinet ad poteſtatem Eccleſiæ, quæ non eò ſe extendit, ut novas leges condat, vel articulos fidei quatenus à ſe concluſos, ſub obligatione conſcientiæ proponat: ſed ad ordinem Eccleſiæ conſervandum, & promovenda ea, quæ ad obſervantiam utriuſque tabulæ legis inſerviunt. Nihil igitur hic interpretationi Eccleſiæ infallibili, vel Conciliorum prætoriæ poteſtati vel ſeritur vel metitur. Quod magis etiam hoc argumento liquet, quia illi, quibus juxta Spiritum Sanctum ἔδοξε, non fuerunt tantùm Apoſtoli, ſed etiam Presbyteri & Fratres, nempe Eccleſia Hieroſolymitana. Hi enim omnes decretum condiderunt. Omnes decreverunt miſſionem ad Antiochenos. Omnes ſcribunt: *Apoſtoli, Presbyteri & Fratres.* Quidni igitur, ſi juſta eſt in Bellarmino argumentandi ratio, fas erit concludere, non ſolis Epiſcopis, ſed etiam Presbyteris & Fratribus, id eſt, quibuslibet Eccleſiæ membris Sacroſanctam eſſe infallibiliter interpretandi verba Spiritus dotem, & authoritatem Conciliorum, quibus etiam Presbyteri & Fratres quilibet Eccleſiæ ut Judices interſunt, eſſe infallibilem, & irrefragabilem? Neutrum, niſi fallor, illorum ſenſum impetrabit. Deſinant ergo ficulnea hæc folia legere. Sed preſſiùs agamus. Vellent igitur primò, Spiritus S. ſententiam non eſſe probabilem, niſi Eccleſiæ conſenſione & interpretatione nobis inſinuatam. Jam I. operam ludunt, niſi Eccleſiæ ſuæ veritatem argumentis neceſſariis demonſtrant. Quid enim juvat operoſiùs diſceptare, & definire, quæ ſint Eccleſiæ privilegia, qua poteſtate polleat, niſi conſtat, Romanam

Digitized by Google

nam Eccleſiam in ea commendatione eſſe, ut in ea privilegia ipſi poteſtas competat? II. Cùm teſtantur Apoſtoli ſibi viſum, non tantùm Spiritui Sancto, reſpiciunt ad τὰ ἐπάναγκες, de quibus nullum ſpeciale acceperunt à Spiritu S. præceptum. Quæ tamen conveniebat reſtringi, quia multùm hoc inſerviebat ad Chriſtianam charitatem, ut jam oſtendimus. Quid hoc ad infallibilem Scripturarum interpretationem, cui fideles ἀβασανίστως audientiam debeant? III. Prophetiam Amoſi citat Jacobus: Petrus multiplicia & realia Dei teſtimonia. An igitur ſtatui poteſt, prophetiam illam & Dei teſtimonia authore Spiritu Dei prædita ante Eccleſiæ authenticam propoſitionem non fuiſſe Divina? An ante hoc Concilium non fuerunt credibilia? An Petrus dubitavit de illa quæſtione; an Cornelius & qui cum eo fuerunt; an Paulus, an Fratres Antiocheni, antequam Hieroſolymis deſcenderent ad ipſos? Sed fortaſſe *habuerunt quidem pro vera ſententia de libertate Eccleſiæ Chriſtianæ, ſed non pro articulo credendo.* Imò Apoſtolus teſtatur Gal. II. 4. 5. ſe pro iſta veritate decertaviſſe, *ut veritas Evangelii apud eos maneret.* Sed concedent & hoc. Dicent *propter propoſitionem Apoſtolorum authenticam fuiſſe rem fidei.* Atqui videmus Sanctum Petrum argumentis agere Act. XI. 9. 15. 16. Etiam tum cùm Fratres cum ipſo egerunt, v. 2. Ita argumentis egit hoc capite v. 7. 8. 9. 10. 11. etiam Paulus & Barnabas, qui narrabant opera Dei. v. 12. Neque Jacobus authoritatem Petri, ſed verbum Dei ejus narrationi atteſtans allegat v. 15. IV. In verbis *viſum eſt Spiritui S.* ſignificatur εὐδοκία & θέλημα Spiritus S. Atqui abſurdum eſt, voluntatem & beneplacitum Spiritus S. ſuſpendere ab authentica propoſitione Eccleſiæ, ut non ſit credendum, niſi Eccleſiæ approbatio accedat. V. Sed poſito δόξαν Apoſtolorum, Presbyterorum & fidelium ſe extendere etiam ad illud, quod Spiritui S. viſum eſt, nempe ad διαταγὴν ipſam, ad articulum fidei, nihil tamen èſt, quo munire ſe Pontificii poſſint. Nam alia longè fuit ratio in Apoſtolica hac congregatione Apoſtolorum, alia Pontificis, quem faciunt non os tantùm ſed cor etiam Eccleſiæ. Quæ diverſitas non in eo tantùm conſiſtit, quòd illi, cùm fuerint os Spiritus Sancti, per quod ipſe locutus eſt, non potuerunt mentem Spiritus Sancti non rectè & procul metu erroris proponere; hîc autem Spiritum Dei non habet, nec ſermonem Dei in ſe permanentem, neque æſtimat, neque commendat, neque cuſtodit te-

Digitized by Google

ſtamentum Dei; etſi vel maximè hoc faceret, tamen, quia homo, cui non promiſſus paracletus ille ἀδιάπτωτος, quo ſolo error & tenebræ diſcutiuntur, à recto deflectere, & in anceps deſilire poteſt. Sed in eo cumprimis diverſitas apparet, quòd Apoſtoli in Concilio congregati, ſingulari quadam neceſſitate compulſi dicere debuiſſent: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*; quæ neceſſitas cùm hodie Eccleſiam non urgeat, ad illam neque formula hæc pertinet, neque ex ea colligi poteſt, Spiritus Sancti mentem non eſſe credibilem, niſi per authenticam propoſitionem Eccleſiæ. Nempe, cùm Paulus prædicaret libertatem à lege, adverſarii ejus fideles Eccleſiarum Gentilium induxerunt, aliter ſedere ſententiam Apoſtolis principibus, qui Hieroſolymis docent. Illos enim & obſervare legem, & obſervandam mandare. Hoc in Epiſtola Synodica diſertis verbis dicitur: *Quoniam audivimus, quòd quidam egreſſi perturbârunt vos ſermonibus, quibus hoc non præſcripſeramus.* Cùm igitur Pſeudapoſtoli, Petri, Jacobi, Johannis authoritatem ementirentur, non rationibus tantùm Synodus eos refutare neceſſum habuit, ſed etiam profeſſione conſenſus Apoſtolorum, quibus contrariam ſententiam affinxerunt. Hæc igitur peculiaris ratio eſt, ob quam non ſcribendum ſimpliciter fuit: *Viſum eſt Spiritui Sancto*, ſed etiam: *Viſum eſt nobis.* Quæ ratio cùm ubique locum habeat, apparet, quàm ἀπροσδιονύσως hoc loco militent. VI. Eſt eadem ratio authoritatis Eccleſiæ, quæ eſt ratio authoritatis paternæ, cùm hortatur Filium. Hæc autem ratio paternæ authoritatis, ut etiam, dum præſcribuntur illa, quæ ſuo pondere, nulla extrinſecus accedente alia authoritate ſe commendant, tamen authoritatis ejus mentio debeat fieri. Sic igitur, cùm Filium hortatur, ut Deum timeat, præceptum hoc eſt ejuſmodi, ut ſuo pondere ſe commendet, abſque Patris authentica propoſitione. Attamen, quia pater eſt, qui hortatur, hoc eſt, is, cui peculiariter hoc munus incumbit, decet eum authoritatis ſuæ meminiſſe. Si itaque ſic agat Pater: Deus abs Te, fili, exigit Numinis timorem, & ego Pater id ipſum abs Te exigo; éſtne quiſquam adeò inſanus, ut Patrem hoc velle putet hac locutione, ut Filius arbitretur, non eſſe timendum Deum, niſi quia Pater hoc præſcripſit? Eadem eſt in noſtro hoc negotio cauſa. Nempe ea eſt Eccleſiæ authoritas, ut quamvis nihil habeat, quo cogere poſſit ſeu intellectum, ſeu exteriorem hominem, tamen propter muneris functionem,

longè

longè major, quàm cujuslibet privati, vel etiam Doctoris in Schola docentis, & rationibus aliquid demonſtrantis. Propter hanc igitur authoritatem, quæ eſt à munere Divinitus inſtituto, licet Eccleſiæ formula uti: *Videtur Spiritui Sancto & nobis*. In quo ſi contemnitur, duplo graviùs peccatur, quia non modò res ipſa contemnitur, ſed & ordo, quem Deus inſtituit. Jam ut de altero Conſectario Bellarmini breviſſimè dicam, urget neceſſitas. Quia igitur Conciliare decretum ad Spiritum Sanctum authorem refertur, colligit Conciliorum ἀναμαρτησίαν & infallibilitatem. ὡς συλλήβδην reſpondeo. I. Expoſitum jam ſatis ſupérque à nobis, quo ſenſu hoc dixerint non ſoli Apoſtoli, ſed juxta Apoſtolos etiam Presbyteri & Fratres. Quæ ſi rectè attendantur, compertum habebimus, pro Conciliorum infallibilitate tam non facere, quàm quod minimè. II. Non cohæret ulla ratione dogma, ut ſi Hieroſolymitani Concilii decreta fuerunt Spiritus Sancti, talia ſint etiam neceſſariò Concilia ſequentium temporum. Nam ut ex eo, quòd Apoſtolis etiam ſeorſim exiſtentibus, prærogativa infallibilitatis in doctrina eſt indulta, nemo colligat, idem privilegium omnibus Paſtoribus, etiam ſeorſim exiſtentibus eſſe conceſſum: ſic nemo ex eo, quòd Apoſtolis ſimul exiſtentibus conceſſum eſt, ut ne errârint, colliget, Paſtoribus legitimis in unum congregatis conceſſum eſſe, ut ne errent. III. Si Concilia legitima ſint, & pro indeclinabili norma habeant ἀποκάλυψιν divinæ voluntatis, ibi exſtantem, ubi liquido exſtare conſtat, non intercedimus, quò minus dicantur infallibilia, ſemotis omnibus illis, quæ ad errorem ducunt. Sed legitima Concilia, ut notum eſt, dicuntur vel ea, in quibus celebrandis ritus externi obſervantur: vel ea, quibus nihil deeſt, non modò quoad formam extrinſecam, ſed etiam quoad ea, quæ Deus intrinſecus requirit. Talia Concilia, ſine fuco & fallacia congregata in nomine Chriſti, lubenter fatemur non poſſe errare in iis, quæ ſunt alicujus momenti. Sed quænam illa Concilia ſint, non inde conſtare dicimus, quòd vel in hoc vel illo cœtu congregentur, qui pro peculio Dei ſe venditant; ſed ex ipſis Concilii decretis, juxta illud: *Probate Spiritus, an ſint ex Deo?* Nam ut congregatio aliqua inſtituatur, & ſimulet ſe habere Spiritum & Signacula veritatis, & Apoſtolicas virtutes, tam fieri poteſt facilè, quàm quælibet alia res ſterili aliquo imitamento exprimi & ſimulari poteſt. Quamobrem judicamus, homini alicui

 pruden-

prudenti, & animæ ſuæ conſulenti, id operam dandum, ut cor ejus confirmetur gratiâ ex Scriptura per demonſtrationem Spiritus Sancti ad conſcientiam, & deinde, quod in Conciliis actum dictúmve, recognoſcere & examinare. IV. Quæ autem à longo tempore celebrata in Papali cœtu Concilia, ita ſanè agitata ſunt, & Spiritu Papæ directa, ut potiùs conſcriptis Patribus hac formulâ Conciliaria decreta obſignanda fuerint: *Viſum Spiritui Papæ & nobis.* Sanè in famoſa illa Tridenti habita Synodo, qui res Romanas familiariùs noverant, dixêre, omnia dogmata Romæ jam antè conſcripta juſſu Pontificis ad legatos ſuo tempore miſſa, ut præſcriptum illud atque formulam in diſſerendo Theologi ſequantur. Nam ex iis complures, ac Epiſcopos quoque multos alere ibi Pontificem, & ridiculo proverbio dici ſolitum: Spiritum Sanctum ſubinde Româ Tridentum venire incluſum manticæ. Propterea nimirum, quòd crebrò Pontifex & celeribus equis, quod fieri voluit, per literas atque mandata ſuis ibi Legatis mandârit. Vide Sleidanum lib. XXII. Dúdithius Quinqueccleſienſis Epiſcopus, Orator Cæſareus, declarat in Epiſtola ad Maximilianum Cæſarem, quid factum ſit Tridenti. Verba ſunt: *Nihil habuit cum illorum conventu Spiritus S. commercii, omnia erant humana conſilia, quæ immodica & ſanè quam pudenda Pontificum dominatione conſumebantur. Illinc reſponſa, tanquam Delphis aut Dodona expectabantur: illinc nimirum Spiritus ille Sanctus, quem ſuis Conciliis praeſſe jactant, tabellariis manticis incluſus mittebatur: qui, quod admodum ridiculum eſt, cùm aliquando, ut fit, aquæ pluviis exereſcebant, non antè advolare poterat, quàm inundationes deſediſſent, ita fiebat, ut Spiritus non ſuper aquas, ut in Geneſi, ſed ſecus aquas ferretur. O portentoſam & ſingularem dementiam! Ratum nihil eſſe poterat, quod Epiſcopi, tanquam plebs, ſciſcerent, niſi Papa auctor foret.*

NE QUID AMPLIUS IMPONEREMUS VOBIS ONERIS) Hoc decretum conſentaneum eſt verbis tum Petri: *non eſſe tentandum Deum, ut imponatur jugum ſuper cervices diſcipulorum*; tum Jacobi: *non eſſe obturbandum iis, qui ex Gentibus convertuntur.* Sic abrogant univerſam legis molem, quâ fuit gratiæ Jeſu Chriſti contraria, ac præcipuè ſervitutem illam in dogmatis de circumciſione, Sacrificiis, Feſtis, neomeniis, &c. Cæterùm libertas illa Chriſtianorum, conſiderari debet vel in conſcientiæ jure, vel in praxi ſecundum conſcientiam. Conſcientiæ jus ſitum eſt in fidei

ἀληθε-

Digitized by Google

πληροφορία, qua Chriſtianus credit, ſibi non eſſe ultra à Deo poſitam legem illam, quæ olim erat veteri Eccleſiæ poſita, quia propter præſentem Chriſtum ceſſat ſignificatio temporis futuri, nec ritibus Legalibus ultrà commodari poteſt abſque Antichriſtiano mendacio, Chriſtum non veniſſe, nec mortuum fuiſſe, ſed venturum & moriturum. Praxis autem iſta libertatis accuratè loquendo, non eſt ſita in illa ἀδιαφορία, qua quis pro re nata poſſit vivere vel Ἰουδαϊκῶς vel ἐθνικῶς. Sed diſtinguendum tamen hoc loco inter praxin illam libertatis, cui interceſſit ſervitutis aliquod temperamentum, à charitate Chriſtiana. Horum, qui propter Zelotarum conſcientiam aliquo ſe libertatis uſu mulctabant, & inter praxin libertatis Chriſtianæ liberrimam & pleniſſimam. Hæc ſuam temporis plenitudinem & ἀκμὴν habuit ſub Templi & urbis Sanctæ excidium, quando Judæi ſunt facti *Dei quod ad Evangelium inimici propter Ethnicos*, Rom. cap. XI. verſ. 28. Qua pleniſſima praxi libertatis nihil quicquam obſervatur rituum hujuſmodi, ac vitatur obſervatio tanquam res mortua & mortifera. Ex quo liquet, quid de Circumciſione Æthiopum, quam jam antiquitus receptam conſtanter retinent, ſit ſentiendum. Joſephus Scaliger de Emendat. Temp. lib. VII. pag. 111.640. *Cùm ex veteri conſuetudine*, inquit, *circumciderentur Æthiopes, teſte Herodoto & aliis Veteribus Scriptoribus, tamen accepto Chriſtianiſmo, preputia ex illa conſuetudine ad hunc uſque diem ponunt. Neque tamen ad illud coguntur ulla lege aut religione. Quare falsò eos in hoc* Ἰουδαΐζειν *quidam hodierni ſcriptores tradiderunt.* Addit alium ritum. *Sed cùm omnes Æthiopes, tam Chriſtiani quàm Muhamedani et Idololatra quoque, pueris omnibus à partu ſtatim venas* Κροταφίτιδας *cauterio inurere ſoleant, quòd eo facto à cerebri deſtillationibus ſeſe tueantur, quidam inter illos ſuperſtitioſi hoc in religionem verterunt, & cùm puer baptizatur, ſimul illi venæ temporales inuruntur, & acceptius illud tempus ei rei faciendæ diligere Deo ſeſe credunt.* Etiam Damianus à Goes, libro de moribus & fide Æthiopum, ſcribit; *Moris eſſe Æthiopibus, ut cum baptiſmo conjungant circumciſionem maſculorum & fœmellarum, non quidem neceſſitate Sacramentali, ſed politico tantùm prætextu, ut hac nota diſcernantur tanquam filii credentis Abrahæ à cæteris nationibus.* Franzius in Schola Sacrific. Diſp. IX. th. 70. *negat damnandam illorum ſuperſtitionem, modò imperitis, & tales declarationes non intelligentibus nec attendentibus, nullum ſcandalum præbeatur apud vici-*

nas & exteras alias Eccleſias. Nos, pace rogata Incomparabilis Scaligeri, damnandam illorum ſuperſtitionem in circumciſionis negotio, quicquid de cæteris illorum Ceremoniis, quas idem Scaliger & Oſorius lib. IX. rer. Em. tradunt, fiat, cenſemus, quia διαῤῥήδην Apoſtolus edicit: *Ecce ego Paulus dico vobis: Si circumcidamini, Chriſtum nihil vobis profuturum*, Gal. V. 2. Ad πρόφασιν illam reſpondet Paulus: *Eos, qui ex fide ſunt, eſſe Filios Abrahæ*, Gal. III. 7. Et Genealogia illa ſecundum carnem ex Abrahamo, olim quidem fuit περισσὸν τῦ Ἰυδαίυ, prærogativa aliqua populi Judaici. Sed poſtquam rami naturales defracti ſunt, & aliæ nationes præter naturam inſitæ, nefas eſt Chriſtianis in conſanguinitate Abrahami ſecundum carnem gloriari. Hinc Apoſtolus: *Nos poſthac neminem n[illegible]mus ſecundum carnem, nunc tamen non ampliùs novimus*, 2. Cor. V. 16. Quæ cognitio Chriſti & aliorum ſecundum carnem ſignifi[c]at, non fidem incarnationis Chriſti, ſed Fidei hoc προσφυὲς, quo ve[t]eri Judaico more in carnali cognatione cum Meſſia, & Genealogia Patrum collocatur præeminentia. Quod eſt contra canonem Jacobi, vetantis, ne habeamus fidem gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti ἐν προσωποληψίαις. Jac. II. 1.

QUAM HÆC NECESSARIA) πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων. Inſolentia phraſεως Virum cæterà ὀξυδερκέστατον, Claud. Salmaſium perpulit, ut corruptum hunc locum ſcriberet, lib. de Fœnore Trapezitico pag. 440. *Omnino*, inquit, *in Græcis legendum* πλὴν τῶν ἐπ' ἀνάγκης τούτων, *non, ut vulgò eſt*, ἐπάναγκες. *Quod in hac conſtructione omnino Græcum non eſt, nec fieri poteſt. At* ἐπ' ἀνάγκης ἔχω, *neceſſe habeo, Græci dicunt; qui &* ἐπάναγκες ἔχω *poſſent dicere: ſed hic, ut Syntaxis hujus loci eſt, non convenit.* Quæ conjectura docta eſt, & locum haberet, niſi conſtans eſſet Codicum in contrarium lectio. Cæterùm quod ad vocem ἐπάναγκες, Stephanus in Theſauro adnotat, *eſſe nomen indeclinabile, non ſemper adverbialiter poni.* Grotius docet, *eſſe vocem purè Græcam, & apud Demoſthenem & Plutarchum de iis rebus dici, quas lege fieri oportet, atque ſubaudiri* ὄντων. Non dubito, quin Grotius ea reſpexerit loca, quæ ex Demoſthene & Plutarcho citavit Stephanus, & de iis omnino rebus dicta, quas lege fieri oportet. Sed & illud dubitationem habet, cur voce ἐπάναγκες Lucas uſus ſit ad ea, quæ tamen admodum diverſos neceſſitatis gradus habent. Nam abſtinentiam à ſcortatione moraliter neceſſarium eſſe, certum

eſt,

Digitized by Google

eſt. Abſtinentiam à cæteris vel præcepto poſitivo, non purè morali, quod Curcellæus ſuſtinet, vel propter ſcandalum, ut nobis videtur, neceſſariam eſſe non minùs in confeſſo eſt. Johannes Cloppenburgius in Schola Sacrificiorum pag. 181. nodum ſic ſolvit: *Vox Græca ἐπάναγκες (quę adverbium eſt, poſitum loco nominis, ut πλησίον, ἐγγὺς & ſimilia) non ſignificat, ſi animadvertas, neceſſitatem abſque conſignificatione analogia ejuſmodi, quâ, ſi cuncta dicas neceſſaria eſſe, ſubintelligitur tamen neceſſitatis imparitas, ut cuncta non ſint ἁπλῶς neceſſaria. Præpoſitio enim ἐπὶ in compoſitione plurima vocabula ita modificat, ut non rerum ſignificatarum τὸ ἀκριβὲς exprimant ſemper, ſed etiam ſolam cum re ſignificata vicinitatem aut affinitatem: qualia ſunt ἐπίγαμος, nubilis, nuptiis vicina, ἐπίτεξ partui vicina, ἐπιθανὴς vel ἐπιθανάτιος morti vicinus, ἐπίδοξος opinabilis, ἐπίδασυς aliquantum denſus, ἐπίξανθος leviter flavus, & ſimilia. Quidnî ſimiliter ἐπάναγκες quaſi aut propemodum neceſſarium: ut quamvis unum ex quatuor neceſſariis ſit ἁπλῶς neceſſarium, à potiori numero tamen cuncta dicantur tantùm quaſi neceſſaria.* Digna ſanè Doctiſſimi Viri criſis, quæ in numerum perveniat. Quam utut Curcellæus carpat, nihil tamen affert, quo poſſit vel leviter infringi. Nam ſi verum eſt, quod agnoſcit, ἐπὶ paſſim in compoſitione hanc vim habere, quid obſtet, quò minùs etiam huic loco ea ſignificatio aptetur vel à potioribus, quæ ſequuntur, vel ab omnibus, ſi πορνείαν non ſimpliciter fornicationem interpreteris? Bellarminus in rem ſuam vertit neceſſariam illam abſtinentiam, ab Apoſtolis mandatam. Nempe de neceſſariis illis nihil præcepiſſe Chriſtum, ſed Apoſtolos novas has leges protuliſſe. Ergo Eccleſiam poſſe leges condere, quæ conſcientiam obligent. Etiam Walenburgii Fratres Controv. VIII. Num. XI. hoc textu pugnant, pertendentes: *Poſſe Eccleſiam ex plenitudine poteſtatis & proprio motu leges præſcribere, & ex re indifferenti neceſſariam facere.* Dicam paucis, quo acquieſcere poſſint, quibus mens læva non eſt. I. Agnoſcimus Eccleſiam legum condendarum poteſtatem habere, quæ Divinæ ſunt & conſcientiam obligant, non ratione materiæ, ſed ratione finis, quia inſerviunt pietati, charitati, & rectæ obſervantiæ legum moralium. II. Negamus, in Eccleſia eſſe poteſtatem quandam αὐτοκρατορικὴν & νομοθετικὴν, ἀρχὴν & βασιλείαν hominum, propter quam aliis liceat leges condere, dummodo, ut videri volunt, nihil præcipiant mandatis Dei contrarium: aliis neceſſe ſit propter conſcientiam,

tiam,& ſic in judicio Dei obedire. III. Hanc poteſtatem tantùm abeſt ut ſtabiliat Apoſtolicum Concilium, ut evertat etiam quàm clariſſimè, cùm dicit: Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, NULLUM ampliùs onus imponere. Si Spiritûs S. & Apoſtolorum ſententia eſt, ut nullum imponatur onus Chriſtianis, ſequitur, Præpoſitos Eccleſiæ non habere poteſtatem obligandi conſcientiam in ulla re non ſcripta. IV. Quod Apoſtolis facere licuit, illud ſequentium temporum Eccleſia temerè, quippe non datum uſurpat. Nam Apoſtoli non tantùm in iis, in quibus ἐπιταγὴν aliquam Κυρίου habuerunt, ſed γνώμην ſuam duntaxat liberè expectorârunt, dicere potuerunt: Δοκῶ γὰρ κἀγὼ πνεῦμα Θεοῦ ἔχειν, 1. Cor. VII. 40. Hoc Eccleſiæ nunquam prædicare licet, niſi quando ſe cum regula Verbi Dei conformat. V. Apoſtoli non ex plenitudine poteſtatis & proprio motu conſcientiam obligârunt, nec ex re adiaphora neceſſariam fecerunt. Hoc patet ex Paulo, ejuſdem decreti infallibili interprete, cujus auctor fuerat, & qui ſibi mentis ſuæ probè conſcius eſſe potuit. Is ſic accepit dogma Concilii, non quòd mandata hæc per ſe ex plenitudine poteſtatis ſancita fuerint, ſed quòd neceſſe fuerit conſcientiam alienam non verberare, & charitatis causâ in hac parte Judæis ſic Moſis verba accipientibus ſe ἀπροσκόπους præbere, ut videre eſt 1. Cor. X. 23. 24. 25. 27. 28. 29. 32. Quæ eſt enim cauſa hujus neceſſariæ ad tempus abſtinentiæ? *Quia Moſes ab antiquis diebus in Synagogis habet, qui eum prædicent* v. 21. Ergo præceperunt non in ſe illicita faciendo, ſed à ſcandalo activo eos avocando. Quæ res non caruit generali mandato in Scripturis expreſſo. Et ſanè fatentur Pontificii in univerſum omnes, præceptum Apoſtolicum non ad ſemper obligâſſe, ſed tantùm uſque ad defectum caſus ſcandali. Quare fateantur oportet, non per ſe & ratione materiæ hæc præcepta lata ab Apoſtolis conſcientiam obligâſſe, ſed tantùm ratione finis, puta ſcandali evitandi. Bellarminus plurima affert, quibus argumento ſuo fidem conciliet, & nervos reſponſioni noſtræ ſuccidat. Operæ pretium eſt, malè ab ipſo conſuta retexere. Objicit. I. *Fateri ſe, præceptum Apoſtolicum obligâſſe, ratione charitatis. Non tamen obſtare, quò minus dicatur etiam per ſe obligâſſe. Ut charitas eſt finis legum omnium Dei, tamen præcepta ipſa particularia de non occidendo, de non furando, non obligant ad diligendum Deum, ſed ad abſtinendum à re & bono alieno.* Reſpond. Nihil ſimile habent exempla.

Præ-

Præcepta de non furando & non occidendo, ſunt moralia, & per ſe obligantia. Præcepta de ſanguine & idolothytis nec moralia ſunt, nec per ſe obligantia, ſed ratione ſcandali. Deinde præpoſterè Legem de non furando accepit Bellarminus, cùm negat, eam ad charitatem obligare. An qui non concupiſcit bona proximi, non amat ipſum? Imò Chriſtus omnia præcepta ad dilectionem Dei & proximi reduxit. II. *In toto Apoſtolorum decreto, nullam fieri ſcandali vitandi mentionem.* Reſpond. Per ſe conſtabat. Et interpretatur ita Apoſtolus priori ad Corinthios, ut vidimus. Nempe Judæi ab his rebus abſtinebant ex Lege; Gentiles non abſtinebant. Apoſtoli contra Judæos abrogant Legis onus. Judæi non ferunt veſcentes. Ergo Apoſtoli Judæorum offenſioni cavent. Quis ratione uſus non cernit, ob ſcandalum vetari? III. *Nunc non ſervari illa præcepta, non quia ratio ſcandali quomodocunque ceſſavit, ſed quia ceſſavit univerſaliter, & proinde illa lex abrogata, præſertim in occidente.* Reſpond. Quid, malùm, ambages? Si lex conſcientiis poſita, cur non ſemper obligat? Quis poteſtate armatus tanta fuit, ut ſuſtineret Apoſtolicam conſtitutionem, conſcientiam per ſe obligantem, diſcingere? Ceſſavit omnino lex univerſaliter. Sed quæ ratio, ſi non defectus ſcandali? IV. *Nondum perveniſſe decretum ad Corinthios. Imò nullo tempore ipſos hoc præceptum habuiſſe. Reſpondiſſe igitur illis Paulum, quod reſpondendum erat ſecundum jus naturæ.* Reſpond. Atqui ad omnes Eccleſias Apoſtolicum decretum perferri debuit. Verùm non multùm refert, an pervenerit, nécne? Potuerunt occaſione præcepti Moſaici quærere, quis ejus ſit ſenſus. Ergo Paulus iis reſpondit. Quod reſpondit, ad illos haud dubiè pervenit. An ſcriberet aliquid pugnans cum decreto? Imò illud declarare debuit. Hoc facit, dum conſtanter inter *poteſtatem* diſtinguit, veſcendi idolothytis, & inter *praxin*, propter ſcandalum determinabilem. *Omnia mihi licent*, inquit, *ſed non omnia expediunt*. V. *Apoſtoli vocant hanc legem onus. Ergo obligavit in conſcientia.* Reſpond. Imò profitentur, ſe nolle imponere onus. Ergo hæc abſtinentia non fuit onus. Nempe non ampliùs per ſe conſcientias obligârunt, nec quiſquam ex iis judicari potuit, ſemota violatione præcepti de diligendo proximo. Sed fuerit onus. Non ideo ligavit per ſe conſcientiam. Nam quævis obſervatio, etiam in ſe libera, habet aliquid oneris. VI. *Vocantur neceſſaria. Non ergo liberè, ſed neceſſariò obſervanda fuerunt.* Reſpond. Non

Digitized by Google

ſimplex hæc neceſſitas fuit, ſed accidentalis & hypothetica, reſpectu aliorum, qui infirmiores fuerunt. Neceſſum fuit abſtinere, ſi periculum ſcandali evitare vellent. VII. *Chryſoſtomus hanc Epiſtolam vocat imperium.* Reſpond. Chryſoſtomus homil. 33. in Acta dicit: *Hanc Epiſtolam non habere Epicheremata aut Syllogiſmos, ſed imperium.* Eſſe Imperium, quis negat? Imperium eſſe perpetuum, ac ratione materiæ obligans, probandum eſt. VIII. *In Canonibus Apoſtolorum graviſſimam pœnam imponi pravaricatoribus: ſimiliter in Concilio ſecundo Aurelianenſi. Pœnam autem tam atrocem non poſſe imponi, niſi propter mortale peccatum.* Reſpond. Canones Apoſtolorum apud peritos rerum authoritatem nullam habeant. 2. Nihil tamen diverſum ab Apoſtolis Canonum horum authores ſtatuunt. Vetant edere κρέα ἐν τῷ αἵματι, θνησιμαῖα, καὶ θηριάλωτα. Eadem ratio Aurelianenſis Concilii. Utique eandem pœnam merentur, qui Apoſtolicis mandatis contravenerunt, ubi obligavit, quam illi, qui Fratris conſcientiam ſcandalo verberârunt.

Verſus XXIX. VIDELICET UT ABSTINEATIS AB HIS QUÆ SUNT IMMOLATA SIMULACHRIS.) Primum ergo τὸ ἐπάναγκες τοῦ ἀπέχεσθαι eſt lex de non edendis Idolothytis. Idolothyta ſunt, quæ idolis vel ſimulachris immolata. Suprà vocavit ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων. Irenæi Interpres habet: *à vanitatibus idolorum.* Heinſius refert ἀλίσγημα ad pollutionem non quamvis, ſed quæ eſt in cibis, qui idolis conſecrantur. Sic ſanè Daniel dicitur abſtinuiſſe cibo, ὡς οὐ μὴ ἀλισγηθῇ *ne polluatur in menſa Regis*, cap. I. 8. Et Malach. I. 6. 7. dicitur *profanari menſas Domini propter* לחם מגאל ἄρτους ἠλισγημένους, *panes pollutos.* Heſychius: ἀλισγημάτων τῆς μεταλήψεως μιαρῶν θυσιῶν. Nempe Gentilium communis erat cum Judæis conſuetudo, ex Sacrificio partem deligere ad convivium, quod in idoléo celebratum fuit. Sic Euander & Æneas fecêrunt apud Virgil. Æneid. lib. VIII. Gyraldus de Diis Gentium in fine operis ex Herodoto refert, Gentiles, qui immolabant victimas, poſt ſacrificium ex iis μερίδας domum apportâſſe, ut eas domeſticis diſtribuerent, & ad amicos tranſmitterent, atque ſic etiam abſentes Sacrificii participes efficerent. Sed & noti ſunt ſatis Veteres βωμολόχοι, qui fame & egeſtate pleni aras circuibant, & adulando victimarum partes emendicabant, aut ſcurrilibus dicteriis & jocis Sacerdotes vel ad-

ſtantes

Digitized by Google

ſtantes oblectabant. Unde Philoſophus exceſſum urbanitatis, quæ ſcurrilitas eſt, βωμολοχίας nomine inſignivit Ethic. IV. Et Pol, lib. 6. ὁ δὲ χάλαξ καὶ βωμολόχος ἂν λέγοιτο. Cæterùm idolothytorum eſus lege Moſis interdictus Exod. XXXIV. 15. *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne cùm fornicati ſunt cum Diis ſuis, & adoraverint ſimulachra eorum, vocet te quiſpiam, ut comedas* מזבחו *de idolothytis ejus.* Specimen ſeveræ vindictæ de tranſgreſſoribus expetitæ luculentum habemus Num. XXV. v. 1, 2. 3. ubi Iſraelitæ blandis illecebris & incantamentis fœminarum Moab idolothyta ederunt, & Beelphegor immolârunt; unde Moſes criminis reos contra Solem ſuſpendi juſſit. Quam hiſtoriam prolixè & pulchrè narrat Joſephus Antiq. Jud. IV. 6. Iiſdem artibus graſſatus, ſed irrito ſucceſſu, Julianus Apoſtata Chriſtianos Conſtantinopolitanos per idolothytorum eſum ad idololatriam ſeducere paravit, ut narrat Nectarius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus in Orat. quam habuit initio quadrages. *Cuncta*, inquit, *cibaria, quæ venum publicè in foris expoſita, Sacrificiis Diis immolatis infecit ac polluit, ut ſic omnes illi cogerentur veſci cibis immolatitiis, niſi fame confici vellent; cum oraculo Theodori Martyris, quênam modo conſulendum eſſet fidelibus fame periclitantibus, fuit Divinitus demonſtratum: nempe, ut tunc loco panis cocto frumento omnes uterentur in cibum. Quod ditiores pauperibus liberaliter elargiti ſunt per totam hebdomadam. Quando Julianus, deſperans ſe quod vellet perficere poſſe, victus Chriſtianorum continentiâ & conſtantiâ, rurſus puros cibos abſque ulla labe in foris apponi juſſit.* Cæterùm meritò contendimus, abſtinentiam illam ab idolothytorum eſu neceſſariam fuiſſe, non in ſe, ſed propter cauſas neceſſarias, quas hîc Apoſtoli procul dubio in conſilio adhibuerunt. Quibus ceſſantibus Chriſtianæ libertati conveniens eſt, ab illorum eſu vel temperare vel non temperare. Nemo feliciùs Synodi mentem ipſo Paulo, qui decretum cum cæteris Apoſtolis ipſe etiam condidit, nobis pandet. Hunc Corinthii rogârunt: Eſſétne fas, idolothytis veſci, necne? Hanc quæſtionem enodatum ivit tribus integris capitibus, octavo, nono, decimo, prioris ad Corinthios. Atque ita omnino agit, ut jus edendi idolothyta aſſerat: Sed praxin temperandam doceat multas ob cauſas. Patet ex textu multis non contemnendis rationibus. I. Docet non edenda eſſe idolothyta, quia οὐκ ἐν πᾶσι γνῶσις *non eſt in omnibus ſcientia*, nempe ido-

lum nihil eſſe in mundo, & quòd nullus ſit præterquam unicus Deus, cap. VIII.4.7. Ubi igitur eſt γνῶσις, ſcientia illa, eſus idolothytorum eſt licitus, modò non obſtet metus ſcandali, vel συνειδήσεως. II. Negat, cibum nos Deo commendare. οὔτε γὰρ, inquit, ἐὰν φάγωμεν, περισσεύομεν. Οὔτε ἐὰν μὴ φάγωμεν, ὑστερούμεθα, cap. VIII.8. Concedit ergo eſum idolothytorum, & inter adiaphora numerat. III. Vetat, ne libertas Corinthiorum circa eſum idolothytorum vergat εἰς πρόσκομμα τοῖς ἀσθενοῦσι in offenſionem eorum, qui ſunt infirmiores, verſ.9. Vindicat ergo poteſtatem, ſed praxin moderationi ſubjicit propter infirmiores. Quid clarius? IV. Quia evenire poteſt, ut in idoléo accumbente ille, qui ſcientiam habet, conſcientia Fratris infirmi ædificetur εἰς τὸ εἰδωλόθυτα ἐσθίειν, verſ.10.11. Proinde præpoſtera hac praxi, quæ prudentia & charitate proximi non temperatur, peccari in Fratrem, & ſcandalo percelli infirmam ejus conſcientiam. Manifeſtum eſt, non eſum idolothyti per ſe pullari, ſed ſcandalum, Chriſtianæ charitati contrarium. V. Toto capite nono ſuo exemplo comprobat libertatem Chriſtianorum lege prudentiæ eſſe moderandam & coërcendam. Se Apoſtolum, ſe liberum; Se poteſtate pollere ad edendum, bibendum, conjugem circumducendum, ſtipendium expoſcendum. Sed, inquit, ἐλεύθερος ὢν ἐκ πάντων, πᾶσιν ἐμαυτὸν ἐδούλωσα, *liber cùm ſim ab omnibus, me omnibus ſervitio addixi*, cap. IX.19.20.21. Hac ſua prudentia oſtendit Corinthiis, ita uti illos libertate idolothytorum veſcendorum oportere, ut inſerviant proximo, & infirmiorum fratrum conſcientiam ſublevent. Quis non videt, hanc rationem in applicatione non militaturam, ſi Corinthiis poteſtas non eſt data, & jus idolothytis veſcendi? Curcellæus brevi reſponſione ad argumenta hæc diſcutienda defungitur: *Apoſtolum ita loqui per conceſſionem, propter eos, qui de ſcientia ſua gloriabantur, & actionem fidelibus indignam, nempe quòd in idoléo cum Gentibus accumberent, hoc vano prætextu defendebant: Se ſcire idolum nihil eſſe, & ab eo, quod nihil eſt, inquinari non poſſe. Quibus ita obviam it: Volo ut res ſe habeat, quemadmodum dicitis: Attamen ab iſtis conviviis abſtinere deberetis in gratiam fratrum infirmiorum, quibus periculoſiſſimum ſcandalum præbetis. Quod ad me attinet, longè aliter ſum animatus: mallem enim abſtinere in æternum, non ſolùm ab iſtis victimis, ſed ab omnium carnium eſu, quàm aliquod offendiculum fratri meo præbere.* pag. 119. Reſpondetur. Non infringuntur

hoc

hoc reſponſo noſtræ rationes. Probandum, Apoſtolum συγχωρητικῶς loquutum. Quid tam longo circuitu opus eſſet? Duo integra capita huic rei, octavum & nonum tribuit. Neque ullum veſtigium eſt, voluiſſe indirectè & per conceſſionem cum Corinthiis agere. Imò verſ. 8. Generalis & rotunda eſt aſſertio, Corinthiorum libertatem ſuffulciens: *Cibus vos non commendat Deo, &c.* Quis cibus? An communis & vulgaris? Imò de conſecrato & devoto idolis eſt quæſtio. Non moramur igitur nudam Curcellæi theſin. VI. Apoſtolus capite decimo oſtendit, Corinthiis illicita eſſe idolothyta, quæ eduntur ex infidelitate & cum profeſſione idololatriæ, vel ex infirmitate fidei, vel ex typho ſcientiæ. Si eo modo & iis circumſtantiis quis comedat, v.9. in idoléo, cùm peragitur Sacrificium idololatricum, ut id vel faciat ad idolorum cultum, vel in fide unici Numinis nutet, vel certè cenſeri poſſit id facere ad idolorum cultum, & comedens profiteri idololatriam, perinde atque is, qui miſſæ Pontificiæ intereſt, cenſeri poteſt cultu Pontificiorum captus & delectatus hoc facere. *Quamobrem*, inquit, *Filii chariſſimi, fugite à cultu idolorum*, verſ.14. Vult dicere: Ne vel Sacrificio idola colite, vel idolothyta, id eſt, Sacrificia eis immolata comedite, quaſi Sacra & Sacrificia, uti ea comedunt Gentiles, peracto ſuo Sacrificio ad aras, vel in Templis idolorum. Sic enim participaretis eorum Sacrificiis, & cenſeremini iis conſentire, ea tacitè laudare, imò & offerre. Ac deinceps graviſſimis rationibus probat, idolothytorum eſum in hac circumſtantia, utpote idololatricum, eſſe homine Chriſtiano penitus indignum. Ex quo concludo, Apoſtolum idolothytorum eſum non facere in ſe & ſuâ naturâ malum, & illicitum, ſed ex accidenti, in tali περιστάσει, quâ quis illorum eſu idolis litat, vel dubitat de vero Deo, vel idololatris συνευωχεῖ, vel infirmo Fratri ſcandalum affert. Quis autem dubitare poteſt, quin res quælibet, etiam maximè adiaphora in talibus circumſtantiis illicita fiat? Secus autem eſt, ſi quis poſt convivium ejuſmodi idololatricum vel ſolus domi, vel in idoléo, idololatra vel infirmis fratribus non inſpectantibus, ſive fame ſive cupiditate ſtimulante idolothytis veſcatur. VII. In eadem quæſtione Apoſtolus ſic loquitur: *Omnia mihi licent: ſed non omnia ædificant. Si quis vos vocat infidelium, quicquid vobis apponit, comedite, nihil interrogantes propter conſcientiam. Si quis autem dicat: Hoc eſt idolothytum; ne comedite, propter*

conſcientiam non tuam, ſed alterius, v. 23. 27. 28. 29. Planum eſt Apoſtolum declarare Chriſtianam libertatem in eſu Idolothytorum, ſed propter conſcientiam Fratris nolle illam exerceri, ubi ejus periculo exercitium conſtat. VIII. Neque aliam Apoſtolorum fuiſſe mentem, colligi poteſt ex Cyrillo, lib. 7. contra Jul. *Igitur negantes omnino idola exiſtentia, neque Diis immolatum aliquid eſſe dicimus. Edimus autem purâ conſcientiâ, Deo gloriam dantes, qui nobis omnium eduliorum liberum, & non damnoſum largitus eſt uſum. Si autem quis infirmus adhuc eſt, nec validam mentem habet, exiſtimátque eſſe aliquid etiam verè idolothytum, nondúmque progreſſus eſt ad tam ſinceram fidem; indulgemus ſicut quidam Ludimagiſtri, parvulos inſtituentes, paulatimque provehentes ad parvam rei experientiam.* De eadem re citatur cap. 39. Theodori Abucare, & reſponſio Arethæ, nec non Petri Antiocheni epiſtola ad Cærularium, à Leone Allatio de Conſ. Orient. & Occid. Eccl. p. m. 1170. Ipſi Antiocheni, ad quorum Majores Synodicum decretum Apoſtolorum ſuo tempore miſſum fuit, hoc ſenſu decretum facto ſuo ſunt interpretati. Cùm enim, commemorante Theodoreto Hiſt. Eccleſ. III. 14. & Nicephoro X. 12. Julianus Apoſtata primùm fontes, tum qui in urbe erant, tum qui Daphnæ, ſceleratis victimis contaminâſſet, quò ſinguli, qui aquam guſtarent, tetra nequitiæ labe inficerentur: deinde ea, quæ in foro venum exponebantur, eâdem ſceleris maculâ inquinaret, Chriſtiani quidem impensè ea deteſtabantur, tamen, inquit Theodoretus μετελάμβανον ὅμως, Ἀποστολικῷ πειθόμενοι νόμῳ. Πᾶν γὰρ, φησὶ, τὸ ἐν μακέλλῳ πωλούμενον ἐσθίετε, μηδὲν ἀνακρίνοντες διὰ τὴν συνείδησιν, *eiſdem veſcuntur; legi Apoſtoli obſecuti, ita jubenti:* Quidquid in macello venditur, comedite, nihil dijudicantes propter conſcientiam. Detrectârunt quidem idem facere Chriſtiani Conſtantinopolitani, de quibus ſupra audivimus Nectarium. Sed fecerunt in odium Juliani, & idolorum ſummam deteſtationem, non quòd libertas ſecus faciendi, & facultas deeſſet. Non potuit enim Apoſtata cibos communes illo contactu fœdare, vel Dæmonibus aut idolis ſacros devovere: ita, ut qui illis veſceretur, cenſeri poſſet duci religione idoli, vel idololatriam profiteri. Eſto enim, intenderit hoc Apoſtata. Unus tamen fuit, neque potuit vel rem ipſam, vel commune hominum judicium mutare, qui cenſebant rem hanc non idololatricam, ſed adiaphoram eſſe. Auguſtinus Epiſtolâ centeſimâ quinquageſimâ quartâ ad Publicolam

colam ſcribit: *Si ex acervo frugum portionem aliquam idololatra ſimulachris obtulerit, aut de vino nuper in torculari expreſſo, id non efficit, quin poſſimus liberè eo uti, quod ſupereſt tam in torculari, quàm in area, quia de fontibus & puteis aquas haurire non veremur, unde illi accepe-runt, ut idolis Sacra facerent.* Multa in hanc rem diſputat pius Pater. Paulus etiam permultos dies Athenis fuit, & procul dubio fructibus & proventibus Athenienſis agri veſcebatur, qui tamen Minervæ conſecratus erat. Imò cùm & veteres conſueſſent interdum litare fontibus & fluminibus, quòd eis Divinitatis neſcio quid attribuerent, & ob eam cauſam immolatas carnes aut extra nonnunquam in ea projicerent, dubitatum eſt, an poſtea illis aquis Chriſtianis uti liceret? Reſpondet Auguſtinus, utique licere. *Nam ſcimus*, inquit, *eſſe complures, qui Sacra faciunt Soli, non tamen ob id ejus luce uti veremur, & adſpectu radiorum ejus frui. Quin & inveniuntur infideles, qui victimas immolant ventis, & nihilominus in noſtris navigationibus utimur.* Hactenus optimè Auguſtinus, & planè ex vero. Sed quem alium caſum ipſi commemoravit Publicola, illum ita ſolvit, ut paulò duriùs loqui videatur. *Quidam*, inquit Publicola, *per deſerta iter faciebat, idémque vehementiſſimè eſuriebat, & fanum ſive ſacellum idolorum obvium habebat, ubi fortè fortuna quaſdam carnes appoſitas offendebat.* Quærit ex Auguſtino: An ei, Chriſtianam religionem profeſſo, licuerit edere? Reſpondet Auguſtinus: *Quia poteſt fieri, ut carnes illæ non ſint immolatitia, ſed ibi caſu à peregrinis relicta, qui eò diverterint, vel ad prandendum, vel ad cœnandum, ideo, cùm non conſtet fuiſſe immolatitia, is qui eſurit, poteſt ea uſurpare.* Deinde, quaſi ſibi non ſatisfecerit, utitur hac diſtinctione: *Is vel certò novit carnes eſſe immolatitias, vel certò non novit, vel dubitat. Si dubitat, aut certò non novit non eſſe immolatitia, liberè comedat. Verùm ſi certò conſtiterit, carnes eſſe immolatitias, ex Chriſtiana pietate abſtineat.* Et ſupponit etiam manifeſtum mortis diſcrimen. Curcellæus hoc Auguſtini judicium magnopere prædicat pag. 123. Verùm ſalva authoritate Magni Patris, non conſtare videtur ratio, cur Chriſtianum eſurientem oporteat morti potiùs ſe victimam dare, quàm ab ejuſmodi victima idolis immolata temperare. Cùm enim ſit Chriſtianus, non edit idoli reverentiâ. Cùm ſit ſolus in ſolitudine, non habet illic infirmos fratres, quos offendat. Neque communicat cum Dæmonibus, cùm ibi nullum ſacrum agitetur. Multò minùs infidelibus ex-

ponit

ponit libertatem ſuam condemnandam & blaſphe mandam, cùm ex hypotheſi nulli in ſolitudine adſint. Quantò rectiùs Antiocheni Chriſtiani, de quibus ſuprà egimus, vitam redemerunt his dapibus, ſecuti Apoſtolicum mandatum : *Edite, nihil interrogantes propter conſcientiam. Eſt enim Domini Terra & plenitudo ejus.*

ET SANGUINE) Tertullianus lib. de Pudicitia, & Cyprianus lib. ad Quirinum, cenſent, per ſanguinem vetari homicidium. Imò Cyprianus legit, non ſimpliciter *& ſanguine*, ſed à ſanguinis effuſione. Tametſi Tertullianus videtur potiùs argumentatus à minori ad majus. *Erubeſcat*, inquit in Apologetico cap. 9. *veſter error Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus, qui propterea etiam ſuffocatis & morticino abſtinemus, ne quo ſanguine contaminemur vel intra viſcera ſepulto.* Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſ. 4. Ut fideles recedant à more Barbarorum: *Multi homines feri, & immanes more canum viventes, ſanguinem lingunt inſtar belluarum*, &c. *Tu verò Domini Dei ſervus, cùm veſceris, veſcere cum modeſtia, &c.* Quaſi vetaretur tantùm edere ſanguinem more canum & lingere. Sic & Juſtinus in Quæſt. cap. 145. *Ut ſeparaset*, inquit, *nos Deus à belluarum ſimilitudine.* Nempe Scythæ & Tartari ſoliti olim in ſiti, equo, cui inſidebant, venam aperire, & ſanguinem ejus potare. Hinc Martialis in Amphitheatro : *Venit & epoto Sarmata paſtus equo.* Plinius lib. XVIII. 10. *Sarmatæ*, inquit, *hac pulte aluntur, et crudâ etiam farinâ equino lacte, vel ſanguine è cruris venis admixto.* Nos ultrò fatemur, ſanguinis brutorum eſum hoc loco intelligi. Videſis, quæ prælibavimus cap. 1. Sect. V. VI. VII. VIII.

ET SUFFOCATO) Propter ſanguinem in viſceribus contentum Suffocatis etiam interdicunt. Curcellæus, cùm *prævideret* hanc vocem ſibi nocere, ſimpliciter illam *poſtulat* [illegible]. Pugnat tum authoritate Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, Paciani, Gaudentii; tum magni momenti, ut ipſi videtur, ratione pag. 131. 132. 133. Non placet, ut mutetur temerè. Habet illam Syrus, qui tranſtulit מן דחניקא à Suffocato. Quin autem Syriaca Interpretatio omnibus illis Patribus à Curcellæo allegatis, ſit vetuſtior, nemo rerum peritus dubitare poteſt. Nam vel Apoſtolorum temporibus, vel pauló poſt ea tempora factam eſſe, conſtans eſt Orientalium traditio. Quin & Origines antiquitate paucis inferior, vocem retinet lib. 8. contra Celſum, ubi hanc

Digitized by Google

hanc rationem affert prohibitionis ſuffocatorum: *quòd Gentiles cenſuerint; Suffocata eſſe Dæmonum cibum.* Sed & Tertullianus in Apologetico: *Propterea ſuffocato etiam & morticinis abſtinemus.* Abſtinuerunt igitur Chriſtiani ſuffocatis. Quæ ipſis abſtinentiæ ratio, niſi Apoſtolicum interdictum? Ut fruſtra pro ſe Tertullianum allegaverit Curcellæus. Neque bona fide agit, cùm Auguſtinum pro ſe citat. Quamvis enim in ea periodo, quam producit Curcellæus, non tangat, tamen paucis lineis interjectis loquitur *de carnibus præfocatis.* Hinc Concilium Conſtantinopolitanum ſextum in Trullo habitum Canone 67. inter alia: *Sacra Scriptura nobis præcipit, ut abſtineamus à ſanguine & ſuffocato & fornicatione.* Confer etiam Canonem Apoſtolicum LXII. in quo cum ſanguine ſuffocatum jungitur. Patres autem in contrarium adductos pleroſque probabile eſt non expreſſiſſe ſuffocata, quòd cenſerent quodammodo ſub ſanguinis interdicto contineri. Potiùs igitur eſt, ut vocem πνικτῦ cum Stephano, Eraſmo, Beza retineamus. Neque prohibet ratio, quam adfert Curcellæus, & quam magni momenti eſſe prædicat pag. 135. *Suffocatorum eſum disertè fuiſſe Gentilibus lege Moſaica conceſſum,* Deut. XIV. 20. 21. *Non eſſe autem probabile, Apoſtolos, qui cætera omnia Iſraëlitis peculiaria legis Moſaicæ onera tam ſtudiosè à Gentilibus converſis removebant, gravius ullum, quàm iſtud, quo omnes Noachi poſteri tenebantur, imponere voluiſſe.* Reſp. Non tantùm Gentilium ratio habenda fuit, ſed etiam Judæorum, quorum in gratiam ſancitum, ut etiam Gentiles à ſuffocato abſtinerent. Deinde falsò ſupponit omnes Noachidas uſque ad Chriſtum ad interdictum ſanguinis fuiſſe obligatos. Demonſtravimus ſupra, præceptum illud Ceremoniale fuiſſe.

ET SCORTATIONE) Nihil abs re dicit Heinſius Doctiſſimus, Exercit. Sacr. pag. 300. ſcribens: *Nullum in his libris locum eſſe, in quo plus difficultatis invenerunt, plus reliquerunt Summi Viri.* Scrupulus in eo hæret, quemadmodum Apoſtoli cum interdicto temporaneo uſus rerum adiaphorarum conjunxerint interdictum Scortationis, quam jus naturæ & Romanæ leges juxtà Gentilibus prohibuerunt. Communis reſponſio eſt, quam ſequitur Eraſmus in Paraphraſi & Piſcator, quibus Curcellæus noſter ſe jungit, Scortationem adiaphoris accenſeri, quia à Gentibus non habebatur pro flagitio, ut videre eſt 1. Cor. VI. 15. 16. Et notum eſt ex illo Teren-

 tiano:

tiano: *Non eſt flagitium, mihi crede, adoleſcentulum ſcortari*, Adelph. Act.I. Sc.2. Non ſatisfacit hæc explicatio vel Bezæ vel Heinſio. Et ſanè non videtur juſtum, Gentibus in univerſum omnibus impingere tam pravum judicium, eò quod inter Gentes eſſent, qui aut leve, aut ne peccatum quidem eſſe crederent. In jure Canonico c. Is qui Diſt.34. ex Canone XVII. Concilii Toletani concubinatus non obſcurè videtur permitti. Pariter in jure Civili manifeſtæ ſunt Conſtit. Impp. & reſponſa Juris conſultorum veterum, puta in C. & Dig. tot. tit. de Concubin. quibus ad evitanda majora mala Conſtuprationum & adulterii, concubinatum tolerari cenſent. Donec tandem Leo Imp. Conſtantinopolitanus *Philoſophus* dictus concubinatum penitus ſuſtulit, Novella 91. Et diſputant Scholaſtici: Utrum fornicatio ſimplex peccatum contra jus naturæ ſit? Negante id Durando in 4. Diſt.33. 4. 2. Quis ideo concludat, inter Chriſtianos concubinatum pro re adiaphora haberi. Imò ne Pagani quidem deſunt, qui damnârunt, quod prohibitum civili jure negatur. Sunt inter eos, qui amorem illegitimum aut nimium μανίαν: Sophocles legitimum quoque, ſed plerumque impotentem, nimiúmque λυττῶντα καὶ ἄγριον δεσπότην dixit. Muſonius ne ἀσχημοσύνην quidem λόγων, ſive intemperantiam verborum admittendam cenſuit. Neque eam Gentilibus ſententiam ſediſſe innuit Apoſtolus 1.Cor.VI.15.16. Sicut cùm Rom.I.26.27. fœminas ac mares proprio ſexu fœdiſſimè inter ſe abuſos dicit, nemo inde colliget, tanquam placitum commune aut omnibus approbatum, id eſſe accipiendum. Plautus in loco allato non ex ſua ſententia loquitur, ſed ex perſona ejus, quem deſcribit. Quin & Comici interpres diſtinguit inter delictum & flagitium. Negari flagitium, non delictum. Ergo Beza πορνείαν interpretatur Spiritualem ſcortationem, quomodo paſſim idololatria dicitur. Non quidem craſſam illam intelligit, quæ eſt ſine exceptione deteſtanda, ſed quam illorum temporum & exortæ contentionis circumſtantiæ requirebant. *In hanc autem*, inquit, *ſententiam me deducit Paulus, hujus Epiſtolæ Synodicæ optimus interpres*, 1.Cor.VIII. & X. *duas ſpecies conſtituens hujus interdicti, unam* τῶν εἰδωλοθύτων, *extra Idolorum Templum & Sacrificia: alteram convivii in ipſo Idolorum Templo, & ipſius Sacrificii appendicem.* Hîc igitur loci vult intelligi alteram ſpeciem idolothytorum, puta accubitum in idolo, & cætera hujuſmodi. Sed manet profectò,

fectò, imò magis etiam adſtringitur nodus: Quamobrem Apoſtoli rebus tam indifferentibus ſub eodem titulo junxerint mandatum rei ſuâ naturâ deteſtabilis vitandæ. Deinde non apparet ratio, cur neceſſitatis tantùm causâ, non præcisè hîc damnetur πορνεία, ſi eſt idololatria. Nam graviſſimum omnium peccatum eſſe quis dubitet? Jam quod ad Apoſtolum attinet, is decimo prioris ad Corinthios de idolothytis agit, quorum eſum taxat in idoléo, conjunctùm cum profeſſione publica idololatriæ. Si idololatricum illum idolothytorum eſum nomine πορνείας ſignificâſſent Apoſtoli in Synodo, magnopere intererat, ut ab Apoſtolo Corinthiis hoc explicaretur. Seldenus lib. VII. de jure Nat. & Gent. Hebr. cap. 12. videtur intellexiſſe fornicationem non ſimpliciter, ſed ejus ſpeciem & gradum turpiſſimum adulterium & inceſtum, qui nomine πορνείας venit apud Apoſtolum 1. Cor. V. 1. Quæ ſententia planè vero non eſt conſentanea. Docet Paulus illam πορνείαν ne inter Gentes quidem nominari. Ergo notorium crimen ab omnibus eſt habitum, atque ſic naturæ inſtinctu vitatum. Cur igitur ejus interdictum novum ſtringerent? Imò cur conjungerent rebus ſuâ naturâ licitis? Heinſius oculatiſſimus, ingenioſam hîc & eruditam conjecturam protulit. Πορνείαν interpretatur, πορνικὴν θυσίαν. Sic enim Deus in lege præcepit Deut. cap. XXIII. 18. *Non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium canis in domo Domini.* Ita Proverb. cap. VII. verſ. 14. dicit meretrix: זבחי שלמים עלי היום שלמתי נדרי: *Sacrificia pacifica mihi: Hodie retribui mea vota.* Athanaſius libro adverſus Gentes, de fœminabus in Phœniciæ Templis: Νομίζουσαι τῇ πορνείᾳ τὸν Θεὸν ἑαυτῶν ἱλάσκεσθαι. Meretricia oblatione placari ſibi Deum putabant. Ubi voce πορνείας utitur pro θυσίᾳ πορνικῇ. Et ſanè cum ſupra verſu 20. non ſimpliciter πορνεία prohibeatur, ſed ἀλίσγημα πορνείας, cenſeri poteſt, proximè ad mentem Spiritus Sancti accedere obſervationem. Nam ἀλίσγημα uſitatè de cibis accipitur. Unum tamen obſtare videtur. Si quæſtum meretricium Apoſtoli prohibuiſſent, vel prohibuiſſent ut Sacrificio devotum, ut in lege Moſis factum eſt: vel ut cibum ſimpliciter. Poſteriori modo nulla ratio fuit, ut prohiberetur: nec fortaſſe caſus. Nec ipſe Heinſius, niſi fallor, hoc pertendit. Nam de victima meretricia loquitur. Si priori modo, ſuperflua propoſitio videtur; cùm jam omne idolothytum interdixerint. Qui ἀλίσγημα εἰδώλων prohibet, eâdem operâ meretricium quæſtum idolis devo-

tum prohibet. Quid ergo? Fornicationem prohibitam ſanè credimus. Sed talem, quæ judicio hominum pro ſcortatione non habebatur, ſive à Judæis ſive à Gentilibus, ſed pro re naturâ ſuâ indifferente. Intelligo autem *πορνείαν* in Polygamia & divortiis. Quomodo Chriſtus adfirmat, *eum, qui repudiat mulierem, εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, & ducit aliam, μοιχᾶσθαι*, Matth. XIX. 9. Marc. X. 11. Luc. XVI. 18. Rom. VII. 3. 1. Cor. VII. 10. Fuiſſe autem hoc genus *πορνείας* inter Judæos & Gentiles tum uſitatum, tum in vili habitum, abundè conſtat. De Judæis approbat Chriſtus Matth. XIX. 9. Et agunt de divortiis Thalmudici integro tractatu גטין. Fuiſſe autem in hiſce divortiis propriè dictam *πορνείαν*, certum eſt, quicquid videatur inter Scholaſticos Thomæ, Paludano, Durando, Abulenſi, Cajetano, Bellarmino. Ex Politia Judaica temeraria divortiorum licentiâ ad Gentes etiam dimanavit. Solon Athenienſis lege ſanxit, ut qui uxorem exturbâſſet, dotem ille reſtitueret, alioquin interuſurium ſeſquidrachmale ob moram ſolvere cogebatur. Alexander ab Alexandro lib. IV. genial. dier. cap. 8. *Apud Athenienſes libello repudii porrecto vel à viro vel ab uxore, an concedi debeat, Magiſtratus decernit.* Diodorus Siculus lib. 12. Bibliothec. Charondæ lege datam mulieribus facultatem quacunque de cauſa de viris diſcedendi. De Romanis quidem prodidit Tertullianus Apolog. cap. 6. *Per annos ferè ſexcentos ab Urbe condita nullam domum repudium ſcripſiſſe.* Id quidem ſic accipiendum, quod ob reverentiam matrimonii conceſsâ per leges licentiâ non fuerint uſi. Nam aliquid de divortiis cautum fuiſſe XII. Tabulis, ex Ciceronis Philippica ſecunda cenſet Hottomannus part. III. Com. ad XII. Tabulas. De Romulo Plutarchus memorat, quòd viro jus dederit, *γυναῖκα ἐκβάλλειν ἐπὶ φαρμακείᾳ τέκνων, ἢ κλειδῶν ὑποβολῇ, καὶ μοιχευθεῖσαν.* Hinc Chriſtiani imperatores exultantem *illam* divortiorum licentiam utcunque coërcuerunt. De Polygamia etiam res teſtatiſſima eſt. Nam Judæos quidem quod attinet, Joſephus Antiq. XVII. 1. *Πάτριον ἐν ταὐτῷ πλείοσιν ἡμῖν συνοικεῖν. Mos nobis Patrius, eodem tempore plures habere uxores.* Peſictha ad Lev. XVIII. notiſſimum ait eſſe, eum qui dicat vetitum eſſe habere plures uxores, neſcire quid ſit de lege. Juſtinus Tryphoni in Dialogo exprobrat pag. 285. *Magiſtri veſtri ad hoc uſque tempus quatuor & quinque uxores unumquemque veſtrum habere permittunt.* Hinc Theodoſius, Arcadius & Honorius Imperatores, quamvis multa in Judæis tolerarent, Poly-

gamiam

gamiam iis tamen permittere noluerunt l. 7. C. de Judæis: *Nemo Judæorum morem ſuum in conjunctionibus retineat, nec juxta legem ſuam nuptias ſortiatur, nec in diverſa ſub uno tempore conjugia conveniat.* Tametſi in eo falluntur, quòd legem nominant, cùm perverſæ conſuetudini illorum licentia non legi ſit omnino deputanda. Ut nec Cuneo de Rep. Heb. II. 23. nec Grotio de Jure Belli & Pacis II. 5. neceſſum ſit nos aſſentiri. Soli Pontifici apud Judæos nefas fuit, uxores duas ſimul in matrimonio habere, ut traditur in Thalmud. in Maſſechta Joma cap. 1. Sed & pleraſque gentes certum eſt, antiquitus ut divortiorum libertate, ita plurium fœminarum conjugio uſas. Tacitus de moribus Germanorum cap. XVIII. 1. *Propè ſoli Barbarorum Germani, ſingulis uxoribus contenti ſunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur.* Vide Matthiam Berneggerum ad illum Taciti locum. Apud Græcos Cecrops primus, teſte Athenæo, *μίαν ἑνὶ ἔζευξεν*, unam fœminam uni marito attribuit. Quod tamen ne Athenis quidem diu obſervatum Socratis & aliorum exemplo conſtat. Diſputat de ea re Euripides in Andromacha ex perſona Hermionis, ubi concludit, propter tranquillitatem domeſticam præſtare, ut unica conjuge, qui ſapiunt, oblectentur. Apud Ægyptios ſoli Sacerdotes unius fœminæ conjugio utebantur, teſte Herodiano lib. II. Quòd ſi qui populi continentiùs egerunt, ut Romani, ſemper duabus uxoribus, divortio diu abſtinuerunt. Firmiter igitur tenemus, hanc licentiam nomine *πορνείας* Apoſtolis prohibitam fuiſſe. Nam hoc ſolùm tempore Chriſti & Apoſtolorum in controverſiam eſt vocatum, an contra ſanctitatem Chriſtianorum militet iſthæc licentia? Quamobrem etiam Chriſtus à Phariſæis tentatus de illa quæſtione, cùm acerrimè inter ſe diſcipuli tum Hillelis, tum Schammai, tum Aquibæ digladiarentur, definivit, in divortiis & polygámia eſſe *πορνείαν* veram. Conſtat igitur, quo titulo rebus indifferentibus Apoſtoli ſcortationem conjunxerint.

Cæterùm ſunt multi Codices, qui præter memorata capita addunt concluſionem: *Καὶ ὅσα ἂν μὴ θέλωσιν αὐτοῖς γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν. Et quæ ſibi fieri non velint, aliis ne fecerint.* Jam olim ita legiſſe videntur Irenæus, & Cyprianus. Sic etiam legunt verſio Æthiopica, Complutenſis, Regia Montani, Exemplar Cantabrigienſe, & nonnulli MS. Confer Bezam in Notis, Ludovicum de Dieu, Selde-

 num,

num, Junium. Non temerè mantiſſam hanc reſpui debere cenſeo, cùm & Irenæus vetuſtiſſimus Pater legerit, & Complutenſis addiderit, quam conſtat expreſſam eſſe ad vetuſtiſſima & emaculatiſſima exemplaria. Quanquam nec Syrus interpres antiquiſſimus legit, nec alii Patres mentionem faciunt. Si genuinum eſt additamentum, hic proculdubio ſenſus fuerit animo Apoſtolorum conſentaneus, ut Gentiles in capitibus his expreſſis lubenti animo cum Judæis condeſcendant, quippe quorum infirmitas & *ἀβλεψία* æqui conſulenda, cùm requirat hoc Chriſtiana charitas, & tota lex Moſis & Prophetarum, quam illâ ſententiâ Chriſtus velut in breviarium contraxit Matth. VII. 12. Luc. VI. 31. Adeóque per modum rationis fuerint addita, non mandati, quod pari paſſu cum *neceſſariis* illis incedat.

Judicant præterea Viri Docti, in expreſſis hoc loco capitibus renovata eſſe Præcepta Noachidarum, & loco Ceremonialium antiquatorum Gentilibus ad Chriſtum converſis injuncta, ut hoc velut Sacramento Chriſto auctorarentur, ſicut olim Proſelythis habitationis hac lege conceſſa eſt Hebræorum civitas. Schikhardus in jure Regio Hebræorum, cap. V. pag. 129. *Præcepta Noachidarum in primitiva etiam Eccleſia Chriſtianorum, Gentibus converſis, loco Moſaicæ legis rigidiſſimæ, ex decreto Apoſtolorum & Synodi Hieroſolymitanæ impoſita fuerunt Act. XV. 29.* Mihi profectò non fit veroſimile, Apoſtolis hoc inſtitutum fuiſſe. Nam præcepta Noachidarum in hac ſerie Apoſtolorum tempore concepta fuiſſe, non eſt extra dubitationis aleam. Nullibi in Scripturis Sacris illorum facta eſt mentio. Sed neque Joſephus, qui diligentiſſimè Hebræorum Antiquitates eſt ruſpatus, vel ſummo digito attingit. Scribit quidem Auctor Sepher Ikkarim l. 3. cap. 7. וזהו שאמרו רבותנו ז״ל כי בתחלת היצירה מיד נצטוה אדם על שבע מצוות כמו שבארו זה במסכת סנהדרין פרק ארבע מיתות ; *Doctores noſtri f. m. tradunt initio creationis ſtatim Adamum ſeptem præcepta accepiſſe in Tract. Talmud Sanhedrin cap. 7. quod incipit: quatuor mortis ſpecies.* Sed quàm certæ ſint Doctorum Thalmudicorum traditiones, & quàm tutò illorum nitamur fide, nemini clàm eſt. Solent enim quælibet antiquitatis fuco incruſtata credulis mentibus propinare. Deinde cenſent vulgò Hebræi, poſt ſeptem Noachidarum præcepta acceſſiſſe ſtatuta

tria

tria, de Sabbatho, judicio, & honore Parentum. Atque hæc tria præceptis Noachidarum non incluſa. An ergo anteriores ad præcepta de Sabbatho & honore Parentum cuſtodienda obligati non fuerunt? Imò omnia diligenter reputando, vix unum ex his ſeptem præceptis Apoſtoli Gentilibus converſis mandârunt. Patebit liquidò ex inductione. Primum Noachidarum præceptum, narrante Kozæo & Maimonide fuit על עבודה זרה *de idololatria*, ne Deos alienos colerent. Reperio quidem, Apoſtolos tuliſſe præceptum de idolothytis non comedendis, quatenus illorum eſus cum profeſſione idololatriæ fuit conjunctus. Sed per ſe non fuiſſe idololatricum idolothytorum eſum ſuprà manifeſtum fecimus. Si præceptum hoc Apoſtoli in animo habuiſſent, rectiùs & compendioſiùs dixiſſent ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρείας. Imò neceſſum fuiſſet ita ſcribere. Nam extra idolothytorum eſum variis modis cultus idololatricus exerceri poteſt. Secundum eſt על ברכת השם *de benedictionis Numinis*, ut ſolum Deum creatorem venerarentur. Tertium על שפיכת דמים *de Sanguinis effuſione*, ne homicidium patrarent. Non apparet, duo hæc præcepta ab Apoſtolis hoc loco lata. Nam qui per ſanguinem homicidium intelligunt, illos extra chorum ſaltare vidimus. Quartum על גלוי ערוות *de revelatione turpitudinum*, ne vagis aut inceſtis libidinibus contaminarentur. Vellet quidem Seldenus, hoc interdictum in Synodo nomine πορνείας venire. Sed probabilior eſt, quam attulimus ſententia, quia de ea ſcortatione, quam hoc præcepto prohibitam Judæi volunt, non fuit eo tempore quæſitum: Sed de divortiorum licentia. Hanc autem negant Judæi præcepto quarto reſtringi. Quintum על הגזל *de rapina*, ne quid furarentur. Sextum על הדינים *de Judiciis*, ut juſtitiam publicè adminiſtrarent. Quæ duo præcepta nullo apice hîc tanguntur. Septimum על אבר מן החי *de membro vivi*. Videri poſſit, ſaltem poſtremum hoc mandatum nomine αἵματος καὶ πνικτοῦ ſubinnui ab Apoſtolis. Verum quidem in illorum Hebræorum ſententia, qui hoc præceptum de eſu ſanguinis interpretantur. Sunt tamen permulti, qui non de Sanguinis eſu Noachicum hoc præceptum explicent, ſed de eſu membri viventis, quos aſſenſu ſuo dignatur Seldenus. Et ſanè verba præcepti אבר מן החי vix aliam patiuntur interpretationem. Nullum igitur ex his omnibus clarè patrocinatur errori.

A QUI-

A QUIBUS SI CONSERVAVERITIS VOS IPSOS) Si vobis temperaveritis ab iis, quæ cum charitate Fratrum conſiſtere non poſſunt.

BENE FACIETIS) εὖ πράξετε. Syrus: ובד תטרון נפשכון מן הלין שפיר תהוון: *Cúmque conſervaveritis animas veſtras, bene ſe habebunt.* Irenæi Interpres addit: Πορευόμενοι ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Quæ Tertullianus in libro de pudicitia ita reddit: *A quibus obſervando rectè agetis, vectante vos Spiritu Sancto.* Clemens lib. VI. Conſtitut. cap. 12. ſcribit: Apoſtolos congregatos multa alia conſtituiſſe. Sic enim loquitur in eorum perſona: *His igitur literis miſſis remanſimus nos plurimis diebus Hieroſolymis, conquirentes unà, quæ in communem utilitatem ad correctionem ſpectabant.* Ac deinceps multa enumerat. Quæ quia de librorum illorum ſinceritate nimiùm dubitatur, pro certis complecti nolumus.

CAPUT XIII.

Solutio argumenti, ex decreto Synodi Apoſtolicæ petiti.

Breviarium.

Solvitur argumentum à decreto Concilii Apoſtolici petitum. Solutioni fides conciliatur octo argumentis. Expediuntur inſtantiæ decem Curcellæi & Becmanni.

I. ACtis Synodi Hierololymitanæ paulò diligentiùs luſtratis, difficultas, quam ex hoc loco nectunt adverſarii, non multo negotio expedietur. Argumentum eſt: *Viſum eſt Spiritui Sancto & Apoſtolis ἐπάναγκες neceſſarium, ut converſi Gentiles abſtineant à ſanguine & ſuffocato. Ergo omnibus Chriſtianis uſque ad finem mundi eſt illicitum veſci ſanguine & ſuffocato.* Reſpond. Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis neceſſarium in qualibet conditione & circumſtantia? Falſus hic ſenſus eſt. Præclarè Auguſtana Confeſſio titulo de poteſtate Eccleſiaſtica, cùm de hac re agit: *Eſt perpetua voluntas Evangelii conſideranda in decreto.* Nempe

Digitized by Google

Nempe Scripturæ in voluntate Evangelii nobis patefacienda ſunt uniformes. Prohibent hoc loco eſum ſanguinis & ſuffocati. Alibi declarant, nihil immundum eſſe: eſcam nos Deo non commendare: nihil hominem, quod os ingreditur, inquinare: conſcientias noſtras tali ſervitute non eſſe onerandas. Videndum igitur eſt & Spiritualiter dijudicandum, quæ ſit Evangelii voluntas in decreto. Si prohibuerunt Apoſtoli eſum ſanguinis & ſuffocati in qualibet conditione & circumſtantia fidelium, non igitur verum eſt, nihil immundum eſſe, non inquinare quod os ingreditur, conſcientias noſtras tali ſervitute non eſſe illigandas, & ſi quæ talia creberrimè in tabulis Novi Teſtamenti occurrunt. Si quis igitur dixerit, prohibitum eſſe ab Apoſtolis ſanguinis eſum, non quòd ſuâ naturâ in qualibet circumſtantia ſit illicitus, nec quòd libertati per Chriſtum partæ repugnet: ſed, quòd in ſe quidem res ſit indifferens, cæterùm aliena quadam vi, cùm per illum Chriſtiana charitas violatur, reprobabilis; is profectò & voluntatem Evangelii comprehenderit, & Scripturas in ſpeciem diſſidentes ſibi conciliaverit. Contendo autem, ideo Gentilibus converſis hanc fuiſſe neceſſariam abſtinentiam à ſanguine, non quòd res hæc faceret ad ſalutem animi, ſed quòd charitas hortaretur, ut ad tempus mos geratur imbecillitati Fratrum quorundam Judæorum ſuperſtitioſorum, quibus nondum perſuaderi poterat, omnia eſſe munda immundis: donec & illi proficerent ad perfectiora: ut ſic diſcerent mutuis obſequiis fraternam charitatem alere. Quod ſi verum eſt, non potuit diutiùs illa lex obligare, quàm quoad duravit Fratrum infirmitas, ex libertate illorum, qui notitiâ ſalutari provectiores fuerunt, ſcandalum captantium. Hæc prudentiæ regula eſt, ut omnibus omnia fiamus, imbecillibus imbecilles, ut illos Chriſto lucremur: Judæis Judæi, ἀνόμοις ἄνομοι, non tamen ut ἄνομοι Θεῷ, ſed ut ἔννομοι Χριστῷ. 1.Cor.IX.20.21.22. dum libertas noſtra pravorum hominum fraudulentis ſpeculationibus ne exponatur. Gal.II.4. nec periculum ſit adeundum, ne lex cum Evangelio confundatur, & ſatura addatur ſitienti. Ad Lesbiam hanc regulam ſeſe ubique Apoſtoli, feliciſſimi juxta atque prudentiſſimi Spiritualis ædificii compaginatores, compoſuerunt. Nihil magis libertati Chriſtianorum contrarium fuit, quàm Circumciſio. Quid verò Apoſtolus? Cùm Judæi illius abrogationem non caperent, Timotheum in illorum gratiam circumcidit, cum eſſet patre Græco

Ee oriundus.

oriundus, Act.XVI.3. Eandem hîc viam Apoſtoli calcant. Antiochiæ atque alibi paſſim Judæorum multitudo fuit Meſſiam Jeſum, mundi Soſpitatorem fidei ulnis complectentium. Hos cùm multa alia transverſos aveherent, & à Gentilium communione abriperent, tum hoc non leviter concuſſit, quòd viderent Gentiles idolothytis, ſuffocato & ſanguine veſci, rati, hanc licentiam pertinere ad contemptum mandatorum Dei antiquiſſimorum, quibus renovari mundi primordia adſtrinxit. Ergo ut ſcandalo ancipiti remedium promerent Apoſtoli, ſtatuunt neceſſariam abſtinentiam, & Gentiles levi libertatis uſu mulctant. Hanc reſponſionem porro manifeſtis argumentis veritati dabimus.

II. Primò. Scripturæ N.T. ejuſmodi ſervitutem penitus abrogârunt, Matth.XV.11.17. Rom.XIV.14.15. 1.Cor.VIII.4.7.10. 1.Tim.IV.4. Tit.I.14.15. Quæ loca capite octavo penitiùs à nobis excuſſa & ab argutiis adverſarii liberata ſunt. Unicum addo. Si in iis locis, quæ teſtatum reddunt, nihil hominem inquinare poſſe, omnia munda eſſe immundis, omnia licere fidelibus, ſed non omnia ædificare, nemini eſſe obturbandum his decretis: *non guſtaveris, non tetigeris*, &c. non declaratur illa etiam libertas ab interdicto ſanguinis, Chriſto & Apoſtolo non fuiſſe committendum, ut exceptionem hanc non aliquando adderent, & vel levi indicio docerent, non eſſe conceſſionem generalem, & indefinitam, ſed excipiendam eſſe hanc legem de idolothytis & ſanguine. Quis enim credat, Apoſtolum tam obſcura locutione anſam errandi dare voluiſſe, qui ubique prudentiſſimè fideles informavit, vile à pretioſo, illicita à licitis diſparavit? Rationem evidentem poſtulo, cur, cùm toties occaſio ferret, exceptionis illius ab univerſali regula mentionem non injecerit? Synodi decretum de hac re paucis omnino verbis fuit conceptum, rationibus non multis, neque adeò claris munitum. Neque verò convenit decreta rationum additamento corroborare. Lex enim non diſputat, ſed jubet. Quò rectius fuerat alibi, ubi commodè fieri potuit, hanc rem fuſiùs tractari, Synodi mentem illuſtrari, ac perſpicuè demonſtrari, præceptum hoc in qualibet circumſtantia temporis & perſonarum obligare. Tantùm autem abeſt, ut hoc uſpiam ab Apoſtolis factum ſit, ut contra manifeſtè hunc ſenſum decretis his Paulus induat, quem nos in reſponſione noſtra repræſentamus.

II. *Secundò*

Digitized by Google

II. *Secundò* conſideremus, quæ quæſtio fuerit in Concilio agitata, & quemadmodum fuerit eadem ab Apoſtolis definita. Contenderunt Pſeudapoſtoli Judæorum, Gentiles proſelythos oportere circumcidi, & legem Moſis ſervare verſu 1. & 6. Jam legis Moſaicæ caput non poſtremum fuit de ſanguine & ſuffocato. Hoc igitur juxta cætera inſtanter etiam urſerunt. Quod urſerunt Pſeudapoſtoli, hoc ipſis negârunt Apoſtoli. Hoc tum Paulus ſeorſim, tum Apoſtoli in conciliari ſententia declarant. Paulus Gal. II. 5. Οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ, ἵνα ἡ ἀλήθεια τοῦ Εὐαγγελίου διαμείνῃ πρὸς ὑμᾶς. *Quibus ne quidem ad horam ceſſimus ſubjectione, ut veritas Evangelii apud vos permaneat.* Et Synodus verſu 28. Non debere diſcipulis onus imponi. Si quid igitur decreverunt circa ſanguinem & ſuffocatum, non eo modo Chriſtianos obligat, quo Judæos in V. T. obligavit, nempe per ſe & ſuâ naturâ. Aliàs Paulus Pſeudapoſtolis ceſſiſſet ad horam ſubjectione, nec Apoſtoli ab ipſorum cervicibus jugum illud ἀβάστακτον depuliſſet. Decreverunt ergo, ut obligatio ad illa præcepta duraret ad tempus, propter ſcandalum & legem Charitatis, in Fratrum infirmitate ſublevanda.

III. *Tertiò.* Apoſtolus Petrus ſuam concluſionem ſimpliciter ita format: *Per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti* (oppoſitam nempe jugo illi ἀβαστάκτῳ v. 10.) *credimus nos ſervari, ſicut & illi.* Simpliciter abrogat totam legem, & ſubſtituit gratiam Domini Jeſu Chriſti. Jugum legis Curcellæus accipit de ſtatutis Ceremonialibus. Nos moralem conjungimus. Vel igitur Sanguinis & Suffocati abſtinentia pertinet ad legem moralem, vel ad Ceremonialem. Si ad moralem, cur illam Apoſtoli verſ. 20. & 29. excipiunt ab onere ἀβαστάκτῳ, quod de lege Ceremoniali ſola Curcellæus interpretatur? Imò cur mandant tam pauca, & in quibus fatente Curcellæo, interna ſanctitas non vertitur? Cur non etiam cætera præcepta moralia ſervanda exprimunt, ſi ipſis inſtitutum fuit, præcepta moralia inculcare & infigere altius? Minimè profectò conſentaneum fuit, hac exceptione præceptorum paucorum moralium uti, cùm jam ſatis conſtiterit, Apoſtolos non hoc agere, ut præcepta moralia, quoad ſunt norma & exemplar neceſſariæ noſtræ gratitudinis & ſanctitatis & Spiritualis vitæ in regeneratis, abrogentur. Si ad Ceremonialem legem pertinent, quod nos verum eſſe contendimus, quæro, cur igitur eadem exceptione in ſua concluſione Petrus non fue-

Digitized by Google

rit uſus, ſi exceptio illa complectitur præcepta perpetua, neceſſaria, & quæ ſunt lata de rebus per ſe & naturâ ſuâ illicitis, & à lege Ceremoniali exceptis? Contra, Petrus totam legem, quæ portari non potuit, opponit gratiæ Domini Jeſu Chriſti. Hîc magnopere expeto mihi conciliari concluſionem Petri, & concluſionem Synodi, ſi præcepta in decreto Synodi comprehenſa habent neceſſariam, perpetuam & inviolabilem in quocunque caſu obligationem.

IV. *Quartò.* Vox ipſa ἐπάναγκες, qua utuntur Apoſtoli v. 28. neceſſitatis aliquam μείωσιν innuit, qua conjunguntur ea, quæ neceſſitatem minimè parem habent, ceu videre eſt ex iis, quæ ad verſum 28. ſunt à nobis obſervata. *Quintò.* Ratio decreti Conciliaris expreſſa eſt verſu 21. *Moſes enim ab ætatibus antiquis in ſingulis civitatibus habet, qui ipſum prædicent, in Synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur.* Vult dicere Jacobus: Ideo neceſſariam eſſe hanc abſtinentiam ab idolothytis, ſuffocato & ſanguine, quia Moſes, id eſt, Pentateuchus ab antiquis ætatibus in Synagogis Civitatum legitur, adeóque familiariſſimè innoteſcit omnibus antiquitas illius de ſanguine mandati, ob quam exiſtimatum haud dubiè omnibus Noachidis imperatum eſſe. Ne igitur hac abrogatione ſubitanea plùs nimiùm offendantur, & exculcerentur Judæorum animi, & à Chriſto abalienentur, vel ſaltem exemplo incitentur ad edendum cum ſcrupulo conſcientiæ, aliquo ſaltem indicio ſuperſtitioſioribus illis Judæis conſtare debere, non hoc agi, ut Moſis vileſceret auctoritas, pro qua Zelotæ iſti tanquam pro aris & focis pugnârunt, Zelo minimè contemnendo, dum ſcientia & ſalutari diſcretione temperaretur & dirigeretur. Quem ſenſum in Commentario ad hunc locum clariſſimè reddidimus. Quicquid ergo injunctum Gentilibus, hac mente injunctum eſt, ne nimia offenſione animos Judæorum, defendendæ legis ſtudio præpoſtero ac præcipuè præſentis præcepti antiquitate venerabilis occæcatos, à Chriſto & communione Gentilium abalienarent. Non exiſtimamus quidem Jacobi atque Synodi adeò ſententiam fuiſſe mediam inter ſententiam Petri & Pauli ac Barrabæ, pro quibus Petrus ſtabat, ac inter Phariſæos Zelatores legis, quod nonnullis tribuit & confutat Curcellæus, pag. 145. 146. Agnoſcimus enim quoad ſubſtantiam non differre ſententiam Petri & Jacobi; quamvis hîc præter κύριον ἔργον prudenter monuerit & conſuluerit, qua ratione inter Gentiles & Judæos converſos

verſos amicitiæ connecti,& conſtare mutua converſatio & charitatis officia poſſint. Hoc tamen repeto, in Curcellæi ſententia nullo pacto evitari poſſe,quin aſſeratur, ſententiam Jacobi vel mediam fuiſſe inter ſententiam Petri & adverſariorum,vel planè Petro oppoſitam. Nam Petrus legem,quam Patres non potuerunt portare, in univerſum antiquat, & ſubſtituit gratiam. Nihil relinquit vel novis renovandis decretis,quibus ſanciantur quædam per ſe & ſuâ naturâ ad honeſtatem ac ſanctitatem neceſſaria. Jacobus autem, & eidem ſuffragata Synodus,ejuſmodi præcepta ſancit, quæ Curcellæus interpretatur ad ſanctitatem eſſe neceſſaria. Vel igitur media fuerit ſententia Jacobi, & Petro quodammodo oppoſita,quatenus ex mente Curcellæi negat jugum Patrum penitus ſublatum eſſe, cùm obligent adhuc ad ſui obſervantiam illæ jugi partes de Sanguine & Suffocato: vel mandata illa Jacobi & Synodi non habuerunt perpetuam & neceſſariam obligationem, ſed temporalem & tranſitoriam, propter ſcandalum & concordiam ſanciendam Fratrum.Hunc mihi ſcrupulum qui expediet,is Phyllida ſolus habeto.

V. Curcellæus diſputat,Jacobi ſententiam non fuiſſe mediam inter ſententiam Petri & adverſariorum,pag.146.In qua re nos ipſi adverſamur minimè.Uterque enim rectè definivit,legem Ceremonialem eſſe abrogandam.Sed Jacobus ſimul in Concilio habuit rationem fraternæ concordiæ.In quo conſentientem haud dubiè Petrum habuit, quamvis ipſe non idem fecerit : quippe cui abundè fuit ea dicere,quæ ad propoſitam quæſtionem propriè ſpectant.Interim rationes Curcellæi non omnino probamus. Tres affert. Prima. *Quia ne ad tempus quidem breve concedebat iſtis Phariſæis.* Inde potiùs ego aſſumo, præcepta hæc non fuiſſe, niſi propter concordiam ad tempus ſancita. Si enim tuliſſet præcepta neceſſaria Ceremonialia ſemper obligantia,quod requirebant adverſarii Zelatores, tum profectò iis ceſſiſſet ad breve tempus. II. *Id quod Jacobus vult obſervari à Gentilibus, non fuiſſe in controverſiam vocatum : ut nec vocari potuerit,niſi ut conſequens quoddam eorum,quæ controvertebantur.Sed idcirco voluiſſe hoc præcipi Gentilibus,quia in illo graviter illos peccare animadvertebat*,pag.146.147.Reſp.Sic ſupponitur falsò, Gentiles in eſu ſanguinis peccâſſe. Probavimus, illos ad legem illam in Vet. Teſt.obligatos non fuiſſe cap.VII.theſ.23. Ubi verò lex non eſt,ibi nec peccatum locum habet.2.Si Gentiles non vocârunt

Digitized by Google

in controverſiam, at certè Judæi, qui cæco ardore Gentiles adſtrin-gere laborârunt ad præceptum antiquiſſimum, quod in Noacho toti generi humanô latum interpretabantur. 3. Si ne Judæi quidem controverſum hoc fecerunt, intererat tamen Apoſtolicæ prudentiæ, hanc potiſſimùm viam ad conciliationem Judæorum & Gentilium deligere. Tertia. *Zelotas iſtos non diſputâſſe de rebus opinione ſua indifferentibus, ſed quàm maximè neceſſariis.* Reſp. Diſputârunt de tota lege, cujus univerſas partes tanquam obſervatu neceſſarias mordicus defenderunt. Apoſtoli autem illam abrogatum eunt penitus, & adjungunt quædam officia, per ſe quidem indifferentia, ſed opinione Judæorum neceſſaria, ad charitatem & concordiam obligantia.

VI. *Sextò.* Apoſtoli cum ſanguine conjungunt τὸ πνικτὸν, ſuffocatum. Et nos in Commentario contra Curcellæum, qui vocem illam κίβδηλον καὶ ὑποβολιμαῖον facere voluit, probavimus, illam genuinam omnino eſſe, ac proinde ἀναμφιλέκτως recipiendam. Quin tamen edere morticinum vel ſuffocatum ſuâ naturâ licitum & indifferens ſit, dubitari nequit. Et confitetur hoc aliquoties ipſe Curcellæus. Ratio etiam evidens eſt, quia in Veteri Teſtamento Deus promiſit gentilibus ejus eſum. Non poteſt autem Deus ulli homini permittere quidquam ſuâ naturâ turpe & illicitum. Habemus igitur, illa ἐπάναγκες non ἁπλῶς talia fuiſſe, ſed κατά τι, & eo modo, quem in reſponſione noſtra explicavimus. *Septimò.* Conjungunt etiam neceſſariam abſtinentiam ab eſu Idolothytorum. Nos autem in Commentario ad verſum 29. occupavimus probare octo argumentis contra Curcellæum, Idolothytorum eſum eſſe prohibitum, non quòd ſuâ naturâ ſit turpis & illicitus, ſed quòd iis temporibus non potuerit non cum maximo ſcandalo & periculo ſeductionis conjungi. Interprete ſumus uſi omni exceptione majore Apoſtolo Paulo, qui hanc rem accuratè tractat capitibus octavo, nono, & decimo prioris ad Corinthios. Non eſt nobis animus, quæ ibi fusè dicta ſunt, hoc loco repetere. Quæ idolothytorum, eadem ſanguinis eſt ratio. Utrumque conjungitur. Utrumque caput fuit legis Ceremonialis in Veteri Teſtamento. Quæ ibi neceſſitatis ratio fuit, eadem hic obtinet. Sed videamus, quid reſpondeat ad hoc argumentum Curcellæus. Duo potiſſimùm excipit. Primum. *Non eſſe veriſimile, Paulum legem illam, ſtatim atque promulgata fuit, laxare voluiſſe, faciendo liberum, quod ibi ut neceſſarium fuerat præſcriptum:*

cum

cùm non magnum tempus elapſum ſit inter Synodum & ſcriptionem epiſtolarum ad Romanos & Corinthios, pag. 151. 152. Reſp. 1. Quantum temporis inter Synodum & Scriptionem illarum epiſtolarum interceſſerit, expoſitum eſt à nobis capite octavo. Poſt breve temporis interſtitium notoria mutatio accidere potuit, ut in eo nihil præſidii collocandum fuerit. 2. Extra calcem hic ſermo decurrit. Non hoc dicimus, Paulum in ſuis Epiſtolis decretum Synodicum abrogâſſe. Abſit. Sed interpretatus illud eſt, & germano & genuino ſenſu induit. Nempe hanc fuiſſe decreti mentem: Liberos eſſe Chriſtianos quoslibet à ſtatutis illis Ceremonialibus & carnalibus. Cæterùm, quia rebus ſic comparatis libertatis illius praxis eo tempore, quo libertatem iſtam non omnes intellexerunt, præjudiciis nimiùm faſcinati ingenti periculo conſtitit, præſtare ut abſtineant, imò propter charitatis legem neceſſariò illos abſtinere debere. Tantùm igitur abeſt, ut decretum Synodicum abrogaverit, ut magis etiam adſtrinxerit, facta mentione infirmorum Fratrum, quorum conſcientiæ præpoſtero libertatis uſu illaqueatæ ſupra modum offendantur. Sed extra eum caſum plenam libertatem Chriſtianis conceſſam eſſe declarat. Secundum. *Nullum occurrere locum in epiſtolis Pauli aut alibi in Scripturis, in quo expreſſè permittatur ſanguine veſci. Quod tamen neceſſum fuerit, ut aliquid valeret ad tam apertam & claram prohibitionem relaxandam, &c.* pag. 153. 154. Reſp. Si Spiritui S. & Apoſtolis viſum fuiſſet illa mandata abſolutè & in qualibet circumſtantia ad tempus obſervanda imponere, tum, fateor, neceſſum fuiſſet alicubi apertè illorum vincula relaxari. Nunc minimè opus fuit, nec fieri potuit, cùm ſcriptoribus Sacris non conſtiterit ille temporis articulus, quo ceſſatura fratrum infirmitas. Profitetur Paulus: *Si cibus offendit fratrem meum, non comedam carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem*, 1. Cor. VIII. 13. Eadem omnium fidelium ratio fuit, quibus in S. Scriptura prudentia & charitas inſatiabiliter commendatur. Quæ naturâ ſuâ turpia vel honeſta ſunt, illa verbo Dei ſunt determinata. Sed in moderatione libertatis & rerum indifferentium uſu Deus prudentiæ imperium dedit. Parium par ratio eſt. Cùm igitur idolothytorum uſus extra caſum ſcandali ab Apoſtolo ſit conceſſus, eadem ratione ſanguinis uſus extra caſum ſcandali ab ipſo permiſſus fuerit. Neque quidquam defuit aliud, quàm occaſio, qua ſe aptante, ſicut in quæſtione de idolothytis factum

Digitized by Google

ctum eſt, formalibus terminis æquè libertatem Chriſtianorum expreſſiſſet. 3. Sæpiùs jam animadverſum, quæſtionem noſtram non tam de praxi libertatis, quàm de ejus jure inſtitutam eſſe. Potuit autem jus conſtare, ſi vel maximè in æternum praxis vel exercitium juris illicitum & inhoneſtum eſſet, propter accidens alicujus notabilis caſus. Quomodo Apoſtolus docet, ſe habere jus carnium edendarum, ſed in æternum ſe à carnibus temperaturum, ſi fratrem ille eſus ſcandalizet. Objectio igitur Curcellæi in ſpongiam incumbit. Negamus enim, unquam abrogari debuiſſe Apoſtolicam legem in ſenſu Synodi acceptam, poſitis ponendis, caſu nempe & circumſtantiis illis, quarum reſpectu illa Apoſtoli ſanxerunt. Non eſt igitur, cur tabulas, & documenta à nobis poſtulet, in quibus exarata hæc abrogatio totidem verbis lectitari potuit.

VII. *Octavò* denique non alienum ab inſtituto fuerit, ut ad rectæ rationis libellam exigantur verba illa Synodi. *Viſum eſt Spiritui Sancto* ET NOBIS, nec non ſequentia: *à quibus ſi vos conſervaveritis*, BENE FACIETIS. Hæc enim ejuſmodi ſunt, ut conſilium potiùs præferant, cui in hac vel illa circumſtantia neceſſariò obſequendum ſit, quàm neceſſarium aliquod & Catholicum præceptum. Non abſimilis eſt locutio Pauli, 1. Cor. cap. VII. verſ. 7. Hoc dico κατὰ συγγνώμην, non κατ' ἐπιταγήν. *Volo omnes homines eſſe ſicut ego ſum*, verſ. 40. *Beatior eſt vidua ſi ſic maneat*, κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην. Ex quibus verbis nemo, niſi fallor, conficiet, illam Apoſtoli ſententiam de cœlibatu, qui bonus & neceſſarius pœne erat, propter ἐνεστῶσαν ἀνάγκην, eſſe præceptum univerſale & perpetuum. Nam ſatis declaravit in hoc articulo libertatem Chriſtianorum. Sic hoc loco Lucas diſtinguit ἐπιταγὴν & συγγνώμην: illam in verbis: *Viſum eſt Spiritui Sancto*: hanc in ſequentibus: *Et nobis*. Ἐπιταγὴ pertinet ad articulum fidei, de juſtificatione per gratiam Domini Jeſu Chriſti, & abrogatione legis. Συγγνώμη verò Apoſtolorum præſenti conditioni Eccleſiæ conſulentium, ad mandata illa πρόσκαιρα de Sanguine, idolothytis, Suffocato. Sic etiam verba quæ ſequuntur: *Si ab his vos conſervaveritis*, BENE FACIETIS. Hæc ſunt verba magis conſulentium prudenter, quàm præceptum aliquod perpetuum, nullo caſu violabile, dictantium. Nam præcepta abſolutè neceſſaria propter internam quandam Sanctitatem, rigidiùs imperari ſolent.

VIII. His

Digitized by Google

VIII. His argumentis, confido, apud modeſtos, & quorum animo veri & recti cupido penitiùs ſedet, communi Theologorum noſtrorum reſponſo ad objectionem ex Apoſtolica Synodo petitam, fidem abundè nos facturos. Cæterùm quæ adverſarii ex Synodo illa preſſiùs contra nos urgent, facilè quidem ſolvi ex iis poſſunt, quæ in Commentario à nobis ſunt adnotata. Ne tamen vel hîc vadimonium deſerere videamur, carptim & ſtringendo diluemus, quæ à Curcellæo & Becmanno inſtantiæ hic nobis obducuntur. Objiciunt igitur.

I. *Omnia mandata Dei tanquam perpetuæ durationis amplecti debemus, niſi Deus nobis contrarium alibi declaraverit. Quod natura ejus docet, qui nulli mutationi eſt obnoxius.* Ego Dominus, & non mutor, Malach. III. 6. Curcell. pag. 140. Reſp. Mandatum de Sanguine & Suffocato conſideratur vel ratione materiæ, vel ratione finis. Ratione materiæ fuit neceſſarium, & conſtanter duravit uſque ad tempus correctionis, quod fuit tempus Meſſiæ. Eo autem tempore Deus declaravit, abrogari debere, cùm adeſſet corpus Chriſtus, quem illæ v. 5. umbræ reſpexerunt. Pertinuit enim Sanguis ad expiationem in Sacrificiis. In Novo autem Teſtamento totus ille Sacrificiorum cultus abolitus, & ſubſtitutum Sacerdotium Chriſti, qui ſemel immolatus eſt ad multa peccata auferenda, Hebr. IX. 28. Adde omnia argumenta, quæ capite octavo deduximus, ex quibus meridiano jubare clarius eſt, Deum noluiſſe, ut obligatio ad hoc Præceptum ſit perpetuæ durationis. Ratione finis, quatenus inſervit Chriſtianæ charitati, cui oppoſitum eſt infirmi fratris conſcientiam verberare, non eſt abrogata, ſed durat ejus obligatio, quamdiu caſus tales emergunt. Extra verò caſum ſcandali non durat, neque unquam eſt abrogata, vel abrogabitur etiam, quia in hoc ſenſu ſancita non fuit.

IX. II. *Nullum habemus exemplum decreti alicujus ſolenniter facti, ut ad breve tantùm tempus durare deberet.* Curcel. ibid. Reſpondeo. Cum umbra luctatur. Negamus ad breve tempus durare debuiſſe decretum, in Synodi ſenſu acceptum. Si vel hodie locum haberent circumſtantiæ, quæ tempore Apoſtolorum, validiſſimè nos conſtringeret, ut juri noſtro renuntiaremus. III. *Vellem ſcire ex iis, qui dicunt interdictum ad tempus tantùm obligâſſe, quantum fuerit illud tempus, ſeu quandiu Chriſtianos eo obligatos fuiſſe exiſtiment.*

Digitized by Google

ment. Quod nemo definire aggreditur, quin ſe in magnas anguſtias conjiciat. Curcel. pag. 142. Reſpondeo. 1. Vellem ſcire, quamdiu lex de Suffocato & idolothytis obligaverit, quàm certum & exploratum eſt perpetuæ durationis non fuiſſe. 2. Tempus, quo deſiit obligatio, noverit ille, qui compertum habet, qua tempeſtate evanuerit periculum ſcandali, ortum ex infirmitate Fratrum, qui libertatem Filiorum Dei in Novo Teſtamento nondum æſtimare didicerunt. Ad hiſtoricorum ſubſellia pertinet iſthæc judicatio. IV. *Si obligavit hac lex quamdiu fuerunt infirmi, tum obligat adhuc hodie. Nam multi ſunt nunc Chriſtiani, qui iſtius mandati tranſgreſſione offenduntur, non tantùm omnes Græci, qui ideo Occidentales vocant αἱματοφάγους, ſed etiam multi pii & religioſi homines in Germania, Gallia, & Anglia. Ne quid dicam de Judæis in medio noſtri habitantibus.* Curcel. pag. 143. Reſpondeo. 1. Eſto, obliget hodie ratione ſcandali. Non nocet hoc juri libertatis, ſed exercitio. Res in ſe maximè indifferentes, in electione tamen malè fiunt, quando cum offendiculo proximi ea eſt conjuncta. Semper ad ædificationem, quando quippiam inſtituitur, eſt reſpiciendum. Non ſumus nati nobis ipſis tantùm, ſed Chriſto, Eccleſiæ atque proximis. 2. Alia ratio fuit Apoſtolicorum temporum, alia noſtrorum. Illa inciderunt in incunabula Chriſtianiſmi, ad quem Judæi cùm recèns converterentur, veterem ſuam religionem in externi cultus Miniſterio cum nova commutare debuerunt. Hîc non-potuit evitari, quin variè afficerentur, animo aliquandiu fluctuarent, & ancipites conſilii hærerent. Quamobrem fas & pium fuit, tamdiu illorum infirmitatem ſublevare quoad majorem notitiam proveherentur. Noſtrorum temporum quæ ſimilis ratio eſſe poteſt? Quando in Judaiſmo Chriſtiani non ſunt educti, non præjudiciis ejuſmodi à longa conſuetudine capti, ſed de voluntate Dei pleniſſimè in Evangelio edocti. 3. Si qui ſunt inter Chriſtianos verè infirmi, qui nondum libertatem Evangelii animo complectuntur, qui noſtrâ abſtinentiâ ædificari poſſunt, quis dubitat, quin iis hæc charitas præſtari debeat, ne temerè eorum conſcientia cibo noſtro lædatur. 4 Quoad Græcos, illi non infirmis, ſed fortibus ſunt annumerandi. Inſultant enim graviter Occidentalibus, eos in hac cauſa judicant, & atrocibus cenſuris perſtringunt: libertatem eam, quam habemus in Chriſto, inſidiis appetunt, & abſtinentiam à ſanguine tanquam neceſſarium fidei articulum à nobis poſtulant:

Digitized by Google

ſtulant: quod videre eſt in eorum conciliis & canonibus. In eorum igitur gratiam abſtinere eſſet libertatem prodere, beneficia Chriſti contemnere, hominum nos ſervituti addicere, συνυποκρίνεσθαι, καὶ μὴ ὀρθοποδεῖν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ Εὐαγγελίου, Galat. II. v. 14. Multa ſunt naturâ ſuâ indifferentia, quæ in neceſſaria mutârunt Græci. Qui tamen illos imitari vellet gratiâ ſcandali vitandi, is in Syrtes proclivi gradu incideret, Charybdin nequicquam fugiens. Sufficere debet, quòd illos à nobis diſſentientes non damnamus, Judaiſmum non objicimus, ſed errorem in iis toleramus. 5. De Judæis diximus cap. VIII. ſect. 6. quo remittimus lectorem. Huic enim præſenti objectioni ſatis ibi occurrimus. Miror hac ratione non etiam porcinam Chriſtianis interdici, & cæteros cibos, quos pro immundis Judæi habent, ne ſcilicet noſtra libertate boni illi & infirmi Fratres, plùs æquo offenſi, in anceps deſiliant.

XV. *Decretum hoc auctoritate ipſius Spiritus Sancti concipitur*, v. 28. Becmannus pag. 584. *Apparet, quanta authoritatis debeat iſtud decretum eſſe, quod non propriè ab ipſis hominibus, ſed ab ipſo Spiritu Sancto, quo regebantur Apoſtoli, dictatum ſit. Nam ſi magni facimus ſingulos Novi Teſtamenti libros, quia perſuaſi ſumus ſcriptores illorum à Spiritu Sancto fuiſſe inſpiratos: quantò magis hoc epiſtolion, quod tot magni viri, Spiritu Sancto pleni, dictaverunt? proinde non eſt ullo pacto vero ſimile, in eo ſolùm agi de rebus indifferentibus, & quæ ad exiguum tempus, vitandi ſcandali causâ, obſervari deberent.* Curcell. pag. 109. Reſp. Spiritus Sancti præcepta non omnia ſunt perpetua & de rebus naturâ ſuâ neceſſariis. Quis enim ſtatuta Ceremonialia Veteris Teſtamenti neget authore Spiritu Sancto edita eſſe? Et tamen neque perpetua fuerunt, neque de rebus per ſe neceſſariis, ſed de rebus naturâ ſuâ maximè differentibus. 2. In Commentario diximus ἐπιταγὴν ſive articulum fidei de abrogatione legis, referri debere ad authorem Spiritum Sanctum; συγγνώμην de neceſſaria abſtinentia idolothytorum, ſanguinis, &c. ad Apoſtolos, quibus datum eſt fidelibus eſſe in domo Dei. Atque hanc eſſe rationem diſtinctionis: *Viſum Spiritui Sancto & nobis.* Quanquam non eſt negandum, Apoſtolos impulſu Spiritus Sancti hæc præcepta tuliſſe: Hoc tantùm contendimus, non habuiſſe illos ſpeciale mandatum Chriſti, vel Dei, ſed φερομένους πνεύματι ἁγίῳ in rebus his diſpoſuiſſe. Quomodo Paulus ſalutaria quædam monita & conſilia Corinthiis

depromſit, de quibus tametſi non habuit ſpeciale mandatum Chriſti, poterat nihilominus dicere: Δοκῶ δὲ κἀγὼ πνεῦμα Θεῦ ἔχειν. 2.Cor.VII.25.40. Sic propheta Nathan dicit Davidi: *Vade, & quicquid eſt in corde tuo, fac, quoniam Dominus eſt tecum*, 2.Sam.VII.3. Eodem modo Apoſtoli potuerunt ſapienter ea mandare, quæ ad ſalutem Eccleſiæ ſpectant, quamvis ſpeciali mandato Chriſti ad id non incitarentur. 3. Patimur decreto huic Synodico magnam authoritatem conſtare in eo ſenſu, qui fuit ab authoribus Apoſtolis intentus. Hoc tantùm negamus, mentem Apoſtolorum, ut obligent hæc mandata in quacunque circumſtantia, etiam extra offendiculi caſum. Nihil igitur ad rem faciunt, quæ hic Curcellæus obvertit, ſed pro amphora urceus, ut ajunt. VI. *Ea, quæ decernunt hîc Apoſtoli, vocant neceſſaria.* v. 28. Becman. l. c. *Non potuerunt validiùs obligare in perpetuum fideles ad ſibi ab iis temperandum, quàm neceſſaria vocando.* Curcell. pag. 112. 113. Reſp. Res non uno modo neceſſarias eſſe, non ignorant viri. Aliæ naturâ ſuâ neceſſariæ. Aliæ ex hypotheſi efficientis, finis, eventus, adjuncti &c. Et tamen ex nuda voce non verentur tam imbelle argumentum cudere. Non dicam, non ſimpliciter hæc præcepta ἀναγκαῖα vocari, ſed τὰ ἐπάναγκες, quæ vox notat μείωσιν, quemadmodum in Commentario dictum. Sic neceſſarium olim fuit abſtinere à fructu arboris ſcientiæ boni & mali. An iccirco præceptum illud perpetuum fuit? VII. *Diſtinguunt Apoſtoli ideo inter leges Ceremoniales, quas vocant onus, & inter morales, quas Gentibus converſis praſcribunt.* verſ. 28. Becman. l. c. Reſp. Miror, hæc mandata præceptis moralibus adjungi, cùm præcepta moralia ratione ſuæ materiæ ſemper nobis virtualem aliquam ſanctitatis Divinæ partem repræſentent, hæc autem ſancita ſint tantum ἐπὶ βρώμασι καὶ πόμασι, Hebr. IX. 10. Saltem legem de Suffocato comedendo, quam Becmannus; ſecus quam Curcellæus fecit, agnoſcit genuinam, nulla probabili ratione moralem facere poteſt, cùm ab ejus obligatione in Veteri Teſtamento Gentiles relaxati fuerint. 2. Vocant quidem Apoſtoli legem ceremonialem onus, quatenus & dura fuit & difficilis obſervatu, & propter ejus neglectum ubique & ſemper judicari potuerunt. Atque hactenus illius oneris pars fuit abſtinere à ſanguine & Suffocato. Apoſtoli autem poſtliminio ſanxerunt illam abſtinentiam, non quatenus fuit pars oneris, quomodo Deus in V. T. mandavit, ſed quatenus in caſu ſcandali charitati Chri-

Digitized by Google

Chriſtianæ miniſtravit. VIII. *Eſum Sanguinis & Suffocati æquiparant ſcortationi.* Becman. l. c. *Scortationem prohibitam eſſe non ſolùm propter offendiculum, ſed etiam, quia in ſe mala eſt, omnes Chriſtiani ultro largiuntur. Quidni ergo idem dicamus de ſanguine, cujus abſtinentia tanquam pariter neceſſaria ab Apoſtolis in eodem commate nobis commendatur? Junxiſſéntne res adeò diverſæ naturæ, ut iſtas eſſe volunt abſque ulla limitatione?* Curcell. pag. 12. Reſpondeo, 1. Conjungi ea, quæ diſparem planè habent obligationis ac neceſſitatis rationem, neque alienum profectò nec novum eſt. Deut. VI. 1. *Hæc ſunt præcepta & ſtatuta & judicia, quæ præcepit Dominus Deus Veſter.* Per מצות intelliguntur præcepta moralia, per חקים Ceremonialia, per משפטים forenſia, in quo conſentiunt Interpretes. Quis eandem neceſſitatem & in obligatione durationem in his omnibus ſtatuere auſit? Exod. XX. 9. *Memento diei Sabbathi: non facies opus,* &c. Conjunguntur duo, quorum prius Ceremoniale, poſterius morale. In Veteri Teſtamento nihil pœne frequentius, quàm conjunctio præceptorum moralium & Ceremonialium. Hebr. VI. 1. 2. *Ne rurſus fundamentum jaciamus pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum, baptiſmatum doctrinæ, ac manuum impoſitionis, & reſurrectionis mortuorum & judicii æterni.* Singula hæc parem neceſſitatem non habere in propatulo eſt. Ergò conjunguntur, quæ imparem neceſſitatem habent, ab Apoſtolis, quia hoc exigebat occaſio & circumſtantiarum ratio. 2. In Commentario excuſſimus, quomodo conjungatur cum rebus naturâ ſuâ indifferentibus fornicatio. Nempe quatenus fornicatio in Polygamia & divortiis, tum à Judæis, tum à Gentilibus non eſt in vitiis numerata, ſed libera & indifferens utrinque habita. Hinc Apoſtoli neceſſe habuerunt illam prohibere, & turpitudinem ejus oſtendere vel hac ratione, quòd licentia illa divortiorum ſit vera πορνεία, verbo Dei & ſenſu omnium Gentium damnata. 3. Non multò deterius vitium eſt ſcandalum, temerè & malignè fratribus infirmis objectum. Hinc Chriſtus tam grave ſupplicium homini illi intendit, per quem ſcandalum venit, Matth. XVIII. 7. Cùm igitur præceptum illud de ſanguine in eo demum caſu offendiculi obliget, atque adeò propter ſcandalum vitandum, patet, non ſine ratione conjuncta eſſe præcepta, quorum violatio eſt cum pari gravitate reatus, neque turpitudine multùm diſparata. IX. *Hoc decretum Epiſtolâ Synodicâ comprehendunt, & per viros primarios Ju-*

dam & Silam ſolenniter mittunt. Becman. l. c. Reſp. Quis decreti Apoſtolici authoritatem, cui ſanum ſinciput eſt, vellicare auſit? Non agitur hoc, ut decretum à quopiam in dubium revocetur, & ejus gravitas, ſed ut implicatus decreti ſenſus evolvatur, & genuina Apoſtolorum mens deprehendatur. X. *Idem decretum ſubinde legitur repetitum,* Act. XV. 32. XVI. 4. XXI. 25. Becman. l. c. Reſp. Decretum Apoſtolicum non fruſtra eſt conditum. Quid miremur ergo, quod ſubinde repetitum & inculcatum Gentilibus fuit? Sed quî hoc ſcopum ferit? Fatemur, magnam vim fuiſſe decreti omnibus promulgandi. Iccirco in canonem divinum etiam à Spiritu Sancto receptum. De hac re minimè controvertitur, ſed de genuino decreti ſenſu.

CAPUT XIV.

Argumentum à conſentiente Antiquitate ventilatur, & peroratur.

Breviarium.

Argumentum ab Antiquitate petitum examinatur. Diſtinguitur antiquitas. Oſtenditur diſpar ratio primorum temporum & hodiernorum. Iudæorum frequentior olim converſio, quàm hodiè. 1. *Auguſtini locus producitur & defenditur ab objectionibus Curcellæi. Baptiſmus in aſperſione vindicatur. Evanthus, Hieronymus, Nicolaus I. conſentientes introducuntur.* 2. 3. *Suffragia Tertulliani, Minutii Felicis, Biblidis fœminæ, Clementis Alexandrini, Authoris quæſtionum & reſponſionum, Origenis, Canonum Apoſtolicorum, Concilii Gangrenſis, Aurelianenſis ſecundi, Conſtantinopolitani Sexti, Cyrilli Hieroſolymitani, Chryſoſtomi, Leonis Sophi examinantur.* 4-8. *Græcorum quorundam liberè ſanguinem edentium praxis ex Petro Antiocheno & Balſamone oſtenditur, & peroratur.* 8.

I. Tandem

I. Tandem veniendum ad argumentum petitum à ſenſu antiquitatis. Curcellæus pro ſe jactat univerſæ Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſum, quæ Apoſtolicam iſtam conſtitutionem ſemper habuerit pro æternæ durationis præcepto, quod ante ultimum adventum Chriſti abrogari non debeat. Et addit. *Si quo in dogmate gloriari liceat, de traditionis univerſitate & conſtantia, iſtud eſt vel inter prima, ſanguine non licere veſci*, pag. 155 Reſpondeo. 1. Scitum quidem eſt Tertulliani effatum contra Praxeam: *Id verum quodcunque prius: id adulterinum quodcunque poſterius*. Antiquitas enim prima rerum origo eſt, & natura, quam res unaquæque ſortitur. Hæc autem talis, qualis eſſe debuit, nempe vera, & conſiſtit in revelatione infallibili Dei, Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum. In hanc antiquitatem omnis refundi debet certitudo. Hinc Ignatius in epiſt. 6. quæ ad Philadelph. memorat, ſibi à quibuſdam objectum. Ἐὰν μὴ ἐν τοῖς ἀρχείοις εὕρω τὸ Ἐυαγγέλιον, ἐ πιστεύσω. *Niſi in antiquis Evangelium invenero, non credam*. Quibus ita reſpondet. Ἐμοὶ ἀρχεῖα ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, ὧ τὸ ἀπειθῆσαι πρόδηλος ὄλεθρος. *Mihi pro archivis eſt Jeſus Chriſtus, cui non parere manifeſtum eſt exitium*. Juſtinus Apolog. II. 46. τὰ ἔθη περὶ τῆς ἀληθείας ἡμῶν, τῶν ἀνοήτων, *conſuetudinem ante veritatem habere illos, qui ſunt imperiti & amentes*. Nempe antiquior omnibus Deus, Chriſtus, Veritas. Cùm igitur voluntatem Evangelii ex antiquiſſimis ſcripturis, nempe verbo Dei explicatam & evolutam dederimus, non eſt cur curæ cordíque habeamus, quæ dixerint vel fecerint illi, qui nos vel remoto vel exiguo intervallo præiverunt. Ubi enim doctrina certa ab incerta eſt diſcernenda, malè provocatur ad τὸ πατροπαράδοτον, ad antiquitatem eorum, qui inde ſapere debuerunt, unde & nos. 2. Niſi firmiter approbatur in eo ſenſu eſum ſanguinis ab antiquitate damnatum eſſe, in quo nos illum licitum eſſe contendimus, plus omnino erit in opinione, quàm in calculó. Quid enim? An pia antiquitas, Concilia, Patres, quorum venerabilis eſt nobis authoritas, non potuerunt ideo eſum ſanguinis damnare, quòd viderent, non expedire, non ædificare, charitati nocere, offenſionem generare? An ideo damnare tantùm potuit, quia res per ſe mala & illicita, & olim in Veteri Teſtamento prohibita, & Chriſtianæ libertati contraria? Quidnî facere potuerit ſtudio Eccleſiæ amplificandæ, & ſanciendæ concordiæ tum Gentilium tum Judæorum, qui

circa

Digitized by Google

circa ea tempora ampliori acceſſione Eccleſiam Chriſtianam beârunt, quàm hodierno tempore, quo vix unus & alter ex Judæis ad nos convertitur, juſto Dei judicio, quo magis magiſque ob infidelitatem tum Parentum, tum ſuam ipſorum illis creſcit & effertur pertinax ſuperſtitionis ingenium, ac vix in noſtram pietatem, quantumcunque ſimulent, ſincerè mutabile. Notum ex hiſtoriis, Seculo adhuc quinto ex Judæis nonnullos ad Chriſtum converſos. Cùm enim Alexandriá plurimi Judæi expellerentur à Cyrillo, Adamantius Medicus Conſtantinopolin ad Atticum profectus eſt, & Chriſtianam religionem eſt profeſſus, teſte Socrate Hiſt. Eccleſ. VII. 13. Cúmque Pſeudo-Moſes Cretenſis, incarnatus dæmon, nefandis fraudibus graſſatus, Judæos, ſpe reductionis in terram Canaan lactatos, miſerabili clade affeciſſet, πολλοὶ τῶν ἐν Κρήτῃ Ἰουδαίων ἐχριστιάνισαν, *multi Judaeorum Creta Chriſtiani facti ſunt*, commemorante eodem Socrate VII. 37. De Attico Judæo vide Zonaram l. 3. pag. 54. De Judæo Duditho, qui Alexandriæ ſub Anaſtaſio converſus, hiſtoriam recitat Elmacinus. Hodie ejuſmodi proſelythi ſinceri ſunt phœnice rariores.

II. Quando autem traditionis univerſalitatem & conſtantiam tam impotenter jactat Curcellæus, opponimus ei Auguſtinum, Hieronymum, Evanthum, Nicolaum I. Papam, qui præcepta illa Apoſtolica eo ſenſu, quo etiam nos, ſunt interpretati. Hi, niſi fallor, jactantiam illam & ſuperbum triumphum Curcellæi ſatis retundunt. Auguſtinus maximè in eam rem clariſſimus & apertiſſimus eſt, cujus authoritas, ſi nominum ſplendor quæritur, quantivis eſſe debet. Ejus verba ſunt, lib. 32. contra Fauſtum Manichæum, cap. 13. *In actibus Apoſtolorum hac lege præceptum ab Apoſtolis, ut abſtinerent tantùm Gentes à fornicatione, & ab immolatis & à ſanguine, id eſt, nequaquam ederent carnem, cujus ſanguis non eſſet effuſus. Quod alii non ſic intelligunt: ſed à ſanguine præceptum eſſe abſtinendum, ne quis homicidio ſe contaminet. Hoc nunc diſcutere longum eſt & non neceſſarium: quia etſi hoc tunc Apoſtoli præceperunt, ut ab animalium ſanguine abſtinerent Chriſtiani, ne præfocatis carnibus veſcerentur, elegiſſe mihi videntur pro tempore rem facilem, & nequaquam obſervantibus oneroſam, in qua cum Iſraëlitis etiam Gentes, propter angularem illum lapidem duos parietes in ſe condentem, aliquid communiter obſervarent, ſimul & admonerent, in ipſa arca Noë, quando Deus*

hoc

hoc juſſit. Eccleſiam omnium Gentium fuiſſe præfiguratam: cujus facti Prophetia, jam gentibus ad fidem accedentibus, incipiebat impleri. Tranſacto verò illo tempore, quo illi duo parietes, unus ex circumciſione, alter ex præputio venientes, quamvis in angulari lapide concordarent, tamen ſuis quibusdam proprietatibus diſtinctiùs eminebant, & ubi Eccleſia Gentium talis effecta eſt, ut in ea nullus Iſraëlita carnalis appareat, quis Chriſtianus hoc obſervat, ut turdos, vel minutiores aviculas non attingat, niſi quarum ſanguis eſt effuſus? Aut leporem non edat, ſi manu à cervice percuſſus, nullo cruento vulnere occiſus eſt? Et qui fortè pauci adhuc iſta tangere formidant, à cæteris irridentur. Ita omnium animos in hac re tenuit illa ſententia veritatis: Non quod intrat in os veſtrum, vos coinquinat, ſed quod exit: nullam cibi naturam, quam admittit Societas humana, ſed quæ iniquitas committit peccata condemnans. Non video, qui clariùs, nervoſiùs & concinniùs magnus ille Pater ſententiam noſtram exprimere & repræſentare, & vim argumenti adverſariorum infringere potuerit. Videamus diſtinctè. Dicit igitur. I. Apoſtolos elegiſſe rem *pro tempore* facilem. Non igitur rem perpetuò duraturam, & in qualibet circumſtantia obligaturam. II. Cauſam reddit, cur pro tempore elegerint rem facilem & minùs oneroſam: *ut propter Iſraëlitas etiam Gentes propter angularem illum lapidem, duos parietes in ſe condentem, aliquid communiter obſervarent.* Sic cauſam illorum præceptorum facit concordiam Judæorum ac Gentilium, ut in unum corpus faciliùs conglutinarentur. Scitè utitur ſimilitudine ejuſmodi compaginationis. Sicut enim in parietibus videmus fieri, ut ſuperinducendus novus priori conſtructo firmiùs inhæreat, prominentes relinqui lapides, qui velut nexus quidam recens erectum ſibi firmiter conjungant: ſic Apoſtoli in Spirituali hoc ædificio, ut partem novam, venientem ex præputio, connecterent cum Judæis, paſſi ſunt hos velut lapides copulantes prominere, donec ædificio ad umbilicum perducto & confirmato, quod prominebat, tanquam contextui illi probroſum & deforme tolleretur. Confer quæ non ineptè in hanc rem diſſeruit Baronius Annal. Tom. I. ad A. C LI. III. Dicit, *neminem Chriſtianum talia obſervare, ubi Eccleſia Gentium talis eſt effecta, ut in ea nullus Iſraëlita carnalis appareat. Et ſi qui earum rerum religione ducuntur, eos à cæteris irrideri.* Habemus igitur non doctrinam tantùm Auguſtini nobis per omnia conſentaneam, ſed etiam praxin

Digitized by Google

illorum temporum. Quin Auguſtinus veriſſimè hoc enuntiaverit, nemo ambigere poteſt, qui cogitat in plena luce ipſum ſcripſiſſe. Si qui igitur ſequentibus temporibus ſuperſtitione incitante abſtinuerunt, cùm idonea non eſſet abſtinentiæ cauſa, illorum non eſt æquum rationem magnam haberi. IV. Confirmat Auguſtinus ſententiam ſuam dicto Chriſti: *Non quod intrat in os veſtrum, vos coinquinat, ſed quod exit.* Et rationem addit, *quòd nullam ſibi naturam homines reſpicere debeant, ſed peccata, quæ iniquitas humana committit.* Sic nobis per omnia adſtipulatur.

III. Invidet nobis conſenſum tanti Patris Curcellæus. Ergo omnem intentionis ſuæ aciem colligit, ut hac nos voluptate privet. Diſtinguit inter id, quod Auguſtinus ex ſua mente dicit, & id quod tanquam Hiſtoricus de praxi Eccleſiæ ſui temporis refert. Quod ipſe exiſtimavit, interdictum ſanguinis obligâſſe ad tempus tantùm, non debere majoris ponderis eſſe, quàm tot aliorum contrarium conſenſum. Et ſi liberum fuiſſe ſibi credidit, viam à Majoribus tritam deſerere, multò minùs ſe teneri ipſum exorbitantem ſequi. Quod verò memorat, paucos iſto tempore abſtinuiſſe à Suffocato, id ſibi non adverſari, quia exiſtimet, iſtam abſtinentiam à Suffocato non fuiſſe ab Apoſtolis præſcriptam. Non dicere autem Auguſtinum, ullum Chriſtianum merum ſanguinem ediſſe aut potâſſe, pag. 166. 167. Bene eſt, quòd libertatem ſibi arrogat ſimpliciter ab Auguſtino diſſentiendi. Sic nos jure hactenus æquat, ut ſimpliciter auſimus improbare illos, quos pro ſe non ſine inſolente pompa producit. Sed & vel hac una ratione motus deſinat traditionis univerſalitatem jactare. Dixit quidem Auguſtinus, Chriſtianos ſui temporis non ampliùs temperare à Suffocato. Nec nominat in praxi Chriſtianorum ſanguinem. Sed res ipſa *eodem redit.* Si enim Suffocatum ederunt, tum etiam ſanguinem. Nimis enim dilutum eſt, quòd dicit, ſanguinem fuiſſe expreſſum. Unde fidem facit dicto? Hoc maximè animadverſione dignum, quòd dicit Auguſtinus: *Si hoc Apoſtoli præceperunt, ut ab animalium ſanguine abſtinerent Chriſtiani, ne præfocatis carnibus veſcerentur, elegiſſe mihi videntur rem pro tempore facilem.* Hîc manifeſtum eſt, ipſum pro ἰσοδυναμοῦν habere, abſtinere à ſanguine, & præfocatis veſci carnibus. Nam prius explicat per poſterius. Scilicet in ea fuit ſententia, Apoſtolos, cùm ſcripſerunt, neceſſum eſſe, ut abſtineant à Sanguine

&

& Suffocato, non duo capita ſed unum prohibuiſſe. In quam ſententiam etiam alios iviſſe, certum eſt. Sed & hoc perpendimus, voluiſſe Auguſtinum, quod ſententiâ tuetur, idem etiam obſervatione ſuæ ætatis hominum defendere. Tuetur autem ſententiâ, Apoſtolos ſanguinem prohibuiſſe pro tempore. Ergo idem etiam tuetur praxi hominum ſuæ ætatis. Aliâs quàm ἀπερισδονύως ſubjeciſſet Chriſtianorum praxin? Quid ergo? Loquitur de Suffocatis tantùm, de turdis aviculis, lepore, quia creber hic & quotidianus cibus fuit, qualis non fuit purus ſanguis. Deinde excipit: *Non teſtari illud Auguſtinum de omnibus ubique gentibus Chriſtianis, quod facere abſque evidenti mendacio non potuiſſet, ſed tantùm de ſuis Africanis, & forte de non adeò multis. Notum eſſe illud familiare ſchema, ut ad omnes aliquis provocet, ſtatim atque ſibi de numero aliquo conſcius eſt. ibid.* Reſp. Nimis aperta ſunt Auguſtini verba: *Ubi Eccleſia Gentium talis effecta eſt, ut nullus jam in ea carnalis Iſraëlita appareat, quis jam hoc Chriſtianus obſervat?* Et ſtatim illos Chriſtianos opponit paucis, qui propter abſtinentiam illam ſuperſtitioſam cæteris deridiculo ſunt. Novit haud dubiè prudentiſſimus Pater, quid extra Africam gereretur. Nec tam contemptim locutus eſſet de Chriſtianis extra Africam degentibus. Denique obvertit: *Quòd irriderentur illi pauci, non arguiſſe illorum errorem, ſed profanitatem cæterorum. Sic irrideri hodie, qui baptiſmum fieri cuperent non per aſperſionem, ſed, ut in Veteri Eccleſia fiebat, per totius corporis in aquam immerſionem. ibid.* Reſp. Sic profanus fuerit ipſe Auguſtinus, qui non obſcurè riſu dignos fuiſſe innuit. Profanus non eſt, qui voluntatem Dei, Spiritualem διάκρισιν ſecutus, rectè interpretatur. Quod de Baptiſmo adſpergit, condonamus ingenio novarum rerum appetentiſſimo. Novimus quidem, antiquitus crebrius uſitatam immerſionem, quàm aſperſionem baptiſmo. Non ſemper tamen immerſionem obtinuiſſe, non ineptè probat Aquinas, quia aliquando ob multitudinem fieri non potuit, ut Act. II. & IV. Perfuſionis etiam exemplum habemus in Hiſtoria de Martyrio B. Laurentii. Confer de hac re Voſſium de Baptiſmo. pag. 37. 38. & Danæum ad Enchrid. Auguſt. p. m. 145. Ritus ille uſurpari deſitus eſt, ut quibuſdam Hiſtoricis videtur, tempore Conſtantini Copronymi, cùm aquam baptiſmatis excremento alimoniæ conſpurcaret. Thomas

Digitized by Google

etiam affert cauſam, honeſtatem, propter quam decentiùs ſit hodie adultos adſpergere, quàm nudatos toto corpore immergere.

IV. Poſt tempora Auguſtini non ſtatim obſolevit inter Chriſtianos ſanguinis & Suffocati eſus. Teſtem interrogamus Evanthum, authorem ſatis quidem antiquum, Gregorio tamen, cujus librum *Paſtoralem* adducit, poſteriorem. Is ſuo tempore ſcripſit epiſtolam contra eos, qui ſanguinem animalium immundum eſſe judicabant. Eam enim opinionem foviſſe ſcribit quoſdam in partibus Cæſar-Auguſtanis. Adeò non fuit iſta communis hominum ſive ſententia ſive praxis. Cùm objiceretur locus Act. XV. eum ſic ſolvit, *id pro tempore conſtitutum propter infirmitatem Chriſtianorum ex Judæis*. In quam ſententiam allegat tum Auguſtinum contra Fauſtum Manichæum, tum Hieronymum. Objiciebantur etiam Canones Conciliorum. Reſpondit Euanthus: *Nec ego me iſta fateor ignorare, ſed in antiquis canonibus iſta reperiuntur, quando adhuc Eccleſia ex circumciſione & Præputio ad fidem congregabatur: quando adhuc non ſolido cibo ſed lacte nutriebatur. Tale quid ad Corinthios Apoſtolum dixiſſe noverint, & in Actibus Apoſtolorum facta invenient. Nunc verò Eccleſia Dei ſolido cibo, fide roborata conſiſtit, ut viriliter contra impetus hæreticorum pugnet, non in infantium mollitie enervata ſuccumbat.* Edita eſt illa Epiſtola à Caniſio ex Manuſcriptis Monaſterii Sanctogallenſis, Lect. Antiq. Tom. V. part. 2. Auguſtini reſponſione ſupra allata & defenſa defungitur etiam Nicolaus I. in reſponſo ad Conſulta Bulgarorum, capite nonageſimo. Sed hæc delibâſſe, ſufficiat. Curcellæus plures ex Antiquitate in theatrum producit. Sic numerat ſuas, ut pauper, pecudes, non ponderat. Non gravabimur tamen ſingulorum verba paulò quæſitiùs inſpicere, & periculum facere, quantùm adverſariis proſint.

V. Primus eſt Tertullianus in Apolog. cap. IX. Gentiles refutaturus, qui infanticidia Chriſtianis & Thyeſtæas cœnas objiciebat: *Erubeſcat error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in eſculentis epulis habemus, qui propterea quoque morticinis & Suffocatis abſtinemus, ne quo modo ſanguine contaminemur, vel intra viſcera ſepulto. Denique inter tentamenta Chriſtianorum botulos etiam cruore diſtentos admovetis: certiſſimi ſcilicet, illicitum eſſe penes illos, per quod eos exorbitare vultis. Porro quale eſt, ut quos ſanguinem pecoris*

Digitized by Google

cruris horrere confiditis, humano inhiare credatis? Niſi forte ſuaviorem eum experti. Hîc docet Tertullianus, veteres abſtinuiſſe à ſanguine & Suffocatis. Tria repono. Primò, à temporibus Tertulliani ad noſtra tempora non licere argumentari. Plures illo tempore fuerunt cauſæ, ob quas Chriſtiani abſtinere tenebantur, quæ hodie non habent locum. Secundò, Tertullianum non de ſolo ſanguine loqui, ſed etiam de ſuffocatis. Suffocatis autem per legem Apoſtolicam veſci licere, concedit Curcellæus. In hac re igitur diverſus abit à Tertulliano. Quod ſi fas & integrum fuit Curcellæo, eadem nos libertate in interdicto ſanguinis frui permittat. Reſpondet: *Chriſtianos abſtinuiſſe à morticinis & ſuffocatis ex ſcrupulo, ne quis in iis ſanguis ſupereſſet, non ex interdicti Apoſtolici authoritate.* Quî igitur fit, quòd eundem ſcrupulum non habuerit in conſilio ipſe etiam Curcellæus, ne ſuffocata comederet, cùm periculum ſanguinis edendi difficulter evitari poſſit. Sed fateamur, quod res eſt. Tertullianus utrumque legit in codice αἵματος καὶ πνικτοῦ. Ergo ex authoritate Apoſtolica, non ex ſcrupulo ſibi temperavit. Tertiò, cùm alias ob cauſas, tum ob hanc ſibi etiam temperâſſe videntur, ne Gentiles, qui genuinum Apoſtolici interdicti ſenſum non perceperunt, anſam arriperent Chriſtianos blaſphemandi, quòd ne Moſis & Apoſtolorum quidem præceptis obſequentes ſe gererent. Tanta apud illos fuit Apoſtolici culminis reverentia, ut etiam ſpeciem vitarent inobedientiæ erga illos. Secundus Curcellæo teſtis eſt Minutius Felix in Octavio. *Nobis homicidium nec videre fas eſt, nec audire, ut nec edulium pecudum in cibis ſanguinem noverimus.* Tertius Biblis fœmina, quæ commemorante Euſebio Hiſtor. Eccl. lib. V. cap. I. in tormentis de Chriſtianis, quibus Gentiles βορὰς τῶν παιδίων objecerant, anquiſita, maſculè tandem poſt multas Sathanæ tentationes reſpondit, πῶς ἂν παιδία φάγοιεν οἱ τοιοῦτοι, οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἐξόν. *Quomodo infantes comederent illi, quibus ne irrationalium quidem pecudum ſanguine veſci licet?* Minutii Felicis eadem ratio eſt, quæ Tertulliani. Quod Biblidem fœminam attinet, non aſſentior quidem Suarezio, qui de ſolo ſuffocato illam loqui aſſerit, de lege poſitiva lib. 9. cap. 20. Imò in genere ſanguinem pecudum nominat. Non dubitamus, quin ea ætate multas ob cauſas Chriſtiani abſtinuerint. Interim, quin ullo caſu liceat veſci, non expreſſerunt. Probant ejuſmo-

Digitized by Google

di exempla factum, non negant jus contrarium. Quartus eſt Clemens Alexandrinus Pædagog. lib. III. cap. 3. ubi, cùm retuliſſet, Scythas ſanguinem equorum & Arabes Camelorum potare ſolitos, ſubjungit: *Pereant ergo immanes belluæ, quibus eſt cibus ſanguis. Neque enim hominibus fas eſt, tangere ſanguinem, quibus corpus nihil eſt aliud quàm caro ſanguine exculta.* Loquitur de barbaro & Scythico more promiſcuè ſanguinem ligurientium, unde crudeles & feroces ſunt facti. Si ultra extendit, liberè diſſentimus.

VI. Quintus eſt auctor quæſtionum & Reſponſionum ad Orthodoxos. quæſt. 145. *Cùm ex iiſdem conſtat ſanguis, ex quibus caro, quare Deus carnium animalium eſum permittit, carnis autem in ſanguine eſum interdicit? Excepto, inquit, quòd carnem in ſanguine non comedetis.* Reſpondet. *Ut ea quoque in re Deus nos à ferarum immanitate ſecerneret, quæ in laniatu carnium, ſanguinem quoque eorum lambunt, quorum vorant carnes.* Hic primò incertus eſt & dubius illarum reſponſionum author. Tribuunt nonnulli librum Juſtino Martyri. Quorum opinio à Criticis Sacris jampridem eſt jugulata. Etenim facit mentionem Manichæorum: vocabula habet ſeriùs nota ὑποστάσεως, πρόσωπον, τριάδος, μονάδος. Multa ſcribit vero Juſtino contraria. Citat Irenæum, quem Juſtino conſtat fuiſſe poſteriorem. Sed quiſquis fuerit ille Author, non multùm ex eo emolumenti capere poteſt Curcellæus. Agit enim manifeſtè de prohibitione ſanguinis, facta tempore Noachi, & rationem reddit, cur Deus ſanguinem prohibeat, carne indulta. Sextus eſt Origenes libro VIII. contra Celſum. *Suffocata ſunt animalia mortua, non expreſſo ex illis ſanguine, quæ utique Dæmonum eſſe ajunt cibum, cujus illi ardore paſcantur. Hæc idcirco vetantur in cibum adſumi, ne nos Dæmonum cibis nutriamur, & nobiſcum maligni Spiritus coalantur, ſi pariter cum illis veſcamur Suffocatis.* Miror, voluiſſe etiam Origenem ſibi conſentaneum Curcellæum producere. Atqui ille non de ſanguine agit, ſed de ſuffocatis, quæ negat Curcellæus in textu tangi, adeóque licita eſſe concedit. Deinde quàm frivola ratio eſt, quam reddit, interdicti Suffocatorum Origenes? Septimum teſtimonium arceſſit ex Canone Apoſtolorum LXIII. *Si quis Epiſcopus vel Presbyter vel Diaconus, vel omnino ex Sacerdotali catalogo, comederit carnes in ſanguine animæ ipſarum, vel quid à feris captum, vel morticinum, deponatur. Hoc enim lex prohibuit. Si autem ſit Laicus, ſegrego-*

gregetur. De Canonibus Apoſtolicis ſæpius diximus. Nullam merentur fidem, nec Apoſtolis authoribus gaudent. Deinde inde ſibi præſidium quæritat, unde perniciem metuere debet. Prohibent Canones non ſanguinem magis quàm Suffocata. Neque hîc tergiverſari debet, Suffocata prohiberi, ex quibus ſanguis nondum eſt expreſſus. Nam in genere vocant θηριάλωτα καὶ θνησιμαῖα. Eodem modo prohibuerunt Suffocata, quo ſanguinem. Suffocata autem per ſe non eſt nefas comedere, imò licitum eſt illud edulium Curcellæo confitente. Ergo neque ſanguis per ſe illicitus. Octavum teſtimonium profert ex Concilio Gangrenſi: Nonum ex Concilio Secundo Aurelianenſi: Decimum ex Conſtantinopolitano in Trullo. Concilii Gangrenſis canon 11. ſic habet: *Si quis carnem edentem abſque ſanguine & idolis immolato & Suffocato, cum pietate & fide condemnat, ut ſpem non habentem propter hujusmodi perceptionem, anathema ſit*. Sic, fateor, edicit canon, ex quo Franciſcus Silvius rectè colligit, apparere, diu obſervatum fuiſſe *in quibuſdam locis*. Nam univerſalem fuiſſe praxin ex hoc canone non poteſt confici. Non fuit enim Univerſale Concilium, ſed provinciale, proinde, quæ fuerit obſervatio Chriſtianorum extra Græciam, non docet. Probari etiam debet, ideo damnâſſe, quia per ſe illicitus & pravus fuit. Exercitium enim juri contrarium aliquando præcipi poſſe, minimè inficias imus. Concilii II. Aurelianenſis canon ita habet: *Catholici, qui ad idolorum cultum revertuntur, vel qui cibis idolorum cultibus immolatis guſtu illicitæ præſumtionis utuntur. Similiter & hi, qui beſtiarum morſibus extincto, vel quolibet morbo aut caſu Suffocato veſcuntur ab Eccleſiæ cœtibus arceantur*. Non animadvertit Curcellæus, ne quidem ſanguinis mentionem in canone fieri, ſed Suffocati tantùm. Et cùm Concilium Nationale fuerit, pauci Patres non potuerunt Chriſtianorum omnium libertati Divinitus indultæ compedes injicere, niſi neceſſitas id poſtularet. Non dicam, quàm obſcura fuerit hæc Synodus Aurelianenſis, quàm altum de ea in antiquitate ſilentium, quàm denique quædam ejus decreta Apoſtolicam ſimplicitatem & ſinceritatem parùm redoleant. Concilii Conſtantinopolitani Sexti in Trullo habiti Canon 67. ſic ſonat. *Sacra Scriptura nobis præcipit, ut abſtineamus à Sanguine et Suffocato & fornicatione. Meritò igitur damnamus eos, qui cujuſcunque animalis ſanguinem arte aliqua condiunt, & ſic comedunt. Qui hoc fecerit, Clericus deponatur, Laicus excommu-*

communicetur. Damnatio eſt injuſta, quippe quæ nititur ſiniſtra interpretatione Apoſtolici Decreti.

VII. Undecimus eſt Cyrillus Hieroſolymitanus, Catech. IV. *Scribunt Apoſtoli & Seniores omnibus Gentibus communem Catholicam Epiſtolam, ut inprimis idolothytis abſtineant, deinde & ſanguine atque Suffocato. Nam hominum multi feri & immanes, moréque canino viventes, ſanguinem lambunt agreſtium & ferocium belluarum inſtar ſuffocata devorant abunde, Tu autem ſervus Chriſti cùm ſis, comedens, reverentiâ modeſtiâque adhibitâ comede.* Poſteriora Cyrilli verba ſunt ambigua, & ſic accipi poſſunt, ut ſervus Chriſti in edendo ſanguine & Suffocato moderatus ſit, nec inſtar belluarum crudeliter ſanguinem lambat. Si in univerſum crudelitati deputet ſanguinis eſum, candidè improbamus. Duodecimus eſt Chryſoſtomus in Act. Apoſtol. Homil. XXXVIII. ubi, poſtquam præceptum Apoſtolicum enarrâſſet, ſubjicit: *Caterùm oſtendit, non eſſe ſermonem ad gratificandum compoſitum, nec ad parendum illis, quaſi infirmis, ſed contrarium. Magnus enim & Doctorum pudor fuiſſet, ſuperfluúmque fuiſſet onus. Vide brevem epiſtolam, nihil habentem abundans, neque epicheremata, neque Syllogiſmos, ſed imperium, erat enim legislatio Spiritus.* Frigida certè eruditi cæterà Patris ratiocinatio. Non eſt ſuperfluum onus, quod propter infirmioris conſcientiam imponitur. Et decretum cùm fuerit, quamvis temporale, ſapienter conditum, non debuit epicheremata vel Syllogiſmos habere, ſed imperium pro ratione fuit. Cæterùm ſat Syllogiſmorum & epicherematum nectit Paulus capite octavo prioris ad Corinthios, & in Epiſtola ad Romanos capite decimo quarto, ubi prolixè argumenta explicat, ob quæ aliquando ab uſu rerum indifferentium temperare conveniat. Decimus tertius & ultimus eſt Leo Imperator, cujus Conſtitutio L VIII. in interdicto hoc conſumitur. Superfluum eſſet huc Novellam tranſcribere. Pœnam graviſſimam conſtituit in violatorem, ut, ſi quis ſanguinem in cibum convertere deprehenſus fuerit, *ſciat, ſe bonorum publicationi ſubjiciendum, & ubi acerbum in modum flagris caſus, ac cute tenus fœdè tonſus erit, perpetuo Patria exilio mulctandum eſſe.* Sufficiat annotâſſe, illas Conſtitutiones ne quidem Leonis Sophi ſuperſtitis adhuc tempore vigorem habuiſſe. Audiamus Juriſconſultum eminentiſſimum Jacobum Cujacium lib. XVII. Obſervat. cap. 31. *Novellarum conſtitutionum,* inquit, *Leonis Sophi tantùm ab-*

eſt,

eſt,ut aliqua apud nos ſit authoritas, ut nec ejus ætate unquam obtinuerint. Nam quod noſtris hodie,idem etiam ſæpe Imperii Romani principibus eveniebat,ut quæ conſtituerunt, judicia populi non reciperentur.

VIII. Ex quibus apparet,nihil cauſæ eſſe, cur univerſalem traditionem οἱ ἐξ ἐναντίας crepent, cùm vix unus & alter ipſis clara conſenſione patrocinetur. De modernis Criticis,Grotio, Salmaſio, Blondello, Voſſio non magnopere laboramus. Si virorum præſtantium,ac Theologorum cumprimis,qui talia curatiùs & penſiculatiùs agunt, quaſi per ſaturam exquirenda ſuffragia eſſent, vel milleſimo cum fœnore penſaremus paucorum, qui in alia omnia eunt,jacturam. Nolumus autem nos quærere, quid homines ſentiant,ſed quid ſentire nos velit Dominus. Orientis & Meridiei pleraſque Eccleſias novimus quidem hac ſuperſtitione imbutas, quam in hoc nos ſcripto corrigimus. Sed cùm in hoc,tum in aliis etiam capitibus orthodoxas in Occidente Eccleſias Orientalibus ſentire ſaniùs,perſuaſiſſimi ſumus, ſic tamen ut propter ejuſmodi ἀσθενήματα Eccleſiæ veræ axioma minimè illis invideamus. De cætero compertum habemus, Græcos non in univerſum omnes à ſanguine abſtinere. Petrus Antiochenus, Græcus homo, in epiſtola, quam Cerulario oppoſuit, inter alia multa de hac re ſic loquitur. Εὑρήσεις κἂν τῇ πόλει, κἂν τοῖς ἔξω πολλοὺς τὸ ὕειον αἷμα ἐσθίοντας, καὶ μαρτυρεῖ τὸ ἐν ταῖς προβαλαῖς τῶν καπήλων προτιθέμενα κοιλέντερα μεςὰ ὄντα χοιρείου αἵματος. *Invenies in ipſa Conſtantinopoli, & extra eam multos, qui ſanguinem ſuillum comedunt, & teſtimonium dant, quæ in cauponarum foribus proponuntur, laxiora inteſtina, ſanguinis ſuilli plena.* Et Balſamon in Can. LXIII. Apoſtolorum τὰ δὲ ἀπὸ ὀρνέων θηρευτῶν ἢ κυνῶν, ἢ παρδάλεων θηρευόμενα, καὶ πνιγόμενα πῶς παρά τινων ἐσθίονται, ἀγνοῶ. Σημείωσαι οὖν τὸν κανόνα διὰ τοὺς Λατίνους ἀδιαφόρως τὰ πνικτὰ ἐσθίοντας. *Quæ autem à venatoriis avibus vel canibus capiuntur & ſuffocantur, quomodo ab aliquibus comedantur, neſcio. Nota ergo Canonem propter Latinos, qui ſuffocata indiſcriminatim comedunt.* Ergo quidam ex Græcis veſcuntur. Neque Latini aliter pulſandi, quàm quia edunt ἀδιαφόρως *indiſcriminatim.* Idem Balſamon in Canonem LXVII. Trullanum. Οἱ δὲ Λατῖνοι ἀδιαφόρως ἐσθίουσι πνικτά. ἀλλὰ καὶ οἱ Ἀδριανοπολῖται, ὡς ἀκούω, τοῖς αἵμασι τῶν ζώων χρῶνται μετὰ ἐδωδίμων τινῶν. *Latini verò indiſcriminatim Suffocata comedunt; ſed etiam Adrianopolitani, ut audio, animalium ſanguine cum eſculentis quibuſdam*

 utuntur.

niuntur. Hoc in Adrianopolitanis non valde perſtringit, ſed duntaxat dicit, *neſcire ſe cauſam, ob quam hoc faciunt.* Eadem igitur cum Latinis æquitate agant, non tanquam canonum violatores, impios caſtigent, condemnent. Hoc unum inſatiabiliter cogitent, Chriſtiano homini OMNIA LICERE, NON OMNIA ÆDIFICARE. In quo Apoſtolico axiomate, felici omine, deſinam.

INDEX I.

LOCORUM SCRIPTURÆ.

Cap.	Verſ.	Pag.
	GENESIS.	
I.	29.30	21
IV.	3	31
VII.	2.3	36
IX.	2.3	27
	4	38.44.&c.
XV.	15.16.17	57
XXXI.	54	33
	EXODUS.	
XXII.	21	86
	LEVITICUS.	
III.	17	70
VII.	26	70
XI.	19	71
	23	72
XVII.	10	80
	10.11	73
XIX.	19	65
	27	64
XXVI.	14.15	82
	DEUTERONOMION.	
IV.	21	75
XII.	23.24	80.81

Cap.	Verſ.	Pag.
XXVI.	17.18	81
	II. SAMUELIS.	
VII.	11	173
	II. REGUM.	
XIV.	8.11	143
	PSALMI.	
XXXIV.	17	82
CXIX.	109	190
	ESAIAS.	
XXXIII.	4	72
	JEREMIAS.	
VII.	22	64
IX.	29	119
	AMOS.	
IX	11.12	172.&c.
	MATTHÆUS.	
III.	15	97
XV.	11.17	90.&c.
	ACTA.	
X.	10.11	109
XV.	1	113.122
	2	122.129
	3	129.130

Cap.

Cap.	Verſ.	Pag.	Cap.	Verſ.	Pag.
XV.	4	130.131	XV.	28	190.202
	5	131.134		29.	203.215
	6	135.143			216.&c.
	7	143.150	AD ROMANOS.		
	8	150.151	III.	2	56
	9	152	XIV.	14.17	92.&c.
	10.	110.153.157	I. AD CORINTHIOS.		
	11	157.166	VIII.IX.X.		203.&c.
	12	168.169	X.	25	98
	13	170	AD GALATAS.		
	14	170.171	II.	2.3	136
	15	172		5	123
	16	172.173		9	127
	17	174.178	AD COLOSSENSES.		
	18	178.179	II.	16.17	101.&c.
	19	180	I. AD TIMOTHEUM.		
	20	181.216.&c.	IV.	1.2.&c.	107.&c.
	21	181.185	AD TITUM.		
	22	187.188	I.	15	106
	23	189	AD HEBRÆOS.		
	24	189	IV.	13	150
	25	190	APOCALYPSIS.		
	27	190	XIX.	10	151

INDEX II.

RERUM, VERBORUM ET PERSONARUM.

A.

Abarbanel ref. 173.

אבר מן החי 8.9.

Actiones à virtute fluentes quando bonæ? 2.

Adamus ſacrificaſſe videtur. 29.

Adiaphoriſtæ pulſantur. 118.

Ægyptiorum circumciſio. 119. 197.

Æthiopum circumciſio. 197.

Agendorum & cognoſcendorum diſcrimen.1.2.
Αἵρεσις vox media. 132.
Ἄλλας. 4.
Ἀλλαντοπῶλαι. 4.
Amyclas ſilentium perdit.38.
Ἀνασπαδάζειν ψυχὴν. 189.
Angelocrator eſum ſanguinis improbat. 12.
Ananias Sacerdos malè Izatæ circumciſionem diſſuadet.121.122.
Anguli capitis & barbæ circumdatio cur in lege præcepta.64.
Anima ſanguis.73. pro vita ponitur.51.
Animalium in quaque ſpecie an unum duntaxat par creatum? 35. mundorum & immundorum diſcrimen unde? 36. 37. multitudo periculoſa.38.
Annibalis filius laudatur.104.
Antiquitas diſtinguitur, ejúſque quale in quæſtione de eſu ſanguinis momentum ſit, inquiritur.231.
Antiochenorum, quos Julianus ad idolothyta comedenda pellexit, factum. 206.
Apollonii erronea traditio.126.
Apoſtoli an inter ſe orbem diviſerint.126. 127. præter Hieroſolymitanum an aliud Concilium celebraverint? 140.141.
Apoſtolici Canonis 63. aſſertio de vetito ſanguine expenditur.238.
Arboris vitæ qualis efficacia fuerit.18. 19.
Armeniorum ſententia de eſu ſanguinis. 12.
אשה.32.
Aſſiratus.3.
Ἄθυτα ἱερὰ ἐσθίειν. 30.
אוסף.72.
Auguſtini reſponſio de idolothytis ad Publicolam.206. 207. libertatem edendi ſanguinem aſſerens vindicatur.232-236
Avicenna, Muhammedanus licèt, multa de eſu ſanguinis habet.10.
Authoris quæſtionum & reſponſionum aſſertio de eſu ſanguinis vetito expenditur.238.
Azymus panis cur in Paſchate præceptus. 65.

B.

Baptiſmus olim immerſione, non tamen ſemper peractus.235.
Baronius ref.139.
Becmannus eſum ſanguinis improbat.12. cujus argumenta & exceptiones paſſim expenduntur.
Bellarminus ref.139.140.146.
Biblidis fœminæ vox de vetito ſanguine expenſa.237.
Botulus.5.
Βωμολόχοι.202.
Bruta ante lapſum non fuerunt carnivora.24. quomodo carnivora facta ſint? ib. in arca Noachi quo cibo paſta ſint? 25.

C.

Caprini ſanguinis noxa.6.
Carnium eſus in ſtatu integritatis licitus fuit. 14. Idque fusè probatur, ſimúlque Curcellæi exceptionibus & objectionibus cap.2. integro, occurritur. Exercitium tamen fortè in ſtatu integritatis omiſſum eſt.16. 17. 18. in ſtatu peccati temporibus diluvium antegreſſis earundem eſum licitum fuiſſe, cap.3. integro probatur, & exceptionibus ac objectionibus Curcellæi occurritur. Rationes conceſſionis carnium poſtdiluvianæ examinantur.40.41. non ſunt indultæ ob σκληροκαρδίαν hominum. 41.
Carolus V. à Paulo III. iniquè habitus.125.
Καπνοκαμμένα. 174.
Ceremonialia præcepta quandoque morali ratione nituntur. 63. &c. an tempore Chriſti ſine peccato violari potuerint.

riat.91. abrogata ſunt ab Apoſtolis.89. gradus abrogationis.92.
Cernere.143.
Chriſti baptiſmus.97.
Chryſoſtomi aſſertio de vetito ſanguine expenditur.240.
כי & ו particulæ relativæ.74.
Ciborum mundorum & immundorum diſcrimen in V.T. qua ratione ſuffultum? 65.66.
Circumciſio compendium eſt Judaiſmi. 116.117. definitur.117. ejus miniſter, myſterium, ſubjectum.117.118.&c. duplex circumciſæ Eccleſiæ periodus.118. non habuit neceſſitatem medii.119.120. Æthiopum hodierna improbata. 197.
כלאים 65.
Collectio piſcium, locuſtarum.72.
Cornelius à Lapide ref.15.107.131.
Conciliorum uſus Papatum Oecumenicum ſubvertit.138. infallibilitas impugnatur.195.&c.
Concilium Hieroſolymitanum. *Vide* Hieroſolymitanum Concilium.
Conciliorum Gangrenſis, Aurelianenſis, Conſtantinopolitani aſſertiones de vetito ſanguine expenſæ.239.
Conſtantinopolitanæ Synodi canon 63. explicatur.4.
Conſtantinopolitani renuunt edere idolothyta.226.
Cretenſium cum Judæis communio.106.
Curcellæus Remonſtrantium choragus.3. Pythagoreus eſt. 22. Montanizat. 41. Ejus argumenta & exceptiones paſſim diluuntur.
Cyrilli Hieroſolymitani aſſertio de vetito ſanguine expenditur.240.

D.

Davidis tentorium Chriſtus eſt.173.
Deus quomodo tentetur.153. præſcius is eſt futurorum etiam contingentium. 178.179.
Dicæarchi fabula de cibo ætatis aureæ.23.
Divortiorum apud Gentiles & Judæos licentia.212.
Dominium primo homini conceſſum ſe ad animantium quoque mactationem extendit.14.15. reſtitutum homini poſt diluvium explicatur.27.

E.

Eccleſia, ſeu promiſcua fidelium multitudo à rerum ſacrarum communione non arcenda.187. ejus infallibilitas ex Act.15.28. non concluditur,192.&c. non habet poteſtatem νομοθετικήν. 199.&c.
Edom à reliquiis Iſraëlis hæreditandus eſt,176.
Emiſſarii.116.
Ενδελεχισμὸς.32.
Επάναγκες quid.198.
Επιταγαὶ à συγγνώμαις diſtinguuntur. 191.&c.
Eſſenorum à ſanguine abſtinentia.11.
Evanthus libertatem edendi ſanguinem aſſerit.236.
Excipiendi ritus.130.

F.

Faciem ponere contra aliquem.82.
Fides corda purificat.152. quomodo juſtificet.163.
Franzius ref.84.

G.

Gennadius ref.35.
Gentilium rejectionis terminus à quo.55. rejecti non habuerunt jus ad ritus ſacros: ad præcepta tamen naturalia obligati.57.58. qualis in rejectione eorum actus Dei.58.59.
גר-הדר fuit proſelythus juſtitiæ.86.

גר צדק.83.
Graduum conſanguinitatis prohibitio non eſt juris poſitivi.76.
Græci à ſanguine abſtinent. 11. quorundam tamen libera praxis ex Petro Antiocheno & Balſamone oſtenſa.241.
Gratia definitur.157. Ei in ſtatu integritatis quomodo locus fuerit.158. Pelagianorum, Socinianorum, Pontificiorum circa eam errores.158. 159. &c. gratis datæ & gratum facientis diſtinctio. 160. juſtificans non eſt qualitas infuſa. 160.161.
Grotius ref.33.77.84.139.

H.

Habelis ſacrificium.31. non fuit holocauſtum.32.33. nec ſagmen.33.
Habeſſini à ſanguine abſtinent.12.
Hieronymi ſententia de vetito eſu carnium ante diluvium.28. de libertate edendi ſanguinis, 236.
Hieroſolymitanum Concilium Act. XV. notis illuſtratur. 113--216. inſtitutum fuit contra Cerinthum.115. cur ad illud Paulus provocaverit.124. quinam Apoſtoli ei interfuerint?127. cur ad id Hieroſolymæ delectæ? 129. quo tempore celebratum fuerit. 135.136. quis illud convocaverit? 138. an fuerit Oecumenicum? 140. an ei Petrus præſederit? 144.168. Epiſtola ejus Synodica. 185. &c. quomodo Spiritus S. ſententiam cognoverit? 190.
Holocauſtum ὁλοκάρπωμα.31.
הרסות.174.
Humanarum carnium eſus crudelis.103.

I.

Jacobi Apoſtoli ſententia Conciliaris.167. &c. quomodo frater Chriſti fuerit? 170.
Jarchii de dominio Protoplaſtis conceſſo ſententia ref.15.
Ibn Sora ref.20.
Ἰδεῖν.143.
Idolothytorum eſus conceſſus.100.103. &c,
Idumæi circumciſi.119.
Jeremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani ſententia de eſu ſanguinis.11.12.
Incircumciſi ante Chriſtum ſervari non potuerunt.120.
Jonathæ Uzielidis authoritas.47.
Judas Berſabas.188.
Judæorum ſententia de eſu ſanguinis.8.
Julianus pellicit Chriſtianos ad idolothyta.206.
Jus nigrum Laconum.5.
Juris naturalis & poſitivi diſtinctio aſſeritur.77.78.
Izathæ Adiabenorum Regi Ananias Sacerdos circumciſionem diſſuadet.120.121.

L.

Leonis Acridani Epiſtola.11. Sophi ſententia de vetito ſanguine expenditur. 240.
Lex etiam moralis jugum eſt importabile.153. ejus lectio in Synagogis antiquiſſima.184.
Libertas per Chriſtum parta.89. conſideratur vel in jure, vel in praxi,196. &c.
Lucanicæ.4.

M.

Mactatio animalium Paradiſo non indigna fuit.22.
Majmonidis ſententia de morali ratione præceptorum Ceremonialium.86.74.
Menaſſe ben Iſraël adulatur Chriſtianis. 122.
Mercerus ref.86.
Μαζῶν unde Athenæq.30.
Michaëlis Cerularii Epiſtola.11.
Μιμάρκυς.5.
Minchah.32.
Minutii Felicis aſſertio de vetito ſanguine expenditur.237.

Miracula

Miraculis Deus hodie veritati non atteſtatur. 169.
מלא אחרי יהוה. 97.
Morale non ilico eſt, cujus ratio moralis redditur. 62. &c. quid ſit, definitur. 62.
Moralitatis indicia quænam? 62. 63.
Morticina comedere licuît proſelythis domicilii. 75.
Moſcovitæ ſanguinis eſu abſtinent. 12.
Moſis cathedra. 119.
Muhammedani ſanguinis eſu abſtinent. 10.

N.

Nazareni. 116.
Naziræi hæretici 94.
Naziręatus. 94.
נבלה. 5.
Nephilim qui fuerint. 54.
Nicolaus I. Libertatem ſanguinis edendi aſſerit. 54.
Noachidarum præcepta 8. non præciſè omnes obligant. 61. an Act. 15: 20. 29. exprimantur? 214, 215.
נפש. 50. 51.

O.

Omophagia. 9.
Origenis aſſertio de eſu ſanguinis expenditur. 238.
Ovidii fabula de cibo ætatis aureæ. 23.
ὥρα. 123.
Ovium pinguedines ab Habele oblatæ. 33.

P.

Papatus Judaiſmum incruſtat. 117.
Paradiſo indigna non fuit mactatio. 22.
Παρενοχλεῖν. 181.
Patrum V. T. eadem ſalus & juſtificatio fuit, quæ eſt fidelium. N. T. 164. 165.
Patricides ref. 20.
Pauli prior ad Corinthios quando ſcripta? 99. ad Coloſſenſes quando? 10. profectio Hieroſolymitana eadémne Act. 15. & Gal. 2. deſcribatur. 136. quo tempore converſus ſit. 137.
Pelagianorum progreſſus in doctrina de natura & gratia, 158. &c.
Petrus an perſecutione cogente Româ Hieroſolymas iverit. 139. cur in Concilio Hieroſolymitano primus ſurrexerit. 143. an præſederit eidem? 144. non primus prædicavit Gentilibus 148. argumentis probat, gentiles ad Eccleſiam pertinere. 149. &c. cur Simon vocatus? 170.
Phariſæi cur S. Paulo adverſati? 132. credentes an manſerint in ſecta ib.
Peregrini habitationis 83.
Piggul. 32.
Piſcium ſanguis ánne prohibitus? 71.
Plempius laud. 10.
Plutarchi narratio de cibo primorum hominum. 23.
Polygamia Judæorum & Gentilium in divortiis. 212. 213.
Pœtarum figmentum de cibo aureæ ætatis. 23.
πορνεία. Vide Fornicatio.
Poſitivum non idem eſt, quod ceremoniale. 75.
Presbyter quid? 127. idem quod Epiſcopus erat Apoſtolorum tempore. 127. 128. in Concilio Hieroſol. ſuffragatores fuerunt, 141.
Πρεσβυτέριον Collegium eſt, non officium. 128.
Procopius ref. 35.
Προπέμπειν. 120.
Proſelythus domicilii morticina comedere potuit. 75. juſtitiæ. 82. 83. juſtitiæ & domicilii diſtinguitur. 86.
Protoplaſti quamdiu in Paradiſo commorati. 19. 20. veſtes pelliceæ arguunt mactationem animalium. 35.
Pythagoras ánne carnibus abſtinuerit. 105.

R.

Religionis præcepta diſtribuuntur. 6. 7.

S. Sa-

Digitized by Google

S.

Sacrificia Antediluviana libertatem edendi ſanguinis arguunt.29. juge.32. eorum ἐμπνευσμὸς.34. à proſelytho habitationis offerri non potuerunt.84. in V. T. quomodo à Deo rejecta? 92. 93.
Salmaſius eſum ſanguinis improbat. 12. ejus ſententia de duabus veſperis.32.criſis de voce ἐπάναγκες.198.
Sancerrani anthropophagos capite plectentes defenſi.103.
Sanguis.De ejus eſu quæſtio eſt difficilis.2. 3. humani eſus crudelis.3.non quæri de abſtinentia medica vel phyſica.5.6. ſed de religioſa.6.7. ſtatus controverſiæ figitur.7. 8. Sententiarum divortia.8. 9. 10. &c. In ſtatu integritatis & retro diluvium licitum fuiſſe eſum ejus probatur.13.14.42. à tempore Noæ ad Moſen uſque ſanguinis prohibitionem merè ceremonialem fuiſſe probatur.44--60. & objectionibus occurritur.60-69. rationes prohibiti poſt diluvium ſanguinis.51. &c. à Moſe uſque ad Chriſtum eſum ſanguinis ceremoniali præcepto interdictum fuiſſe fusè probatur. 70-80. & objectionibus ſatis fit.80-88. diſtinctio inter ſanguinem animæ & membrorum eliditur.70. In N. T. eſum ſanguinis liberum eſſe,probatur 8. argumentis. 88--113. Objectioni ex Act. 15 : 20.29. motæ fusè occurritur. 113-230. inprimis.216. &c. de Eccleſiæ veteris circa quæſtionem hanc ſenſu fusè diſſeritur.231--f.
Σαρκοφαγία damnata.102. &c. 105.
Scaliger (Joſ.) not.32.
Scandali diviſio, & quando illud culpabile? 96.97.
Scortationis nomine quid intellexerint Apoſtoli Act.15 : 20.29. fusè anquiritur.209 210.
Scripturæ authoritas.172.
סכת דוד. 173.
Seldenus ref.71.
Sextii Pythagorei ſententia de eſu animalium.112.
Sicera.94.
Silas quis fuerit? 188
Simeon & Simon nomina diſtincta ſunt. 170.
Socini hæreſis de Chriſto Mediatore.163. & præſcientia futurorum.179.
שרירים. 87.
Στάσις.123.
Suffocatum quid? 5. ſub præcepto Gen. 9: 4. etiam intelligitur.50. Act.15: 20.29. prohibetur, ubi lectionis γνησιότης contra Curcellæum defenditur.208. 209.
Συγνῶμαι ab ἐπιταγαῖς diſtinguuntur.191.
Symbolum Apoſtolicum an in Concilio aliquo conſcriptum? 140.

T.

Taciti error de Judæis.106.
Taurorum ſanguis peſtifer eſt. 6.
Tenupha.30.
Tentatio Dei.153.
Tertullianus ref.4. ejus aſſertio de eſu vetito expenditur.237.
Therumah.30.
Θηριάλωτα.5.
Θνησιμαῖον.5.
Τροφὴ τῶν νεογνῶν ἱερείων.27.
Tryphon vindicatur.122.
Thyeſteæ cœnæ.102.

V.

Veſperæ duæ.32.
Veſtium externa munditiés cur in V. T. præcepta.64. ex lino & lana cur confici non potuerint.65.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google